
FONDAZIONE ISTITUTO INTERNAZIONALE
DI STORIA ECONOMICA "F. DATINI"
Serie oro. Testi antichi in anastatica
78

JOHANNIS LOCCENII RERUM SVECICARUM HISTORIA

A rege Berone tertio usque ad Ericum decimum quartum deducta, & pluribus locis, quam antehac auctior edita.

Accedunt

ANTIQUITATES SVEO-GOTHICAE.



HOLMIAE

Ex Officina JOHANNIS JANSSONII
Regii Typographi, 1654

Istituto culturale e di documentazione Lazzerini
© novembre 2016

DATI BIBLIOGRAFICI:

Loccenius, Joannes <1598-1677>. Johannis Loccenii, Rerum Svecicarum historia A rege Berone tertio usque ad Ericum decimum quartum deducta, & pluribus locis, quam antehac auctior edita. Accedunt Antiquitates Sveo-Gothicae. - Holmiae : ex officina Johannis Janssonii, regii typographi, 1654. - [8], 426, [8], 168 p. ; 8° (16 cm)

Segn.: [puntini]4 A-2C8 2D4 [puntini]4 a-k8 l4. - Prima c. bianca. - La c. V3 è erroneamente segnata S3; la c. i5 è erroneamente segnata i3. - Segue con proprio frontespizio: Johannis Loccenii Antiquitatum Sueo-Gothicarum, cum hujus aevi moribus, institutis ac ritibus indigenis pro re nata comparatarum libri tres. Editio secunda, emendatior & auctior. - Impronta a-a- iois o-ue stcu (3) 1654 (A)



Di

Nicolao Santini



JOHANNIS LOCCENII

RERUM SVECICARUM HISTORIA

A Rege Berone tertio usque ad Ericum decimum quartum deducta, & pluribus locis, quam antehac, auctior edita.

Accedunt

ANTIQUITATES SVEO-GOTHICÆ.



BIBLIOTECA
1961
LINNEANA

HOLMIÆ,

Ex Officinâ JOHANNIS JANSSONII, Regii Typographi. 1654.

C 948.500.1

SERENISSIMÆ. AC. POTENTISSIMÆ.
REGINÆ. AC. DOMINÆ.
DOMINÆ.
CHRISTINÆ.
SVECORVM. GOTHORVM.
VANDALORVMQVE. REGINÆ.
MAGNÆ.PRINCIPI.FINLANDIÆ.
ESTHONIÆ. CARELIÆ. BREMÆ. VERDÆ. POMERANIÆ. DUCI. DOMINÆ.
INGRIÆ. VVISMARIÆQVE. PIÆ.
FELICI. AVGVSTAE.

Sereniſſima & Potentiſſima Regina,
Domina Clementiſſima.

QUemadmodum de quamplurimis bene mereri non ceſſas, ut inde Beneficæ cognomen optimo jure merearis, ita quoque literarum & qui eas amant curam ac favorem haud unquam ex animo Tuo deponis. Iucundâ ſanè recordatione horam iſtam repeto, quâ Tua Majeſtas hîc in arce Vpſalienſi aliquando de veteri Sueonum hiſtoriâ recognoſcendâ & ex Annalibus patriæ manuſcriptis ſupplendâ mecum verba fa-

ciebat. *Quæ cura quum me propius tangeret, & jam ante aliquot annos mentem meam seriò agitasset, eam explendi desiderium acrius incessit, nec prius conquievit, quam destinata pro viribus elaborassem. Hoc meum institutum postquam Majestati Tuæ exposueram, illud tam clementer acceptum habuit, ut accessione quadam salarii munus meum ornaret. Eo Regiæ beneficentiæ authoramento deinceps novi quasi stimuli accesserunt ad labori contentius instandum, & ad præfixam mihi metam ulterius deducendum. Quem Majestati Tuæ summâ animi demissione nunc sisto, bonæ spei certus, si non alio, saltem hoc nomine probatum iri, quod Maj: Tuæ Majorum & inprimis magni Proavi GUSTAVI I. gesta complectitur. Deus Majestatem Tuam, quæ ejusdem beneficio, magnanimitate Semiramin, prudentia Amalasuentham, pacis studio Placidiam superat, imò regnandi arte multis retrò Regibus palmam præripit, regno, patriæ, subditis incolumem & superstitem quam diutissimè præstet.*

Upsaliæ a. d. 30.
Nov. A. C. MDCLIII.

MAIESTATI TVAE
subjectiss. & devotissus.

JOHANNES LOCCENIUS.

PRO-

HIstoriam Sueticam, hactenus in lucem emissam, accuratius evolventi, & aliis manu exaratis nondumque editis patriæ annalibus componenti liquidò patebit, non pauca adhuc in ea desiderari: quum unus omnia videre nequeat, & aliis quædam etiam post se memoranda relinquere soleat. Quâ caussa, quum mihi veteris Sueonum historiæ suæ integritati, quà datur, restituendæ scribendæque partes ex authoritate publicâ impositæ essent; ab illis temporibus ordiri visum est, quibus plura & expertæ fidei documenta in subsidium vocari possent. Ea verò non facile reperias, ultra Christianæ religionis hîc ope divina instauratæ primam ætatem. Quod Ericus Vpsal. etsi incultæ pro isto ævo dictionis, tamē incorruptus & fidus patrię rerum, suę prę sertim ætati propiorum, scriptor conceptis verbis adfirmat; nec istius rei caussas dissimulat. Plerisq; enim majorum bello intentis, pauciss imos fuisse fatetur, qui, quo par erat, labore & industria res in patria gestas memoriæ consecrarent; utut exterorum gesta scriptis famaq; extollerentur. Si quę verò quocunq; modo scripta ad hæredū manus pervenissent, non pari fide, qua consignata erant, à posteris illorum adservata fuisse, in otio tunc voluptati magis & genio, vel aliis quibuscunq; negotiis, quam literarum & ingeniorum cultui deditis. Atque sic cum blattis & tineis certantes annales adversus ævi injuriam stare non potuisse. Succes sit & hoc cum annis malum, vt divisis olim intestina dissensione populis eorumq; imperiis, modo hic modo ille rerum potiretur; instabili tamē sede, inclinantibus subinde in has aut illas partes animis. Vnde scriptori fuit arduum, vagâ & incertâ regni administratione, continuam & exploratam rerum seriem ad posteritatem transmittere. Denique exacto sanguine regio in patria orto, aut rempubl.

mis-

miſcente diſcordia, extraneos regno admotos, refert: quibus, ſi malus animus eſſet, vt nomen Sueticum, quantũ in ipſis erat, à ſtirpe delerent, annales patriæ vel ſuppreſſiſſe, vel extra regnum deportatos ſitu & tenebris damnaſſe, ne unquã lucem adſpicerent. Hoc, quod author ille, ut ingenuum decet, candidè profitetur, ipſa re comperi, poſtquam annales regni, quotquot adhuc exſtant, replicare cæpi. Quæ enim ante Chriſtianos Suecię reges geſta legimus, non per omnia fidem omni exceptione majorem, aut temporum rationi ubique conſentaneam mereri, non ego ſolum, ſed alii ante me dudum cognoverunt; & res ipſa ſatis loquitur. Proinde à primo Chriſtiano rege, Berone tertio auſpicatus, per ſubſequentes ordine deinceps ivi, uſque ad Ericum decimum quartum: de quibus & certiorem & multis partibus locupletiorem rerum memoriam in regni annalibus invenire eſt. Equidem ſi nihil aliud, vel hoc ſatis ingens ad edenda iſtæc incitamentum fuerit: dum inde non pauca ſupplevimus loca, quæ hactenus integræ hiſtoriæ corpori deerant. Præterquam quod illorum plerumq; Principum tempora variis mutationum vicibus & ancipitibus fatis maximè inſignia fuere: quorum cauſſas & momenta, quotiens ad ea viam res ipſæ aperirent, explicare non intermiſi. Nec ſatis habui noſtros adire ſcriptores, ſed etiam exoticos, qui ex occaſione bellorum, pacis aut fœderis cum Sueonum gente, in rebus domeſticis exponendis, etiam noſtras non prorſus intactas dimittunt, eâ qua debui curâ contuli: ut conſiliorum & eventuum, nec minus incorruptæ confirmatæq; fidei veſtigia, quacunque poſſem ſemita, propius deprehenderem atque obſervarem. Si autem non omnia pro meo voto & diverſis lectorum judiciis adſecutus ſum; & quis hoc queat in quacunq; hiſtoria, præſertim in remotiori a ſuo ſeculo geſtorũ commemoratione? tamen apud æquos rerum æſtimatores veniam mihi paratam eſſe confido.

IOAN-

CVM DEO.

JOHANNIS LOCCENII HISTORIÆ RERUM SVECICARVM

LIBER I.

BERO vel BIÖRNO III.

ALarici filius, si non ceteris fuisset, hoc satis felix imperii erat, quod ætas ejus illa contingebat tempora, quibus ex Germaniâ Galliisque vera religio in Sveciam quoque migrare cæpit. Quippe Carolus Magnus Francorum rex Teutonumque imperator, pius & Dei amans Princeps, divino haud dubiè instinctu exterorum & borealium amicitias appetebat: ut illos â spissis errorum tenebris ad veram Dei cognitionem alliceret, aut saltim Christianos illos, qui sub eorum imperio & persecutione degebant, quâ posset ope sublevaret. Eadem præcipuè cum hoc Biörnone Svconum rege fœdus ineundi caussa fuit; & ut ipso amico sociosque, si usus foret, adversus Gotricum Daniæ regem, sibi, religioni & Saxonibus, nuper ab ipso ad fidem Christianam conversis, infestum niteretur. Religionis tamen negocium initio morabatur bellum Gotrici cum Svedis, inde ortum, quod ille non solum Germaniæ armis oppressæ imperium quærebat; sed Sveciam quoque intestino motu agitatam, tentavit. Hoc animo Resonem legatum suum ad Biörnonem avunculum misit, eique dedit negocium componendi domestici tumultus; amicitiæ & proximæ conjunctionis obtentu. Sed istum Resonem nonnulli Danicæ Historiæ scriptores, quod isti negocio esset impar, eoque invisus, noctu ex insidiis devoluto in dormientem ingenti saxo, â Sueonibus obtritum atque interemtum perhibent. Inde Gotricum armis hanc vim ultum; nostros uno prælio victos deditosque benignè tamen habuisse, sex auri librarum mulctâ facinoris

authoribus, unâ unciâ reliquis consciis impositâ, quam *vulpeculæ pensionem* vocarint. Ceterum nostri annales Resonem transfugæ titulo Suediam ingressum, in proditionis crimen vocatum, appenso ad collum saxo undis submersum ferunt. Quamvis autem anceps & temerarium sit in dubiis certi quid affirmare; accuratius tamen rem pensitantibus, vero propius videtur, non privato odio interfectum Resonem, sed quod nomine & reapse vulpes dolo ageret. Siquidem uti Suedica historia memorat, simulatione injuriarum â Gotrico acceptarum, & specie integritatis ad interiora animumque Biörnonis admissus, arcana ejus elicuit & proceribus prodidit. Inde dissidium inter illos & regem excitatū, non alio fortè proposito, quam ut distractis animis & viribus vel seipsos conficerent, vel ille regi suo viam turbatos & discordes opportunius invadendi patefaceret. Hujus rei fidem ipse Saxo non obscuris verbis adfirmare videtur: *Nec Germaniæ quidem oppressione contentus, per Resonem legationi additum, Sueoniam tentat.* Hæc quis aliter accipiat? quam quod oppressâ magnam partem Germaniâ, etiam Sveones Carolo Germanorum imperatori fœdere junctos adoriri voluerit; prætentatis per artes Resonis eorum animis & consiliis. Nec consentaneum existimatur, adeo juris gentium & naturæ vel oblitos vel negligentes fuisse, etsi isto seculo non satis culto, Suedos, vt Legatum ex solo contemtu, & qui pacis ac concordiæ arbiter venerat, per insidias trucidarent. Nisi forte quidam ex vulgo, quibus Resonis nomen & fides suspecta esset, per insolentiam inscio rege, vim & manus ei intulerint. quod tamen non impune fuisset. certe non oportuisset esse. Quanta autem ista immanitas fuisset, legatum, tanquam isti negocio, cui missus erat, haud parem interimere. Si parum idoneus ei muneri fuisset, magis mittenti, quam suscipientibus legatum, in dedecus vertisset. Sed hæc lectori integrè judicanda relinquimus. Post hæc pace inter Carolum & Hemmingum Gotrici vita functi sive filium sive nepotem facta, turbisque in Svediâ compositis, ex voto Biörnonis & lege fœderis Carolus Magnus huc misit Herbertum, primum Ecclesiæ Gothicæ plantatorem. His initiis animæ regis ac subditorum, hactenus diabolo horrendæque superstitioni mancipatæ, in veram libertatem Deo & cœlis adsertæ sunt.

quod

quod ante omnia bona humana æstimandum erat. Ab excessu Caroli, Ludovicus ejus filius, ceu hæres paternæ pietatis & amicitiæ erga Biörnum Svedorum regem, huc Anscharium mittebat, qui Bircæ ad sesquiannum verbum Dei cum fructu docuit & propagavit. Quæ fusius hic exsequi, mei non est instituti, sed ad annales Ecclesiasticos remitto, quibus hoc argumentum proprium est. Cum Berone autem vel Biörno fatis functo exstinctus iacuit Christianæ religionis ardor usque ad Stenchillum regem. Etenim pagana superstitio tam altas radices egerat in animis hominum, ut ad eam exstirpandam præsentiori numine opus esset. Sunt qui perhibent, Biörnum hunc cum Gotrico junctis viribus Vinetam Vandalorum aut Vendorum olim principem urbem, ob vim ab incolis & Saxonibus istic commercantibus tunc Svedis & Danis illatam, exscidisse atque Vandalorum gentem sibi subjecisse. Vnde in eos & hoc & alio tempore debellatos imperii quoque titulum reges Sveviæ & Daniæ deinceps usurpare cæptarunt. Alii ad Herotum (quidam Haraldum vocant) Suedorum, & Hemmingum, nonnulli Gotricum, Danorum reges, huius facti famam referunt.

BRAVTAMVNDVS

PRimum Amundi gentile habuit nomen, sed imperio potitus, id pacis ornamentis augere, patriamque terram cultu agrorum & annonæ ubertate locupletare studuit. Vnde à succisis nemoribus & in satorum viarumque usum eradicatis, postea Brautamundi cognomen patria lingua accepit. Quidam etiam cognomento Froum dictum volunt, quod ex veteri Froi, quem inter deos suos olim pagani Sueones retulerant, ortu esset. Nonnulli Freierum, alii Frotonem appellant. Non diu verò pacatum tenuit imperium. Inter ipsum & Sivardum fratrem grave de regni jure certamen exortum est. Sivardus imperii æmulus regnum sibi ætatis an virtutis opinione præ Brautamundo deberi volebat. At hic liberam ex more majorum eligendi facultatem, nec irritam populi de se existimationem urgebat. Inde fratres & per eos subditi mutuis odiis & tandem in arma concitati sunt. Vt verò rex majoribus copiis & animis rebellem fratrem aggredere-

retur, Sivardum Norvegiæ regem in auxilium evocavit. Ille promtus ſubveniendi amico & vicino, cohortes aliquot ei ſubſidio mittit. Quibus domeſtico militi mixtis, & collatis ſignis, acre prælium utrinque commiſſum eſt in campis Nericiæ editioribus, quos Höghaheed vulgò vocant. Irritatis ſemel bello animis offenſæ non expiari, nec arma prius deponi potuerunt, quam Brautamundus à fratre Sivardo victus cæſuſque, vitâ pariter ac regno exueretur. Huc nimirum proficit inteſtina diſcordia vires nacta, in mentium diſtractionem, ſanguinis effuſionem, & tandem victoris dominatum; ſi ei parum ſit viciſſe.

SIVARDVS cognomine FROUS

NOn contentus per necem fraternam ſibi viam regno feciſſe, Sivardum Norvegiæ regem, ob latam Brautamundo adverſus ſe opem, in Norvegiam uſque armis perſequitur. Conſerta manu victor, eundem cum ſuis internecioni dat, regnique Norvegici poſſeſſionem ſuo adjungit. Verum ſucceſſu elatior, animum libidini totum permiſit, & regias nobileſque iſtius gentis fœminas propriæ militumque ſuorum contumeliæ ſubjecit. Gens Norvegica tantæ ignominiæ vindicandæ magis animum quam facultatem habens, auxilium Regneri Daniæ regis, factis clari, expoſcit. Ille nihil cunctatus, ſuppetias venit. Sed in ingreſſu obvias habuit inſtructas duce Laathgerta generoſarum fœminarum acies: quod à Scandianis moribus eâ tempeſtate non abhorrebat. Has juſta armarat indignatio, & dolor ignominiæ vim paſſis illatæ; reliquo etiam ſexui, niſi armis occurreretur, metuendæ. Itaque excluſo pudore ac metu, muliebres animos debilitare ſuetis, ſua cum viris arma conjungunt; eligentes aut fortiter occumbere, aut tam gravem injuriam haud inultam ferre. Nec inſtituto defuit fortuna. Quippe hoſtili odio & virtutis æmulatione, quæ vires & animos æqvabant, accenſæ junctim ita pugnarunt, ut Sivardus ſuccumbens, juſtas læſæ pudicitiæ pœnas fœminis ſolveret.

HERO-

HEROTVS

SIvardi filius, vel, ut quidam volunt, frater solio impositus, vetus de limitaneo Scaniæ principatu bellum cum Regnero Daniæ rege instauravit. In eo diu & ancipiti fortuna depugnatum, & utrimque limites sanguine signati sunt; donec tandem indutiæ convenirent: ut interim utriusque jus amicè dijudicaretur. Qvum autem verbis multum & incassum disceptatum esset, Regnerus rationem ineundam putavit, qva absque rixis & dubiis belli tutò retineret istam provinciam, offensasque placaret. Ambit ex consilio amicorum Thoræ Heroti filiæ matrimonium, quod parens initio denegavit: ratus Regnerum filiam regiam non ut uxorem, sed pellicem petere; dum Laathgertam (Lantgertam vocat Iohannes Magnus) ante in matrimonio habebat. At rex Daniæ, ut ipsa re ostenderet, se conjugen illam, & dignitatis non voluptatis solum nomen quærere, repudiata sub prætextu insidiarum Laatgerta, denuo expetit nuptias Thoræ. Pater tandem etsi ægrè assentitur, eique promittit filiæ matrimonium, sub gravi tamen conditione. Mos in boreali gente tunc invaluerat, ut illustres juvenes præsertim regii sanguinis, non externo decore, turpive lascivia aut ingenti vi pecuniæ, sed dote animi, pulcro facinore spectata, sibi regiarum & generosarum virginum nuptias conciliarent. Eum morem intuens Herotus, duas immanes belluas Regnero debellandas objecit. Quidam ingentes angues, alii sævos ursos fuisse tradunt. Meursius Historiæ Danicæ scriptor, geminos Heroti alumnos, ingenio præferoces, vitæ bonorumque alienorum insidiatores & raptores, ipsi tandem regi graves, eoque proscriptos fuisse testatur. Quod a vero non alienum videtur; qvum angvium, ursorum, luporum nominibus feros sævosque hominum sola figura talium mores adumbrare, priscis haud insuetum fuerit. Regnerus amori nihil arduum, virtuti nihil inexpugnabile credens, accipit conditionem, & pugnæ se accingit. Vt autem expeditior luctæ esset, & impetentium ictibus minus penetrabilis, vestem villosam & gelu duratam induit, duobus solum spiculis armatus. Hoc habitu cum monstris illis congreditur. Quæ licet primo impetu periculum adversario

non leve intentarent, animosè tamen Regnerus excepit, & telis suis feliciter confecit. Fervente pugna, ex aula sua prospectasse fertur Herotus, percontatus, quisnam esset ille hirsutus monstrorum domitor; inde villosarum braccarum cognomen ei inditum est. Quod ille non invitus admisit; qvum virtutis & regiæ sponsæ, quæ optata laboris ac fortitudinis merces obtigerat, jucundam subinde memoriam animo redderet. Vt autem hoc matrimonio felix fuerit Regnerus, ex quo septem liberos masculos tulit; regno tamen Svediæ infaustum accidit, uti annales nostri ferunt: dum neglecto proximiori sanguinis & maximè electionis jure, tot annos integro, suos filios regno obtrusit. Qvod non unius belli materies erat, quo cives liberam & antiqvam cooptandi reges, qvos vellent, potestatem sibi tuebantur, ille novo more turbare conabatur. Scaniam verò, qvam velut alteram sponsam adfectarat, & ipse & successores ejus usque ad Ericum Victoriosum possederunt.

CAROLVS VI.

QVem Saxo Sorlum, Gallici scriptores Arlum appellant, Heroto ingenti procerum consensu suffectus est. Regnerus autem indignum existimans hîc postponi Heroti familiam, quacunque arte Carolum regno expellere aggressus est. In mutuum odium, subornatis callidis consultoribus, exstimulat potentiores. ex quibus cum non paucos in suas partes traxisset, lectis in militiam justis copiis & tribus filiis expeditionis sociis, dissidentibus se superfundit, & Carolum primo congressu, ut nonnulli volunt, regno dejicit, atque Heroti filiis illud restituit. Vt alii referunt, Regnerus externa quidem specie pro Heroti primogenito filio, revera pro filio suo Biörnone laboravit, de quo postmodo in ejus vita plura. Ante prælium ad velitationes, ab his ad singularem selectorum aliquot dimicationem, incolumi adhuc regis dignitate, deventum esse, nostri memorant annales. Enimvero bellum in compendium mittere, reique eventum paucorum potius qvam tot capitum discrimine periclitari, minus anceps alea videbatur. Regnerus ipse in campum duello designatum cum suis procedit. Cui Carolus Scardum, experti

experti roboris & audaciæ pugilem, cum septem ejus filiis adversum ponit. Ipse Carolus absque vecordiæ nota hîc abfuit, & universæ rei se servans, singularem pugnam aliis delegavit. Suam enim & per eam subditorum salutem temerè in discrimen vocare nolebat, in eo præsertim certamine, cujus victoria sæpius fortunæ quam virtutis esse solet. Singuli cum singulis ex veteri duelli lege congrediebantur, & quidem ante oculos utriusque exercitus: quò testatior eorum virtus esset, atque tot mille spectatoribus acrius incitarentur. Regnerus cum suis superior exstitit. Nullus tamen hac pugna integer & incruentus excedebat, præterquam Biörnus Regneri filius, cujus corpus a vulnere invictum fuit; indeque *Ferrei lateris* cognomen accepit. Invidia ex adversis gliscente in Carolo & fortunæ fiducia in Regnero, hoc singulare certamen tandem in apertum prorupit bellum, quod prope Vpsaliam in vicino agro (Vilerâker dicto) stetisse, ex veterum annalibus observamus. Iste campus hodieque id nominis retinet, non a lana, ut vult Saxo, qui laneum campum nuncupat, sed, ut videtur, ab Odini vel filio vel socio Vllero, insigni Mago, cujus hæc olim possessio forsan fuit. Istius conflictus eumque sequutæ stragis adhuc vestigia, vt videntur, tot tumuli, in eodem loco prope arcem exstant. In hoc prælio Carolus occubuit, relictus a suis, in partes astu Regneri, ut ante dictum, discedentibus. Hoc tamen pro strenuo viro fecit, quod a suis desertus se ipsum deserere noluit, turpique fuga se eripere; sed animosè concertando, potius per virtutem cadere, qvam indignè supersesse, uti existimabat, voluit.

BIÖRNO IV.

REgneri filius, Heroti nepos, ex conspicuæ fortitudinis merito Suediæ regno admotus est, ut Saxo tradit. At nostri annales cum potentiorum quorundam studio, qui Regnero factum volebant, eò evectum memorant, idque dolo Regneri. Qvum enim arma strueret in Carolum, per clam emissos in Suediam civibus fidem dedisse fertur, se pro legitimo successore Ingevallo Heroti filio contra Carolum injustum alieni regni possessorem connisurum. Ea fidei si-

mulatione non paucos ad partes suas adjunxit, quorum subsidio quum Carolum devicisset, non Ingevallum sed Biörnum filium suum regno imponi effecit. Ita cupiditate regni qvidvis promittens, postquam occasio quærendi filio imperii se dabat, fidem violare tanto scilicet pretio, nullum apud eum nefas habuit; quasi regnandi gratia fallere justum esset. Hac verò fraude, cui postea accessit improba Regneri libido; dum habitu fœmineo se insinuans familiæ Esberni primarii hîc viri, ejusdem filiæ forma insigni stuprum intulit; animos civium a se & filio suo penitus avertit. Itaque filius imperii præsidio, amore civium destitutus, ad patrem in tutiora se recepit, & aliquamdiu piraticam sed infeliciter faciens, tandem Norvegiæ a patre præfectus, ibi consenuit & objit. Quidam verò, quum aliquot annis Suediæ præfuisset, in fata hîc concessisse perhibent, inglorio excessu: quum pravis artibus ingressus fuisset.

INGIALLDVS

VEL, vt aliis placet, Ingevaldus Herothi sive filius sive nepos fuit: utrumque enim traditur. Quidam tamen Brautamundi filium faciunt. Vt erat erectioris indolis, ita non exiguam de se spem subditorum animis fecit. Adolescens ab Alpho Inguardi in lucta superatus, hoc tam ægrè tulit, ut ubertim ei lacrumæ præ dolore manarent. At Suibdagerus, sub cujus oculis & cura educabatur, hoc molliores animi signum interpretatus, tosta luporum corda ipsi comedenda sæpius dedisse fertur, ut ferox animi evaderet. Nonnulli tamen alium hîc Ingellum ponunt. Regno præpositus, non paucos intra patriam deprehendit, qui partibus Biörni adhuc vivi, eoque defuncto, reliquis Regneri liberis occultè faverent. Qvapropter arduum erat, hostibus clandestinis in sinu patriæ latitantibus, imperii statum in tutum redigere. Intendebant difficultatem externi belli minæ parati a Biörni germano fratre Ivaro VVidfäril vel vvidfaren, ita dicto, qvod per Galliam, Britanniam, & per omnes occidentales regiones latè peregrinatus, & isthic fama rerum præclarè gestarum illustris erat. Iste proximum â fratre successionis gradum neqvidquam postulans, conductis in Anglia

glia copiis, moliebatur adversus Ingellum arma: vi tentaturus, qvod jure non poterat. Ingellus, hoste citius quam crediderat advolante, subito cogit exercitum, qvo occurrat Ivaro. Dum in eo est, & cum amicis ulterius de summa rei consultat, facibus per occultos proditores aulæ immissis, eum cum suis & omnibus proceribus incendio oppetiisse memorat Iohannes Magnus. Ericus Vpsaliensis famâ potentiæ & crudelitatis Ivari nimioque terrore perculsum, sibi mortem incendio conscivisse scribit. Cæterum alia præter isthæc mali caussa ab annalium Norvegicorum authore veteri Snorrone Sturæ F. refertur, & quomodo sublatis principibus, vacuum regnum nefandis homicidiis fecerit. Qvæ â nostris historicis ferme omnia prætermissa sunt, sive qvod annalium patriæ, qvos habebant, aliqvod hîc deliqvium fuerit; sive studio ceu ingens dedecus olim suppressum; vel si qvid aliud rei suberat. Res autem ita se habet. Qvum regnum hoc initio ab vno rege, postea â pluribus æmulis exsurgentibus administraretur, & â singulis per singulas provincias in partes diductis, qvorum tamen princeps erat rex Vbsaliæ, vi tum a sede regni adpellabatur; atque ob multorum imperium crebris motibus adfligeretur patria; ille sub vnius imperium reduci, magnum ad concordiam momentum arbitratus est. Consilium eqvidem salubre, modò recta via exsequi decrevisset. Sed ille dolo & per insidias implevit. Qvo tempore solennia regni novo regi capienda erant, regulos omnes eò invitavit, & quotquot advenere, nonnulli qvinque, alii septem fuisse ferunt, in conclavi splendidè instructo sellas regias singulis adornari fecit: in quibus, dum inaugurationis pompa celebratur, ordine consederunt, & solennia spectarunt. Ipse verò Ingellus in subsellio infra solium regis seorsim desedit, donec ei patrio tunc more poculum è cornu vino plenum adferretur. Eo porrecto surrexit, illudque coram solio, quod mox adscensurus erat, libavit, cum voti nuncupatione & juramenti fide, se insigni facinore edito, regni fines prolaturum. Mox solium adscendit & solennibus expletis, hospites opiparè accepit, hilaritate ad multam noctem tracta. tandem vino somnoque graves, igne triclinii subjecto, ad vnum combussit, eorumque ditiones suas fecit. Hoc dominationis flagitium ut impetu cœperat, ita

succesſu

ſucceſſu valuit: dum regni fines ex promiſſo dilatavit, & ſolus rerum potitus eſt. Sed a bonis omnibus damnatum, cum tot capitum humanitatis ſpecie deceptorum exitio ad imperium graſſari. Abſentes tunc principes, inter qvos primus refertur Gramus Sudermanniæ dux, iſtud perquam indignè tulerunt, & in Ingellum collectis viribus euntes, armis eum profligarunt. Sed ille ad ſuas artes reverſus, eos imagine pacis & ficta circumſcripſit amicitia, ſecuroſque & imprudentes pari flammarum fato perdidit. Ita cumulabat ſcelere ſcelus. Hoc ſolum laude dignum feciſſe memoratur, qvod leges æquas condidit, qvo facinorum invidiam mitigaret. Eas leges Vigerus Spa recenſuit, & in unum volumen contraxit. Nonnulli eum vocant Vigerum Spake. ſed in proœmio legum Vplandicarum Birgeri regis Spa cognominatur, tanqvam ſagax rerum & prudens. Liberos Ingialdus ex matrimonio ſuſcepit duos Olaum & Aſam, trucem natura fœminam. Hæc Gudroto, Scaniæ principi, in matrimonium data, maritum & levirum è medio ſuſtulit, eorumque terras hoſti prodidit: ut ſuæ ſecuritati conſuleret. Inde profugam in hoc regnum Ivarus Regneri filius veſtigio inſeqvutus eſt, ad ulciſcendam cognatorum cædem. Ingellus verò metu virium animique Ivari, ſive conſcientia ſcelerum territus, impiæ filiæ hortatu flammas regiæ ſubdit & ſe cum tota familia cremat: divinâ haud dubiè vindicta, vt, qvo peccarat, idem ipſi ſupplicio eſſet.

OLAVS cognomento ARBORUM CÆSOR

ANte Vermiorum princeps, ad qvos, fugiens patris Ingelli & hoſtium vim, evaſerat. Rex factus, principia imperii aſpera habuit, tres graves adverſarios Regneri regis Daniæ filios, Biörnum, Ivarum & Agnerum regni æmulos, eoque hoſtes nactus. Sed has ille difficultates animi conſtantia ſuperavit. Vt tamen cives ad imperata promtiores haberet, onera ab anteceſſoribus impoſita illis levavit. Qvod populo non potuit non acceptiſſimum eſſe. Quippe tributorum graviorum, qvæ temporum neceſſitas imperavit, extra eam

eam relaxatio qvædam, est gratum, vt qvod vnquam maximè, populo beneficium: quod amica vi principi obnoxios facit animos, manus & fortunas subditorum; qvibus pars libertatis est, si sit vsu necessarium, a volentibus impetratum, non vi expressum servitium & onus. Certè Olaus statum reipub. nutantem eo erexit, & civibus belli nervum, viros & commeatum submiustrantibus, hostes ex sententia fudit omnes. Postmodò pacem consequutus, ordinavit collapsum inter arma legum & justitiæ vigorem. Superfluas in vastis locis silvas a radicibus evelli, & ad cultum segetis parari curavit. Inprimis Vermelandiam, densis horrentem nemoribns & informem adspectu, ad meliorem faciem redegit & coloniis instruxit. Vnde populus a succisis arboribus ei cognomen sua lingva fecit. Quæ etsi vilis appellatio videri poterat, ille tamen sibi honori meritò duxit: ê re regni fore videns, vt otiosis & superfluis silvis exstirpatis, vrbes, pagi & tecta eorum vicem exstruerentur: in quibus cultui victuique dediti cives silvestrem discerent exuere animum, ingenioque & artibus ad civilem habitum componi. Authores habemus, hunc Olaum Christianam fidem amplexum, in ea non perseveravisse, metu periculorum a subditis adhuc ethnicis impendentium. Vnde offensæ divinæ reus, in varias belli tempestates inciderit, maximè cum Vitserco regis Danorum Regneri filio, qvi jus regni in Svedia ex materno genere ad se vindicatum ibat. Hoc bellum Iohannes Magnus & Danici historici fusè describunt. Tandem Olaus imperii & vitæ satur, Upsaliæ decessit, regiis isthic monumentis illatus, jam pater plurium liberorum, inprimis Haldani Huitbeenii, a cujus sangvine reges Norvegiæ descendunt, & Ingonis, qvi patri in regnum surrogari meruit. Nonnulli scriptores hîc alium inferunt Olaum ab hoc nostro diversum; de qvo ipsi viderint.

INGO II

Olai filius (: qvidam Ingellum vocant:) ingenio pacis amans, in eo totus fuit, ut diuturnum inter Suedos & Danos bellum tandem amicè componeretur, & publica tranquillitas velut ab exilio restitueretur. Ei rei opportunum visum

sum est, Regneri Danorum regis filiam matrimonio sibi iungere, & pacem hoc sacro fœdere stabilire: non absque superiorum temporum experimento, ingens fuisse securitatis publicæ firmamentum, aut fidam vicinorum Principum amicitiam, aut æquam fortunam. Cæterum qvum Suedi Gothique belli studiis adsveti, pacis ferme insolentes, otium ægrè tolerarent; ne prorsus imbelle agerent tempus, aut domi quieta turbarent: quod illis maiori periculo, quam externum bellum foret; ab Ingone emissi sunt adversus Russos, qvorum terram effusè ferro & flammis populabantur. Illo qvippe hoste ad interiora recedente & copiam prælii non faciente, agris & tectis inimicam vim intulerunt. Cetera Ingonis gesta qvasi cum ipso sepulta silentur.

ERICVS INGONIS, cognomento VENTOSI PILEI,

qvod in qvamcunque plagam protenderet pileum, ventum sibi obseqventem & secundum haberet. Populus superstitione cæcus sibi regnoque maximè utilem fore credebat eum regem, qui, si aëris potens, etiam prosperitatis compos esset. Illi enim nihil arduum adversumque terra & mari fore, qvi tempestates ad nutum & arbitrium suum regere posset. Nec ferme speciosiori fuco vulgi mentes deludere diabolus poterat. Ille verò piraticâ exercitus & suis veneficiis operatus, regni rebus parum intendit. Tandem ab Ostano qvodam regii sangvinis per insidias trucidatus est, si Saxoni & Cranzio fidem habemus. Ericus Vpsaliensis vitam naturali morte finiisse author est; licet nihil nisi ventosum nomen ex maleficis artibus apud vanos sui admiratores reliquerit.

ERICVS VICTORIOSVS

perpetuâ in armis felicitate utebatur. Raro utique exemplo: quum fortunæ belli vices haud ignoremus. Qvam tamen cum cura habuit: nihil apud suos remissum, neque apud hostes quietum passus. Agnerum Regneri filium in Anglia adverso fato militantem, & postea regno Svediæ materni

sanguinis

sangvinis obtentu inminentem, publico & belli momentis sedulò invigilans; duce Ostano prosperè debellavit. Qvum Finnones, Livoni, Esthones, Curetes, Borussi pergerent in Daniam ad ulciscendum Danorum in mari prædationes, ex qvibus non levia damna illis inlata erant; & vi tempestatis in litora Gothica electi deprædarentur Gothiam, prætextu auxilii â Gothis Dano in piratica lati; Ericus contractis in classem copiis, eosdem ne ultra tenderent, repressit. In illorum insuper regiones, qvas â tergo viribus vacuas incautè reliqverant, excursionem faciens, eas intra breve temporis spatium diripuit & sub suam potestatem redegit. Velut autem fortunæ militaris fama plurimorum, & ipsorum potentium amicitias allicere solet, ita Otho Saxoniæ dux, imperator Germaniæ postea factus, Erici societatem adsecutus est. Qvam Haraldus rex Daniæ, ut sibi regnoque gravem suspectans, omni studio dissolvere conabatur. Mox velut Störbiörno, Biörni qvarti filio exuli, & querenti se regno & hæreditate paterna injustè ab Erico deiectum opitulaturus, ad limitem Suediæ cum exercitu accessit. Sed Othonis in Daniam impressione subitò revocatus, inceptum omisit. Storbiörno ignovit, & ut in posterum in fide esset, beneficio donatæ provinciæ sibi hominem obstrinxit. Svenonem Danum, impium regni possessorem, qvo patrem Haraldum expulerat, iterum deiecit, idque ad septennium obtinuit, recuperata simul Scaniæ provincia, qvam Regnerus beneficio matrimonii tenuerat. Imperium victoriis & opibus auctum qvum bene administrasset, vita excessit, constanti fortunæ, sed meliori virtutis famâ.

ERICVS cognomento FELIX ANNONÆ, alias STENCHILLUS I.

ETiamsi sub ejus imperio fluerent ubere agri fœcunda optatæque messis tempora, unde Aarsel, felix annonæ dictus est; optima tamen messis erat, verbi divini fructus tunc renascens: qvi superstitionis & dominantium vi â tempore Beronis tertii suppressus iacuerat. Sed præsente Dei ope gratiaque nunc resuscitatus, singulari miraculo crevit: qvod huiusmodi

di est. Sacrificulus paganus dum cultui idolorum operatur, subito oculis captus est. Qvum verò suos deos incassum opem & cæcitatis remedium rogasset, domum se deduci iubet, ut vitæ reliqvum in tenebris & miseria exigat. Isthic in somnum delapsus viso qvodam admonetur, firma Christum Servatorem fide amplecti, populoque prædicare. Ille hac fiducia erectus, non modo vitam suum, sed, qvod longè præstantius erat, cœleste lumen mentis, expulsa inde diabolici cultus & superstitionis caligine, recepit. Idem pluribus feliciter propagavit. Rex etiam exemplo suo singulare religionis incrementum erat. Qvum nomen Christo dedisset, aqva sacri lavacri adspersus, inde lingva Svetica Stenkil nominatus esse creditur. Multitudine ob nimium religionem instaurantium rigorem tumultuante, qvidam regem iterum ab agnita veritate desciviisse memorant, populo placendi & motuum sedandorum studio. Sed non facile adfirmatu est, regem tam levem fuisse in deserenda vera religione, qvam tam avidè amplexus erat. Hoc tamen haud negaverimus, temporis causa furori civium aliqvantum cessisse, donec molliori ratione & tutiori viâ ad sanitatem eos reduceret. Hinc, ut videtur, suspicio orta est, qvasi in religione claudicaret. Alii contra Upsaliæ ab factiosis, obtentu admissi contra leges pub. & fidem datam de recepta religione servanda, trucidatum, sangvine suo religionis & fidei professionem obsignasse perhibent: qvum Adalvardo & Stephano, qvi verbum Dei in Suedia disseminarant, hîc concedere nollet. Illum in urbe Birca, huncin silva Helsingiæ O'demothia a seditiosa plebe interfectum, utrumque martyrio coronatum in comperto est.

OLAVS cognomento TRIBVTARIUS REX Svetice SKOTKONUNG

Erici modo dicti frater (qvidam filium eius fuisse volunt) primus Christianus Svedorum rex in qvibusdam annalibus laudatur, non qvod ordine primus fuerit, qvem fuisse Beronem tertium, suo loco diximus; sed qvod principem locum inter eos Sveonum reges habere meruerit, qvi Christianæ religioni se tunc devoverant: tam fideliter in ea perstitit,

stitit, & tam serio in populum eam proferri laboravit. Qvippe ad Angliæ regem Mildredum, alii rectius Ethelredum vocant, amicitiæ fœdere sibi coniunctum misit, ut qvosdam ex suis huc destinaret, vero Dei cultu Sueonum animis imbuendis habiles. Illius iussu advenerunt Sigfridus, Eschillus & David. Ab Sigfrido, qvi postea Episcopus VVexionensis fuit, rex sacræ lotionis aqva tinctus est in fonte VVestrogothiæ prope Husabyum, qvi morborum curandorum miralis clarus, fontis Sigfridi nomen accepit. Inde rex idolorum delubrum Vpsaliæ destruere conabatur. Sed obstitere non pauci, veræ religionis alieni: in quorum animis superstitio prius destruenda erat. Inter illos & regem hæc pactio convenit, ut nemo vi ad suscipiendam veram religionem adigeretur, sed probè informati & volentes in Christianorum ordinem reciperentur. Ista lenitas ad instillandam populo veram Dei notitiam severitate plus valuit: qvod svaderi religio magis, qvam imperari vellet. Circa idem tempus Olaus hortatu præsulum Romam ad Benedictum VII. pontificem misisse tributum dicitur. Hoc inde censum Romanum, vel *S.* Petri denarium, item votum Olai nuncupatum aiunt. Ille verò hinc nomen *tributarij regis* sua lingva traxit, velut insolitam istoque fastigio indignam appellationem. Alii verò Imperatori Ro. Cunrado II. censum istum subsidio missum volunt, adversus Saracenos, ecclesiam Dei in oriente tunc divexantes. Inter civilia ab hoc rege Olao hoc institutum est, ut potissimum reges eligendi arbitrium penes Sveones esset, & de illis imperii titulum reges præcipuè usurparent. Idem hîc instituisse fertur probationem rei dubiæ per candentis ferri gestationem, de qva alibi plura. In bello contra Olaum Tryggonis Norvegiæ regem Svenoni Daniæ regi suppetias tulit. Ansam bello dederat a parte regis Norvegorum, intercepta ab Svenone Sigrita (Syritham Saxo vocat, Sigridem Ericus Vpsal) Erici Victorioso olim conjunx, Olai mater, tunc vidua. A parte Danorum regis, illatæ vxori ejus sibique a rege Norvegorum injuriæ. Vt rem a principio majoris lucis caussa arcessam, ita se habet, vti annales veteres Norvegici ferunt. Nuptias Sigritæ per legatos ambit Olaus Tryggonis, animo firmandi suas opes & regnum, adversus Svenonem regem Daniæ, societate regis Sveonum. Qvum intellexisset, suum

desidc-

desiderium reginæ non planè displicere, dono ei misit ingentis ponderis annulum; qvem Nidrosiæ valvis templi paganorum a se diruti detraxerat. Hoc munus Sigrita magni initio fecit. Ast vbi deprehensum est ab aurifabris, auream tantum laminam, vel tenuem ex auro bracteam æreo crassoque annulo intus abdito superinductam esse, non parum indignata, se isto dono circumventam, Olaum Tryggonis plures sibi dolos structurum dixit, si copia sit. Ille verò animum ejus vtcunque sibi placatum & restitutum, pergit ad matrimonium pellicere, hac tamen lege, si ethnica religione deserta, nomen suum inter Christianos profiteri velit. Qvod illa prorsus abnuit, negans se discessuram ab illa religione, qvam majores ejus tamdiu coluerant; quasi sola ætas aut majorum exemplum authoritatem religioni faceret. At rex negabat sibi placere matrimonium paganæ vxoris. Inde verbis & iurgiis procedentibus Olaus commotior, chirotheca os Sigritæ percussit. Illa hac contumeliâ adeo accensa est, ut istam alapam ipsi vitæ impendio constituram increparet. Nec minas planè muliebres fuisse, eventus ostendit. Olao enim rege Norvegiæ repudiato, Svenonis Daniæ regis coniugium prætulit, eumque instigavit in Olaum, & ad istam contumeliam armis ulciscendam. Quam asperabat illud quoque, qvod Olaus postmodò sororem, vel ut alii, filiam Suenonis ipso inconsulto & invito, duxerat in matrimonium. Nec melior belli fortuna fuit Olao regi Norvegiæ, quam quod in eo cæsus ac superatus, ne vivus in hostium manus veniret, ê navi in mare se proiecit, atque undis haustus interiit. Regnum verò Norvegiæ iustis præsidiis firmatum aliqvamdiu Olaus SKotKonung, fortè in remunerationem auxilii Dano præstiti, possedit. Progressu temporis aliud Olao Suconum regi bellum cum Olao Haraldi rege Norvegiæ, â morte sua inter sanctos relato susciatum est. cuius caussa hæc erat: qvod pater Olai Haraldus GrönsKius opprobrio contemti sui regni præ regno Suetico, dum Sigritha negarat se possessiones suas proprias & hæreditarias cum toto Norvegiæ regno permutaturam, aliisque contumeliis ab ea lacessitus, vindictam meditabatur. Sed festinata nece â Sigritha præventus & sublatus dicebatur: quum doliscius, bene potus ad Vpsaliam incendio periisset.

Istud

Istud bello ultum venit Haraldi filius S. Olaus, & ut recuperaret, si posset, Norvegiam â rege Sueonum, ut ante diximus, occupatam. Classe Suediam ingressus, magis cum agris, pecoribus & villis, qvam hominibus bellum gessit, omnia circumquaque depopulatus ad lacum vsqve tunc Logen, nunc Melerum dictum. Inde Sigtunam progressus, ponte amnem stravit, per qvem traduceret exercitum. Sed rex Svediæ contra eum justo cum exercitu egressus, catenaferrea per lacum Stocsundium trajectâ præsidiisque positis, ei intercluſit reditum ac tutum receptum. His anguſtiis circumventus Olaus Haraldi, consilium quod præsens necessitas subjecit, ex tempore capit, & ad Agnifitiam ab Agno Dageri filio ita dictam, postea Stocholmiam â Stocsundio adpellatam, depressiori solo, vbi nunc flumen est australe, noctu magna suorum industria & celeritate perfosso, & aqua denso imbre adaucta, extraxit se cum classe sua, salvusque hinc evasit. Lacui isti postea regii freti nomen ex ista occasione fuit. Ita ex manibus & insidiis hostium prorsus inopinantium elapsus, qvum Gothiam, Finnoniam, Frisiam, Angliam, aliasque peregrinas oras peragrasset, tandem ad suos in Norvegiam reversus est. Illos ad suum imperium revocare aggressus, persvadet amicis & propinquis, sibi auxilio esse: ut regnum exterorum manibus eripi, & in pristinum libertatis decus regique indigenæ restitui possit. Inde collectam multitudinem, renunciata regi Sueonum fide, in sua verba tanquam veri regis jurare voluit. Anteqvam id præstarent, pro populo Brynolfus Elephantus in hanc sententiam verba fecit: *Satis indigenas perspectos habere veros & veteres inter Norvegiam & Suediam limites, ex quo Gotolphus eos distinxerit, usque ad Vennerum, & inde versus boream usque ad nemus Eidaa, & inde per campos Kyllenses usque ad Finmarchiam. Hodie Olaum Sueonum regem Norvegiæ fines ad Suinesundum possidere. Se qvidem inficias ire non posse, quin plerique animi subditorum imperio Haraldi filii regis patrii, qvam extranei sint promtiores. Sed haudsatis virium in promtu esse ad tuendam regnum & libertatem adversus potentiores & tã propinquos hostes: qvum rex Norvegiæ sedem imperii longius ad aquilonem positam, & â subsidiis regni remotiorem habeat. contra regis Suediæ ditiones Norvegos proximè contingant, ad orientem & septentrionem. Id-*

circo ipſius eſſe providere, qvam inſiſtat rationem illos jugo regis Sueonum quam commodiſſimè eximendi. Qvod ſi posſit, ipſos ultro ad regis imperium & obſequii ſui fidem redituros. Olaus Norvegus eorum animos approbat, & copiis ac pecuniis, quotquot in præſens poteſt, apparatis, præſidia Suedica regno expellere conatur. Ceterum quum rex Svediæ Suenonem Comitem præfeciſſet illis ditionibus Norvegiæ, quas adhuc imperio tenebat; ejuſqve fidem ſibi affinitate obligaſſet, ſorore ſua Holmfrida ei in matrimonium elocata; hunc debellare ſatis arduum factu fuit Olao regi Norvegorum. Quippe cum viro, vitam potius quam arces & propugnacula ſibi commiſſa deſerturo, ipſi res erat. Interim rex Svediæ per ſuos procuratores Torgoterum Scardium & Aſgoterum cenſum annuum imperabat Norvegis: quem Olaus Haraldi jam exegerat. Ideo duplex onus, ut intolerandum, ſubditi detrectabant. Sed & rex Norvegiæ regi Suedorum ullum tributum â Norvegis, in qvos nihil juris haberet, deberi negabat. Qvin Aſgoterum domum abire & regi ſuo nunciare jubet, ut ipſi in confinibus regnorum occurrat. Ibi ſe cum illo experturum, vtri major in regnum Norvegiæ poteſtas eſſet. Aſgoterus autem pertendit in Norvegiam ad Guledalios & Orcedalios, exigendi tributi cauſſa. Sed qvum conatu excidiſſet, motuſque inſuper graves in plebe concitaſſet, regis juſſu captus & in crucem actus eſt. Paucis interpoſitis diebus in tumultu itidem trucidatur Eiliſus Gothus, regis Sveonum ibidem præfectus. Torgoterus verò quum exſpoliaſſet naves Eivinderi Vrarhornii, primi nominis apud Norvegos viri, tunc abſentis, & prædam ſecum abripuiſſet; mox re cognita, Eivinderus eum veſtigiis inſeqvitur, ad limites uſque & promontoria Sveciæ: ubi collato pede, occubuit in pugna Torgoterus. Ob has acceptas injurias & damna Olaus tanto adverſus regem Norvegiæ odio ferebatur, ut, qvotiens ejus mentio incidebat, nollet eum dignari nomine regis, ſed craſſum hominem per ludibrium appellaret: erat enim obeſitate corporis prætumidus. Nec aliquem ex ſuis ipſum aliter nominare æquo animo patiebatur. Inſignis verò ultionis occaſionem animo ſecum peregit. Quod prævidens populus Norvegicus, ne grave bellum adverſus ipſos viribus minores oriretur, malum

amica

amica conciliatione declinandum, & pacis fidum pignus regis Suediæ filiam Ingridem Olao regi Norveg. in matrimonium petendam decrevit. Populi mentem Biörnus Satrapa regi exponebat, qui ab hoc consilio quoque non alienus fuit. Itaque de communi sententia Biörnus in Gothiam mittitur, ad dispensandum ibi Ragvaldi Comitis & civium animos ad pacem. Hialtus Comes emittitur in Suediam, pro sollicitanda ipsa pace & regiæ filiæ nuptiis. Sed ut facilius aditum commendationis sibi ad regem hic valde difficilem quæreret, vsus est duorum parariorum Gitzuri & Ottonis Suartiorum opera: qui ambo Islandi apud regem gratiosi erant. Quum enim professione Scaldi essent; ita Scandianis olim poëtæ dicebantur; & regis gesta carmine decantarent, ob istud humanitatis studium rex eos dignè æstimavit & liberaliter fovit. Inprimis regis filiam Ingridem caussæ suæ patronam nactus est Hialtus. Nec illa patri suo istud negotium pacis, uti rogata erat â legato, commendare, occasioni intenta, neglexit. Sed quum istam commendationem neutiquam in gratia rex haberet, malè accepta est â patre filia, & quidem hoc responso: *Video quid moliaris Ingris, ut possessione Norvegiæ dimissa, te collocem Olao crasso. Sed hoc frustra speras. Aliud ego cum mente mea volvo, ut nimirum proxima hyeme in judicio Upsaliensi edicam expeditionem militarem. Enimverò simul ac remiserit frigus, & glacies aquis decesserit, classem armis & milite instructam in Norvegiam ductabo, & ferro flammisque istorum hominum perfidiam, uti merita est, ulciscar.* Sic illa spe decidentes legatus & Ingris, re irrita abierunt. Nihilominus denuo rediit in Sveciam Hialtus cum Biörno, ejusdem negotii aleam secundùm experturus, si forte iterata vice felicius caderet. Sed præmisit qvosdam suorum Upsaliam ad Ingridem, eamque evocavit ad colloquium in proximo agro Vlleriano: ut exploraret, quo pater ejus animo in regem suum esset. Nam virginem non abhorrere ab Olai nuptiis, jam ante compererat, si modò pater ejus flecti posset. Quem quum immotum cernerent, satagentibus amicis, Ragvaldi Gothiæ occidentalis Comitis, cui ob sanguinis conjunctionem propior cum Rege usus erat, authoritate, regium tentare animum atque, si posset, expugnare ê re visum est. Ille ad hoc inductus quidem, sed sibi soli non satis fidens, cum Torgnyo agnato & educatore

ſuo, judice provinciali Vplandiæ, magnæ exiſtimationis & fidei apud ſuos, expertæque prudentiæ viro, rem tantam communicat, & quid rex Norvegiæ per legatos ſuos petat, & quam indigno reſponſo rex Sueonum eos repulerit. Conſultatione ultrò citroque habita, rem vtrique regno ex uſu futuram in foro & conventu Vpſalienſi ſerio tractare complacet. Itaque frequenti iſtic populo, conſilium habetur. Primus ſurgit Biörnus legatus, & cujus rei cauſſa adſit, exponit: *ut nomine ſui regis quærat pacem, & deſcriptionem terminorum utriuſque regni regiæque filiæ nuptias.* At nihil horum Olao placet. Omnia cum ſtomacho ſævisque dictis rejicit. Mox Ragvaldus comes Veſtrogothorum ſuorum promit ſententiam: *Quod illis videatur præſtare pace facta, quantacunque regni Norvegici poſſeſſione cedere, quam in perpetuo metu ac periculo propinqui belli & excurſionum hoſtilium verſari. Pacis autem fidum vinculum fore matrimonium Ingridis cum rege Norvegiæ.* Sed & Comitem rex aſperis verbis excepit; eum ab imperio Ingeburgis vxoris pendere exprobravit; in cujus officina hæc conſilia fabricata eſſent. Tandem cum ſenex Torgnyus ad dicendum ſurrexiſſet, univerſa ſe multitudo movit: ut, quod ille in medium conſulturus eſſet, intentis animis & auribus acciperet. Ille verò regis faſtum & pertinaciam acrius increpabat: *quod contra morem anteceſſorum ſuorum populi & amicorum conſilia ſperneret, & neminem niſi ſe dignaretur audire, quodque ſibi ſoli placeret. Si ejus voluntas populi ſententiæ congruat, eos in omnibus, quæ e re regni, regis virtute & ſua fide digna ſint, ultrò regi præſto futuros. Si ſecus fecerit, contemtoris animi atque faſtus non ferendi pœnas daturum.* Ad dicta plebs, quæ armata in concionem pravo iſtius ſeculi more venerat, ſcutis concrepans, animorum & indignationis conſenſum oſtendit, & niſi rex eorum ſententiæ accedat, vim haud abfuturam. Rex ne populi furorem in ſe concitaret, offenſam celavit, & ſe in plebis ſententia fore, verbis & re, ut videbatur, adfirmat: dum pacis fœdus, & filiæ nuptias per amicorum principes legatis regiis & per hos ipſi regi ſolenni ritu pactus eſt. Vtriuſque hîc peccatum, prorſus haud excuſandum agnoſcimus, regis & populi. Rex enim licet haud injuſtas vel negandæ vel differendæ pacis cauſſas,

cauſſas, nullâ vel incertâ Norvegorum ſatisfactione, habere videretur, nec abſque illâ regno Norvegiæ concedere fas duceret: nimis tamen pervicax animi erat adverſus amicos & plebem haud abſurda conſulentes, atque retinens odii in hoſtes pacem & amicitiam efflagitantes, nec indignis forte legibus, ſi pactionem inire placuiſſet. Populus verò immodica oſtentatione libertatis & virium in regem palam ferox, violenta authoritate, licentia, minis & manu extorquere conatur, quod modeſtia & ratione obtinuiſſet. Itaque res eò tandem evaſit, vt rex qui cogi nolebat, quieſcentibus turbis, quod promiſerat, reſcinderet. Plebs contra niteretur, & ſententiam ſuam contumaciter urgeret. Quod non niſi motus & offenſas alebat, atque extrema mala reipub. minabatur. Proinde ſucceſſores reges & rerum prudentes utrumque abruptum ita temperarunt, ut in gravioribus regni negotiis reges etiam amicos audirent: quum oculi plus videant, quam oculus. In illis verò quæ ad commune bonum vel vniverſos ſpectarent, non unius, nec paucorum aut plebis arbitrium ſolum eſſet, ſed ex omni ordine ad ſtatum locum â ſupremo magiſtratu convocati, cum judicio, unanimiter & maturè in rem patriæ diſcuſſa, tandem rata haberent. Nimia verò plebis poteſtas juſto deinceps imperio cohibita eſt, & effræni libertati leges modum poſuerunt: ut ſubditis magis utilis, nec Principibus eſſet formidanda. Sed ad rerum ſeriem redeamus. Aliquando rex primo mane quinque perdices facili certoque ictu feriens, filiam Ingridem rogabat, num alium quemquam tantillo temporis ſpatio tot aves cepiſſe fando audiviſſet. Illa verò Olaum Craſſum uno mane quinque regulos in Norvegia cepiſſe, & ditionibus exuiſſe reſpondit. Quod filia amorem erga ſperatum adhuc ſponſum tegendi imprudens, ſupra patrem efferret Olaum Craſſum, quem ille habebat inimicum: qvum Principes ne amicos quidem ejuſdem gradus ſibi gloriâ præferri, quia antiſtare cæteris volunt, æquis animis ferant: pater vehementem in modum excandeſcens, negavit ſe permiſſurum, ut Ingris in manum ac matrimonium iſtius Craſſi, cujus amore nunc ſtolidè duceretur, unquam deveniret. Ita utrinque diſceſſum eſt. Interim Olaus Ingridis

adventum in Norvegiam, & novum matrimonium ex pacto, sed frustra præstolatur. Qvippe Iarislavus Russiæ Princeps postmodum Ingridis nuptias per legatum expetit, atque ex animi sententia potitur. Rex Norvegorum hanc repulsæ injuriam armis vindicare cogitabat. Et novi motus exorti fuissent; nisi remedium expiandæ offensæ oportunò repertum esset. Inter Sigvaterum Scaldum, qvi ad Comitem Ragvaldum eo nomine in Gothiam occidentalem profectus erat, & ipsum Comitem convenit de Astride altera Olai regis Sveonum filia, sed ex Vendica uxore progenita, Ingridi subroganda, & Olao Crasso in certam matrimonij spem offerenda. qvod ipsa qvoque virgo non nolebat, etsi inscio tunc patre: qvem Ragvaldus, ut obstinatum, hîc præteribat. Hac de re postquam Olai Crassi animum per suos excussisset Ragvaldus, in Norvegiam iter facit. Vbi humaniter exceptus ab Olao rege, cum eo Astridis nuptias solenniter paciscitur, hac conditione: ut tantundem dotis Astridi tribuatur, quantum Ingridi destinatum fuerat. Et qvæ erat Olai regis Norvegorum animi moderatio, promto affectu conditionem accipit, & cum ea Astridem, quamuis succedaneam; manfuetam tamen, disertam, decoris & regiis planè moribus virginem. Sequenti vere advenerunt legati Iarislavi, vt ex lege pacti domum ducerent Ingridem. Hæc constituta sibi dote, qvum pararet discessum, â patre rogatur, qvem sibi præcipuum itineris comitẽ adiungi velit. Illa Ragvaldum Vlfonis agnatum suum desiderat. Hic rex offensus, se aliud Ragvaldo iter parasse ait, nempe in gabalum: quia ipsum circumvenisset in filia Astride Olao Crasso inimico suo clam despondenda. Supplicium istud Ingris deprecata, obsecrat parentem, ut maiori incommodo vitando & regiæ existimationi tuendæ fidem servare velit: qva regio nomine regi desponsata sit Astris. Rex aliqvanto mollior precibus Ingridis excedere regno Ragvaldum iubet, nec unquam in conspectum suum redire. Qvod Ingris Ragualdo per suos significat, & locum ubi convenirent. Ille in Gothiam orientalem concedens, ibi cum instructa classe obviam procedit abeunti virgini, atque in Russiam comitatur. Vbi â regina bene habitus, odio metuque regis procul, tranqvillè

qvillè vixit. Post dlsceſſum Ragvaldi, conqueſti ſunt Gothi de difficili duroque regis animo adverſus ipſum alioſque qui cum eo fuerant, in amicitia cum rege Norvegia contrahenda. Querelæ, ſermones & fremitus vulgi ita creverunt, ut jam nutantes, in regem Norvegiæ ejuſque imperium inclinare viderentur. Sed huic & aliis incommodis ſaniores Emundum Gothiæ occidentalis judicem, virum prudentem, facundum & egregiæ dignationis apud regem, moderato ſalutarique conſilio præſtruere orarunt. Quod ille, ut bonus patriæ civis, in ſe recepit, & ad regem ea cauſſa ivit. Poſtquam Vpſaliam venit, ingreſſus aulam, regem debito officio colit. Rex comiter eum excipiens, quæſivit, Ecquid novi? Reſpondit Emundus: *Nihil apud nos Gothos novi jam occurrit, niſi quod Otto ſtolidus Vermelandus, bonus alioqui venator, proxima hieme feras inſectatus, tot corpora percuſſit, ut traha vix caperet exuvias eorum. Cum hac præda dum domum pergit, in via incidit in ſciurum: quem relicta traha inſequutus, fruſtra ſagittis petebat. Vbi enim denſiſſimum nemus erat, ab una arbore in aliam modò tranſiliens, modò deſiliens, ictus petentis ſubinde eludebat. Hoc ipſi bilem movit, certo non prius quieti ſe dare, quam vile illud animaiculum, quod tantum ipſi negotium faciebat, neci dediſſet. Idcirco noctem diei addit, indefeſſus perſequendo; & tamen fruſtra fuit. Tandem ſpiſſioribus tenebris obortis, reliquam noctem in nive decumbit. Altero mane repetitum veniens relictam trahaam, nuſpiam reperit. ita vacuus domum revertebatur. Hujusmodi nova habeo, Domine.* Ad quæ Rex: *Hæc non ſunt tanti.* Repoſuit Emundus: *Aliud nuper accidit, quod eſt commemoratione dignum. Gotho Toſueſonius cum quinque navium bellicarum claſſe enavigabat ad Gothelfum; quæ cum ad anchoras ſtarent in Ekerödd, totidem ingentes naves Danicas obvias habuere. Cum his in conflictum deſcendens Gotho, quatuor illarum expugnavit, agmen hoſtile fudit, & inſignem prædam fecit. Quinta tamen navis vela dans ventis, evaſit. Hanc, reliquis miſſis factis, ſubſequitur Gotho: & propius premens, jam in poteſtatem ſuam accepiſſet, niſi ſubitò exorta procella ei remoram injeciſſet. Interim iſta quinta navis, adſpirante vento citatoque curſu elabitur. Sed Gotho vela retro vertens, procella ingraveſcente naufragium patitur, rerum & hominum in Læſöo jacturam facit. Reliqui ſocii a tergo relicti, dum opperiuntur, a ſuperveniente ho-*

stili classe numero ad quindecim aucta, exuuntur navibus, præda, milite. Sic ipsi profuit habendi studium: dum æqua parte non contentus, omnibus inhiat, omnia perdit. His auditis rex: *Hæc inquit, narratio est memoria digna. Sed quid hic negotii habes Emunde?* respondit Emundus: *Vt tuam rex sententiam & legis Vplandicæ mentem accipere liceat de intricata lite, quæ hujusmodi est: Duo nobiles pares ortu, sed dispares opibus contendebant de bonis suis, & jurgia ad rem conferentes, non levem sibi noxiam intulerunt: maiorem tamen dives tenuiori. Hinc lite in forum delata, caussa dicta & cognita, secundum egenum pronunciatur: ut ei dives æstimationem litis præstet. Locuples autem non ex præscripto sententiæ ipsi satisfacit; sed animo morem gerens, anserem pro fœmina, porcellum pro porco, pro una uncia auri dimidium marcæ, pro altera lutum & pulverem reddit; additis insuper duris increpationibus. Quid iudicii fers de isto negotio?* Rex lite strictim inspecta, sic iudicabat: *ut sententiam calumniatus, integram dependeret mulctam, uti iudicatum erat & regi triplum: quod nisi intra præfinitum tempus fecerit, proscriberetur, & publicarentur ejus bona, dimidia parte fisco, altera actori addicenda.* Super hac regis sententia Emundus appellatis testibus, discessit. Ad vesperam in cœna secum esse Emundum rex volebat, sed progrediente lætitiâ in mensâ, intervenit ejus oblivio. Postero die rex ad eum misit. Sed jam abierat. Hæc ex annalibus Norvegicis S. Olaï nondum editis, veteri Norvegica lingua scriptis, qui nobis istud colloquium primo intuitu simplex, sed sensu reconditum & prudens, meroſque Emundi apologos redolens servarunt, ex fide retuli. Equidem interesse credebam & posteritatis memoriæ, & majorum laudis: qui, quotiens usus erat, non solum animum liberè quod sentirent dicendi, sed etiam ingenium habuerunt, ê re moderandi orationem ad potentes: præsertim ad pertinacium & offensioni proniorum aures. Nec interim tamen servili adulatione fraudem veritati fecerunt; etiamsi eam non nudam, sed quadam verborum veste tectam proposuerint. Qvod nec vetustioris ævi piis & sapientibus inusitatum fuisse accepimus. Etenim quod Torgnyus mordaci vero horridè prolato non potuit apud contumacem regem, hoc quadam dictionis pictura & non ingrata illecebra persvasit Emundus: uti eventus,

tus, explicatis & detectis exemplis, fictis quidem sed ad veri imaginem compositis, edocebat. Inter duodecim amicos regis vel senatores regni tres erant germani fratres, Arvidus, Torvidus & Freividus; qui singuli aliquo corporis vitio insignes, mentis tamen donis præstabant: isque æstimati â rege, ipsi regnoque ornamento & usui fuerunt. Arvidus erat cæcus, & tamen disertæ liberæque linguæ. Torvidus balbus, vix duo verba citra hæsitationem pronunciare poterat, & tamen fortis & prudens erat. Freividus surdaster, qui nihilominus ingenio valebat. Ita Deus damna corporis animi bonis abundè pensarat. Ex his postero die rex quæsivit, quorsum pertinerent istæ narrationes Emundi. Illi regem secum ipsum meditari & investigare rogant. Et quidem, dum oculos & mentem ad eruendum eorum sensum paulò longius mittit, inde infit: *Per binos istos nobiles divitem & tenuiorem qvos de facultatibus suis litem moviſſe aiebat, ego forsam & Olaus Craſſus tangimur.* Respondent amici, se qvod res erat, divinasse. *Sed quid hoc,* inqvit, *quod â lite victo anserem marem pro fœmina, porcellum pro porco, lutum pro auro victori redditum dicebat?* Ad hoc Arvidus cæcus: *qvam disparia hæc omnia sint, vides; magis tamen rex & subditus, dominus & servus. Tu promiseras Olao Crasso in matrimonium filiam tuam Ingridem, regio sangvine tam materno qvam paterno nobilem: nunc contra fidem datam ipsi nuptui das Astridem: qvæ licet sit regis filia, tamen ex humiliori & Vendica matre nata est. Ingenium qvoque tuum & Olai Crassi non parum discrepant. Tu audes ipsum fallere promissis & inæqualibus nuptiis; ille tamen hoc æqva fert mente & se minorem te agnoscit.* Rex instabat sciscitando: *qvid tandem denotaret Otto ſtolidus?* Hîc pro se quisque in adstantes cum silentio oculos coniiciunt. Sed rex urgebat responsum. Itaq; Torvidus balbus raptim protrudit verba in hanc sententiam: *Ottonem esse cupidum, avarum, ulciscendi promtum, dissimulatorem & callidum.* Rex quò hæc valerent, interrogat. Inde Freividus: *citò hoc effabimur, modò pace tua fiat.* Rex liberè illum dicere jubet. Tum ille: *Frater meus Torvidus, qui est ſapientissimus nostrum, illum vocat ſtolidum, cupidum, aliisque dictis, qui non potest tolerare pacem & quietem. Qui appetendo parvum, quod adipisci nequit, perdit majus meliusque, quod ante possidebat. Etsi vero audiendi sensu parum valeo, intellexi tamē id multos ex amicis & subditis tuis ægrè habere,*

quod non servasti fidem regi Norvegiæ, & veniſti contra populi ſententiam. Quamdiu amicos & fidos habes ſubditos, non eſt quod metuas vicinos alioſque reges, aut regno tuo. Sed ſi graviter offenſi cives adverſus te exſurgant, inopes conſilii erimus. Hîc rex interpellans quærit, quinam ſint authores ſeditionis. Freividus: *Omnes*, inquit, *idem volunt: nimirum priſca ac recepta lege ac libertate uti. Ex duodecim Senatoribus tantum ſex vides adeſſe: reliqui abiere ad ciendam multitudinem. Qui & nos in partes ſecum vocare conati ſunt; ſed nobis mentes more majorum rectæ ſtant, abhorrentium regis proditionem.* Rex, quid conſilii in iſto rerum diſcrimine capiendum ſit, percuntatur. Datum eſt conſilium: ut in Melcro ſe claſſi committat, eique tot viros imponat, quot eum ſequi velint. Et ſic emiſſis ad ſubditos fidiſſimis amicorum & conſpicuis, offenſorum animos demulceat, nec ſuperbia & contemtu, ſed moderatione animi adverſus collectam multitudinem utatur, & regia comitate accipiat, eamque confirmet de juris & legum cuſtodia, atque libertatis tutela. Hoc conſilium amplexus, ejus exſequendi negotium dedit dictis fratribus, quos maximè fidos noverat. Ipſe navim ingreditur cum ſuis. Sed Freividus & Arvidus excurrentes in agrum Vllerianum, ſecum ducunt Iacobum regis filium; quod nomen, S. Iacobi die nato inditum erat. Verum Sveonum regibus inuſitatum, poſtea in Amundi nomen commutarunt. Vocata in concionem multitudine, legati præ ſe tulere, quaſi cum populo contra regem facerent: eâ ratione facilius invaſerunt eorum animos, & Vplandos cum reliquis in unum conſultare, rogarunt. Non enim neceſſe eſſe prius corrogare ſententias Gothorum, ſed ex more primas dicendi partes eſſe judici provinciali Vplandiæ, poſteriores reliquis. Qvum Vplandi conſilio habito rogarentur ſententiam, initio plerique clamabant, imperio regem abdicandum, quod verum audire ab amicis nollet. Emundus rogatus, quem ille cum ſuis Gothis vellet regem, aliquem ex ordine præfectorum eligendum, reſpondit. Sed medium conſilium tandem placuit, decretumque eſt, ut Amundus cum Olao patre diviſum imperium teneret; at ſi quid Olaus hoſtile machinaretur, cives adverſus vim ejus Amundus defenderet: ut pax itidem & concordia cum rege Norvegiæ ſanciretur.

retur. Ita turbæ componebantur, & â periculo capitis trium fratrum prudentia & fide rex liberabatur. Olaus verò cum bene longum tempus patriæ præfuiſſet, rebus humanis exceſſit, corpore ejus monumento ædis Lincopienſis illato. Rex cetera animo magnus, in hoc ſe minor fuit, quod præceps ad animi motum & vindictam, impotenter iraſceretur, atque implacabilioris animi eſſet.

AMVNDVS cognomento ANNOSUS, aliàs CARBONARIUS

OLai SkotKonungs filius, diu vitam produxit. Carbonarii cognomen nactus eſt, quod legem tulerat de incendenda parte domus aut totis ædibus delinquentis, pro noxa damnive dati portione. Quæ tamen pœna plus ſeveritatis quam rationis habuit: qvum noxa non ex æquo reſponderet, nec actoris vel alterius commodo cederet; ideo non diuturna fuit. Iuvenis à patre & Olao Haraldi rege Norvegiæ in Chriſtiana fide & regiis virtutibus ſedulò educatus, florentem & tranquillum imperii ſtatum habuit. Niſi quod adfinis ſui Olai Haraldi armis, ex lege fœderis, adjutandi cauſſa, bello ſimul implicatur cum rege Daniæ Canuto; qui â Norvegis auxilio vocatus erat, in bello contra regem ipſorum ſuſcepto: quod in exſtirpanda idololatria & vera religione inſtituenda, eos durius ac ſtrictius, publicatis eorum bonis, habere videretur. Hoc quum accepiſſet Vlſo Torchilli Sprâkaleghi filius, qvem noſtri annales Svedum, Pontanus & Meurſius hiſtoriæ Danicæ ſcriptores Anglum fuiſſe volunt; fama fortitudinis & ingenii facilem ſibi acceſſum ad amicitiam Canuti, qui tunc in Anglia erat, fecit. Ab eo ſimulatione obſequii & promiſſa opera in bello contra Svedos & Norvegos navandâ, etiam in intimæ conſvetudinis vſum receptus, commendatur Eſtridæ ſorori regis in Sialandia degenti, cum expreſſo mandato ad eandem, ut quidquid Vlſo deſideraturus eſſet, illa non abnueret. Idque ſpeciem promovendi ejus inſtituti in belli apparatu, habere videbatur. Sed ille literis pro nuptiarum conciliatione abuſus eſt. Dum enim percontatur

tatur virgo, qvid peteret; conjugium ejus se velle indicat. Quod haud magno negotio impetravit à virgine, sic tacitè à fratre jussam existimante: aut facile credente, qvod non ingratiis faceret. His peractis, transit cum nova conjuge in Sueciam. Consilia Canuti detegit Amundo, qvem junctis cum Olao viribus, suâ itidem operâ sociatâ, Daniam absente Canuto rege, & imparatis civibus, opportunò petere monet & persvadet. Nec mora. paratur classis, exercitus, commeatus. Expeditio hoc ordine præfinitur, ut Olaus in Sialandiam moveat, Amundus terra Scaniam, Vlfo mari invadat. Hi si impetum subitò in Daniam fecissent, & tempore ac fortunâ uti sciviſſent, quid non diripuissent, & quam prono successu bellum patrassent? Sed dum Olaus in Sialandia spe deditionis hostium & promissis attinetur, donec classis Canuti ex Anglia adventaret, occasio ab illis ad hostes abit. Interhæc, ubi Canutus cum instructissima classe adest, Amundus in Scaniam pergit, eamque terrestribus copiis occupat. Qvod ubi comperit Canutus, recreato exercitu navali, Amundum petit, & instructâ acie collatisque signis ad Stangam montem eum profligat. Qvidam, æqva manu prælium commissum tradunt. Reliqvum agmen adversus Vlfonem mittit, qvi Helgam flumen tenebat. Hîc in conflictu navali non procul Calmariâ Vlfonem objicibus & aggeribus aqvam stitisse, & instante hostili classe, iisdem solutis & fluxu undarum laxato, partem navium hostilium depressisse; partem igne perdidisse qvidam produnt. Annales autem Norvegici hujus consilii & insidiarum authores ferunt Amundum regem Sveciæ & Olaum regem Norvegiæ. Vlfonem verò suum exercitum hosti superfudisse, eumque in fugam vertisse. Alii contra memorant, Vlfonem in adversa Helgæ insula, ubi naves hostiles aditu prohibebantur, cum suis copiis consedisse. Danos verò alveum vicinum, per quem adversus Vlfonem traducerent exercitum, ponte junxisse. Qvo ferme confecto, Vlfonem cum suis procurrisse, simulando subitam in castra hostium irruptionem. Danis autem animo defendendi pontis & castrorum suorum occurrantibus pontemque insidentibus, Vlfonem studio cessisse: ut destinato eos exitio daret. Mox enim subruto arte pontis fundamento, prolapsos ac submersos

sos fuisse. Nonnulli, non ferente onus ponte ac interciso periisse, memorant. Tam diversè diversi referunt. Post hæc Canutus redintegratis copiis, & adversæ partis navium militumque pluribus ad defectionem largitione tractis, universam belli molem in Norvegiam vertit. Eam viribus destituto rege, & incolarum ancipiti fide, non difficulter occupat. Hîc Amundus in adversis Olai, nec ipse ei opitulando damnorum planè expers, fidei tamen constans, eum, si placeat, regio apud se cultu habere velle, vel partem ditionum suarum, ad vitæ aulæque subsidium ipsi offerre. Sed Olaus laudata ejus benevolentia, fortunam denuo tentat, etsi irrito conatu. Proinde tandem profugus huc in Nericiam, uxore & filia Vlfida apud Amundum relictis, inde in Russiam ad Iaroslavum affinem suum, suppetias petitum cum filio suo Magno se confert. Ab eo, nec minus Amundo, & fratre Haraldo aliisque exercitu & pecunia adjutus, recipit se in Norvegiam. Interim dum ambiguis Norvegorum sententiis de restituendo in regnum Olao certatur, a Canuto Norvegis auro corruptis, qvorum principes erant Torstanus, mercator simul & architectus nauticus, homo ferox & audax, Toro, cognomento Canis, & Enerus cognomento Vitulus, quibus pecunia fide carior erat, in domestico tumultu ad Stiechelstadium opprimitur, nec tamen inultus cadit. Hoc ex occasione tangere visum, qvod annales Norvegici fusiùs memorant. Istum Olai excessum tanto mœrore adfeciſſe Amundum, ut mortem ejus haud longo intervallo subseqvutus sit, nonnulli volunt: quod amicè adeo in vita conjunctos vix ipsum fatum divideret. Alii verò longiùs extendisse vitæ spatium produnt.

AMVNDVS vel EMVNDVS
secundum quosdam, cognomento VILIS

Ob illegitimos natales, ut nonnulli autumant, ut alii, ex ignavia & imprudentia dictus: quod Scaniam à Gothia tam imprudenter distinctis limitibus secrevit. Nonnulli *Slemma* quasi dissipatorem cognominatum volunt, aut dilapidatorem: qvod iniquæ limitum distinctioni subscribendo, Scaniam,

Scaniam, Blekingiam & Hallandiam regno Gothorum avulserit: qvæ ei antea conjunctæ fuerant, regnique Svedici termini se olim, vt perhibent annales patrii, ad medium fretum Öresundæ porrigebant. Hanc limitum designationem quanqvam pro fabula habet Iohannes Magnus, ubi de hoc rege agit, tamen non solùm leges Scaniæ, sed etiam occidentalis Gothiæ, aliique scriptores eam constanter adfirmant. Et ne dubitationi locus ultra sit, nomina eorum, qvi finitores limitum fuere, in dictis legibus ordine recensentur. A parte Suedorum delecti sunt Takaldus ex Tiindelandia vel Tiihundria, gentis appellatione, qvæ sunt decem præfecturæ Vplandiæ septentrionalis. Botvidus ex Fiedundria (in qva est Enecopia) à quatuor præfecturis nomen nacta. Gaso ex VVestmannia. Grimaldus ex Gothia orientali, Nannus ex Smalandia, Tostanus ex Gothia occidentali, Tolo ex Vplandia. Danorum à parte lecti Toto & Tocho ex Iutia, Gymkillus ex Sialandia, Dano ex Scania, Grimito ex Hallandia. Nec minus finita ab illis loca exertè ponuntur. Primum in Suntruasi saxum, limitum distinctorem collocarunt, alterum in Danebekia, tertium in Kinnastenio, qvartum in Iuraesnäsi, qvintum in Huitstedio, sextum in Brimsästenio, inter Blekingiam & Moringiam, non Norvegiam, vt Iohannes Magnus existimabat. Ex ista limitum positura, Canutus rex Daniæ Scaniam suo regno vendicandi occasionem sumsisse memoratur. Quod regni Suediæ ordines non ferendum judicantes, Amundo authores fuerunt, ut armis eam ex lege regni repetitum eat, qvam sua temeritate à regno Suediæ divelli passus sit. Ille qvidem eorum consilio cogit exercitum & in Scaniam traducit. Sed Canutus ei obvius in ponte Stångapelle cum toto ferme exercitu eum fundit ac fugat. Ita non meliori fortuna in recuperando, quam prudentia in perdendo Amundus utebatur.

HAQVINVS RVFVS.

ETsi capillis ruber, candidis tamen moribus erat. Gothiæ occidentali suos natales debet, in villa Levenensi, territorii VVista, nobili isthic stirpe. Qvum à Gothis regno designatus, sed à Svconibus, quibus potius eligendi jus ex lege

Olai

Olai erat, Stenchillus antehabitus esset: ne novis motibus materia præberetur, unius tamen regni corpus unius animo regi, publico conduceret; cum Stenchillo egit, ut tantisper privatus degeret, donec ipse jam ad extremum ætatis vergens, morte suâ locum ipsius successioni feciſſet. Et qvæ erat modestia Stenchilli, incruentum exspectare, quàm cum civium sangvine imperium qværere maluit. Agebat Haqvinus vitam & regnum pacificum: cum Scipione & Antonio præoptans unum civem servare, qvàm centum hostes occidere. Qvum tredecim annos imperium benignè moderatus esset, consentaneum vitæ placidumque excessum habuit; eandem post fatum qvietis, quam ortus sedem nactus.

STENCHILLVS II.

Olai nepos cum omnium applausu regiam functionem susceþit, altiori fortuna vel ob modestas cupiditates dignus. Vt à puero ad sincerum Christianæ religionis amorem eductus erat, sic in virili ætate ipsa re eum profitebatur. Adversus imminentes persecutionum tempestates, ingenuis Christi confessoribus aulam suam velut portum & calamitatis publicæ receptum aperuit. Qvando sereniora redibant tempora, ad suos cum regio munere eos dimisit. Non autem satis habuit, pietatis & religionis studio aliis exemplo esse, sed illud ad omnes subditos felici auctu diffundi connisus est. Eo animo ab Adalberto archiepiscopo Bremensi viros doctrinâ & integritate vitę conspicuos expetivit, qvi rudes rectè de Deo docerent, errantes in viam reducerent. Qvod huc missi, Deo vires & incrementum largiente, non absque singulari fructu præstiterunt. Qvum huius Stenchilli imperium in qvieta ferme tempora incidisset, reliqvas pacis artes pro viribus procuravit. Vtiles reipub. leges condidit, nervum authoritatis illis addens, ut servarentur. Hoc religionis & iustitiæ cultu se venerabilem omnibus, & charum bonis fecit. A suis, maximè VVestrogothis, amabatur: dum apud eos majorem ætatis partem agebat; ut si ex propinquo bellum ingrueret, ad illud repellendum in procinctu esset. Vtpote Scaniæ possessio non semel armis tam à nostratibus, quam à Danis disceptata est.

Nostri

Noſtri tamen auſpice ſimul & bellum adminiſtrante Stenchillo, tribus præliis ſuperiores, ius ſuum etiam fortuna fautrice adſeruerunt. Hunc regem corpore validum, jaculandi perquam experientem fuiſſe annales teſtantur. Ejus rei monumenta in Levena VVeſtrogothiæ exſtare, regium ſaxum & fulcrum, ita dictum, aliaque huiusmodi Stadzbergæ. Ceterum corporis robur & iaculandi peritiam in hoc rege extollere, iniuria quædam maiorum animi bonorum fuerit. Et nos regem, non pugilem aut ſagittarium narramus.

INGO III

Regiis animi dotibus excellens, titulum & honores regios ante promeruit, quam accepit. Vbi vero accepiſſet, cum fortuna, ut multi ſolent, non mutavit mores, ſed ornatiores reddidit. Illos eqvidem ad leges divinas & humanas ita componebat, ut vivendi diſciplinam â ſeipſo non minus qvam ab aliis exigeret. Teſtimonium â toto regno habuiſſe, author eſt Ericus Vpſalienſis, qvod nunqvam contra leges patriæ deliquiſſet. Qui ſubditorū magis ſeqvi qvam trahi volebant, eos ne rigore aſperaret, verbis & meritis flexit. Qvos verò beneficiis non poterat, metu non tam ſui qvam legum, probos & obſeqventes efficere laborabat: ne & hos coegiſſe videretur. Errore aut imbecillitate lapſis clementiam, graviter aut obſtinatè delinquentibus ſeveritatem accommodadabat. Bellum ipſi non unum fuit cum vicinis Danis & Ruthenis: quod tamen felici exitu terminabat. Scaniam toties armis vexatam, Gothorum regno recuperavit. Cum Danis pacem adfinitate firmavit: dum Svenoni regi Daniæ ſororem ſuam Giutham, vel ut alij, Gudam caſtitatis voto & monaſterii â ſe dicti Gudhemenſis in VVeſtrogothia exſtructione claram, nuptum dedit. Poſt annorum qvinque ferme imperium, de ſubactis Scanis ſecurus, nocturnis inſidiis in ſtrato peremtus eſt. Funus eius, qvaſi cum ipſo reſpublica efferretur, publico omnium luctu in monaſterium VVarnhemenſe ductum eſt.

HAL-

HALSTANVS

Ingonis frater præter alia decora, hoc præcipuum habuit, quod mitis ac sedati erat ingenii, facilis erga subditos. Aspera populi dicta, qvæ ex imprudentia seu levitate potius, qvam malitia temerè effusa videbantur, vel molliter interpretando, vel prudenter dissimulando ac contemnendo retundebat. Plura vidit qvam vindicavit, plura pœnæ formidine qvam pœna coercuit. Vnde minimum de eo qverebantur subditi, de qvo majorem querendi licentiam qvam materiam habebant. Observans amicitiæ fideique, maximè in adversis, Canutum regno Daniæ pulsum & ad se profugum, copiis adversus Ruthenos iuvit. Civibus suis in deliciis & honore erat, qvi suos adeò amabat. Qvum post sedecim annorum imperium terris excessisset, instar publici patris â civibus defletum annales perhibent. Quare minus fidei mereri videntur, qui populari tumultu regno dejectum memorant. Quibus enim animis regem tam humanum expellerent? nisi forte nimia ipsi facilitas apud perditè improbos fraudi fuerit: quum mallet non delinqui, qvam satis animi ad plectenda delicta haberet.

PHILIPPVS.

Illud tamen non exiguam publici desiderii partem levavit, quod pater in hoc filio quasi reviviscceret: qui famam avitam probitate & prudentia tueri nitebatur; magis verum decus ex publici cura, quam speciem inanium quærens. Ejus imperio pax & solida quies rerumque copia ad invidiam usque viguerunt. Ætate ejusdem vixit Folco crassus, vir illustris, domi militiæque tunc ante alios clarus. Ericus Vpsalienses virum totius Svediæ nobiliorem fuisse tradit. Ille celebris FolcKungorum familiæ author nonnullis existimatur. Rectius tamen â Folcone Fylbitero deducas. Vnde & Folckungi dicebantur, quod Folconis nepotes ac posteri essent. Sed ut hoc liquidius pateſcat, operæ visum, nobilem illam Folckungorum familiam ex annalibus veterum paucis repetitam hic posteritati reddere: ne, cujus propago nunc exspiravit, ipsa tandem memoria cum tempore

effluat & intercidat. Præsertim quod frequens ejus occurrat memoratio in priscis Sveonum annalibus, seriem gentis scire refert, quæ talis est. Folko Fylbiter ethnicus tres ex matrimonio susceptit liberos, qui Christo nomen dederunt, Ingemundum, Halstanum, & Ingevaldum. Reliquis fratribus absque prole mascula decedentibus, Ingevaldo unicus fuit filius nomine Folcho, cognomento Crassus, cujus supra mentio allata est. Hic ex Ingride S. Canuti regis Daniæ filia duos tulit filios, Benedictum Sinuils & Canutum. Suam Canutus itidem propagavit domum tribus illustribus filiis, Birgero, Carolo & Magno Minnisciöldio. Birgero filius fuit Philippus, Carolo Vlpho. Sed Magnus Minnisciöldius Birgeri Ierli, postea proregis genitor erat; maritus Ingridis cognomine Ylfuæ Sunonis Siikii Ostrogothorum ducis filiæ, rarâ sapientia fœminæ. Ejusdem Magni filius erat AEschillus, decimus septimus ordine Iudex provincialis VVestrogothiæ, vir prudens & justus; cujus memoria extat in serie judicum provincialium occidentalis Gothiæ, veteri codici manuscripto legum VVestrogothiæ adjecta. Quanquam verò familia Folchungorum fortes olim præstantesque viros & de patria præclarè meritos, tamen inter illos quosdam etiam degeneres tulit. nec id insolito exemplo. Vix enim ulla clara domus exstitit, quæ non habuerit aliquid labis aut vitiosi generis, velut bona seges nullam non fert spicam nequam, aut generosa stirps aliquando inutiles stolones.

INGO IV.

Ex Philippo natus, aviti decoris retinens, ad regni fastigium summis omnium studijs adscendit. Huius aulam fuisse veluti officinam pietatis aliarumque virtutum, argumento sit insignis educatio duarum filiarum (filios enim nullos habuit) Christinæ & Margaretæ. Christinam sustulit ex priori matrimonio Ragnildis, cuius ossa Telgensis ædes servat. Ista Christina postea S. Erico nupsit. Ex posteriori matrimonio Helenæ habuit filiam Margaretam, aliàs AEstridem dictam, quæ Magno regi Norvegiæ, quocum ipsi bellum fuerat, pacis conciliandæ caussa nuptu collocata est:

est: unde dulcem appellationem Fridkulle quasi *pacis uxoris* tulit: quod imbellis & purus amor armatâ vi potentior ac felicior esset. Magno tamen sobolem nullam dedit, pacis partu solùm ei fæcunda. Exstincto Magno, ad secundas nuptias Nicolai regis Daniæ transivit. Ex eo procreavit filium Ingonem, qui in puerili ætate effusus equo, pede adhæsit stapiæ, ut vocant. Dum verò continuo pedis calcarisque ictu latus percurrenti equo foditur, inde irritatus dependentem puerum præcipiti cursu ad necem rapit, excusso capitis identidem terræ allisi cerebro. Saxo ungulis equi obtritum author est. Filium itidem Magnum ex eodem matrimonio in lucem protulit. At Ingo rex dum munia sua exsequitur, atque provincias ordinandi status publici caussa circuit, qui ab externis hostibus tutus fuerat, domesticis insidiis venenoque in valle Vretensi sublatus est, vel ab æmulis imperii, vel ab aliis omni facinore coopertis; quibus per justam regis severitatem sceleratis esse & impunè grassari non licebat.

RAGVALDVS cognomento CEREBROSUS, Svetice Knaphöfde.

HVnc irato Deo subditis in vindictam occisi Ingonis contigisse volunt. Quod & discrepantes animi civium in electione haud absurdè signabant: dum Gothis Magnum Nicolai regis Danorum filium successorem destinantibus, Sueones hunc Ragvaldum ejus avunculum antepositerunt. Inde fit, ut Magnus in veterum annalibus in censum regum Suediæ non veniat. Velut autem Ragvaldus torvo & minace vultu, incessu superbo & alloqvio ferox fuit; ita multum audaciæ, prudentiæ parum inerat. Et tamen de suo unius arbitrio omnia geri volebat. Fides consiliorum ministros & prudentes rerum aspernabatur. Quidqvid ipsi præceps cerebrum animique tumidi impetus svadebat, id in vim edicti protinus valere jussit: cupiditatem & licentiam pro jure habens. Sæpe se more insanientis circumagebat, evidenti turbatæ mentis argumento. A civibus magis metui, qvam amari expetebat. Quo effecit, ut difficiles & aversos

civium animos experiretur. Fruſtra enim ex terrore ſperatur, quam benignitas imperii præſtat, veneratio. Tandem ipſas patriæ leges & morem majorum conculcare non eſt veritus. Qvippe dum provincias obit, contra priſcam regni legem & conſvetudinem tunc ſolennem, abſque ſecuritatis publicæ vadimonio ad Gothos occidentales arroganter acceſſit. Hoc illi prorſus indignè tulerunt, contemtum ſui, præſertim legum, ſervitute pejorem ducentes, ſubitoque & inconſulto animi motu manus ei attulerunt, & prope Scaram in prædio Carlabyenſi occiderunt. Sed ut ille modum in migrando leges regni, ſic iſti in ulciſcendo exceedebant.

SVERCHERVS II

ex illuſtri Comitum familia oriundus, Sveonum Gothorumque conſpirantibus ſuffragiis rex electus eſt. Initia imperii ſatis pacata & quieta habuit. Et reliqua optatò proceſſiſſent, niſi ipſe filiuſque ejus bello Danico ſe ſuâ culpâ involviſſent. Qvum enim Nicolaus rex Daniæ, defuncta conjuge ſua Margareta, aliam quæreret tori ſociam, Vlvidæ Norvegianæ nobili ſangvine & forma virginis animum jam eò pervicerat, ut nihil niſi in manum conventio ſupereſſet. Interim Suercherus aſtu doniſque majoribus virginis animum pertentavit, eoque perduxit, vt â rege Daniæ ad illum mentem ſuam applicaret. Accedebat Suercheri regis filii protervia & extremæ laſciviæ furor: dum ſuopte ingenio, atque indulgentia exemploque patris corruptior, cum copiis ſuis excurrit in Hallandiam, & iſtius loci præfecti conjugem hujuſque ſororem viduam, matronas non minus morum quam formæ laude commendatas, indigniſſimè habet, & velut bello capta mancipia ſecum in Suediam rapit, atque per vim ſtuprat. Scilicet cum regio ſangvine eſſet, libidinis ſuæ regnum in honeſtas virgines & matronas exercere, nullum nefas exiſtimabat. Tandem ubi omnibus, velut publicus pudicitiæ hoſtis, odio eſſe cæpiſſet, eas tanquam vilia proſtibula foras expulit. Hujus flagitii fœditatem ulturi Dani, bellum adverſus Suercherum ejuſque filium moliuntur, qui dum patris juſſu militem & belli ſubſidia â populo exposcit,

ſcit, non modo nullum dicto audientem habuit, ſed etiam tantum ſcelus ferro expiarunt cives. Quippe maluerunt ſalvam in poſterum pudicitiam ac morum integritatem, qvam tam indignum & petulantem patris filium ſuo flagitio & publico dedecori ſupereſſe. Vnde quum iſtius facinoris compertus, in judicio & conventu publico multa ſui purgandi cauſſa dicere paraſſet, impetu facto eum obtruncarunt. Pater autem hinc pudore criminum filii, illinc dolore tam indulgenter educati, & ea cæde ſublati, proprioque ſui metu latebras qvæſivit. Ea re accepta Sveno rex Daniæ, qui tunc rerum potiebatur, ſpe jam præceperat excidium regis ſimul & regni Svediæ. Qvare omnem amicæ compoſitionis viam abnuebat, qvaſi in manu ſua exitum belli, non minus atque initium haberet. Poſtqvam ad fines Smalandiæ acceſſerat, occurſantem ſibi vidit magnam ruſticorum manum: qui exciſis arboribus viam ipſi obſtruxerant. Quas ſi tandem amoliretur, ei corpora & animos pro vallo opponere parati erant. Sed & vis frigoris pro illis pugnabat. Itaque cognito, cordatos & robuſtos agricolas, impedimenta viæ, ſævamque hiemem, tot ſimul obiici hoſtes, negotio ad irritum cadente, Sveno ad ſuos retroceſſit. Suercherus autem quo die Servatoris noſtri nativitas ſolennibus ſacris celebratur, ad propinquæ eccleſiæ concionem matutinam pergens, inter Alebekium & Tolſtadium â ſtabuli miniſtro interemtus eſt. Adeò etiam vilis manus in illuſtrium & potentium internecionem ſatis eſt, ſi ſuo vel alieno ſcelere incitetur; aut Deus pœnam delictis permittat. Etſi verò corpus Suercheri ſubita vi manuque impiâ peremtum ſit, tamen de anima ſacris Deoque intenta bene conſultum ſperatur.

JOHANNIS LOCCENII HISTORIÆ RERUM SVECICARVM

LIBER II.

ERICVS IX.

SI quisquam alius hic parenti suo non inficiandus. Patri nomen Iaduardo fuit, quem nonnulli agricolæ filium perhibent; alii ad clariorem ortum referunt: quibus non satis consentaneum videtur, humili loco natum & adhuc imperii expertem, ex regia Ingonis domo sociam in matrimonium accepisse. Enimverò patet uxoris non temerè creditur filiæ connubium vulgare voluisse. Cæterum non adeò intererat Erici, ex quam illustri vel obscura familia, modo honesta esset: eò maximè æstimandus, quod virtute enituit, & lumen ex se domui suæ intulit; jam capax imperii, antequam imperaret. Qvæ & tantum ipsi socerum, & mox summam dignitatem conciliarunt. Accedebant Vplandorum animi, qui eum magno consensu regem elegerunt; etsi nequidquam obnitebantur Gothi, in Carolum Suercheri filium, regia Do-
1150. norum adfinitate innexum proniores. Admotus regno turbatum reip. statum composuit, animos discordiâ alienos, radice mali exstirpatâ, in gratiam & concordiam reposuit. Ab humilioribus potentiorum injuriam prohibuit. Studium pecuniæ, velut infra Principem, à se spernebat, adsvetis proventibus contentus. Qvin & illud quod regni ubertas ultrò concesserat, sibi negavit, civiumque solatio reliquit. Tantum aberat, ut nova & subdola se ditandi compendia, prædæ proxima, institueret; aut innocentium sangvine ac facultatibus ærarium implere vellet. Imò subditos seipsos potius qvam regem ditare compulit; ipse opes habentibus imperare satis habuit. Illustre est & æternitate dignum illud amicum certamen obsequii subditorum, & abstinentiæ regis. Illi obtestati sunt, censum regi debitum acciperet, hic recusavit

sibique

sibique servare cives jussit. *Mihi*, inquit, *mea sufficiunt, vestra vobis salva sint. Non expeto vestra tributa. Posteritas indigebit.* Hîc frugi patremfamilias & simul beneficum regem egit: dum ordinariis regni fructibus, uti tunc tempora erant, contentus, sibi potius & suis usibus, quàm subditis detrahere voluit. Omnium verò præstantissimum erat, quod primam religionis curam habuit, maximè in Finnonibus; qui non modo Suedis, sed & ipsi Deo tunc inimici erant, â vera salutis via miserè deerrantes. Dum illorum infestas impressiones cohibet, divinam simul suscipit cogitationem de illis ex damnatissima cæcitate ad Christianæ veritatis lucem traducendis. Cui voto Dei favor adfuit. Simulac enim in Finlandiam cum suis copiis accesserat, & ad manus deventum erat, Finnones cæsi sunt victique primo conflictu, & in Sueonum potestatem deinceps venerunt. In tanta victoria rex non absque ingenti militum admiratione, effusam ejus lætitiam exspectantium, lacrymas commiserationis indices effudit, circumstantes his allocutus verbis: *Etsi hæc victoria Dei munere nobis de tam efferatis hostibus concessa, non potest non grata lætaque animis nostris accidere; tamen irreparabilis tot animarum jactura majori est dolori. Si non aliis, certè meo animo ingentem luctum & plagam facit. Miseri illi mortales si ante cladem acceptam sponte se Deo dedissent, per hanc brevem mortem, utique sempiternam effugissent.* Mox operâ Henrici episcopi itineris socii superstites ad Christianam fidem Dei verbo instillatam & sacrum lavacrum vocavit. Sed dum Henricus calidius qvam cautius hoc sacrum opus urget, à tumultuante plebe trucidatus, sangvine suo verbi divini prædicationem obsignavit. Quidam, cum in Finnonem nobilem nomine Lallum disciplinam ecclesiasticam homicidii perpetrati causa exercuisset, ab homine feroci & istius disciplinæ impatiente nefariè occisum ferunt. Super alia pacis studia, multa passim delubra in honorem Dei excitari & ædificari curavit Ericus; eaque proventibus & fructibus ornavit. Inprimis domum Dei Upsaliæ à Suerchero secundo exstrui cæptam perficere studuit; & jam ad tectum usque eduxerat; sed morte præventus imperfectum fastigium reliquit, ita ut anno demum millesimo qvadringentesimo quadragesimo quarto penitus ad culmen perduceretur & exædificaretur; ut

ex monumentis dictæ ædis & inscriptione quorundam lapidum liquet. Magis tamen eo nomine celebrandus, quod per verbi divini prædicationem viva Dei templa fieri, & Finnos ad Deum converti fecit. Paulò ante obitum codicem juris patrii emendavit, atque à paganorum erroribus repurgatum, utili legum accessione locupletavit. Pravas consvetudines, etsi usu roboratas, tamen quâ potuit industria, sustulit. In sceleratos absque personarum adspectu animadvertit. Hæc publica. Sed nec famam publicè quæsitam privato dedecore perdidit; si qvidquam privatum est in Principe. In sacrorum & pietatis exercitiis assiduus & indefessus, civibusque exemplo erat. In moribus, non aliorum modò, sed & sui moderator. Corpus ita curavit, ut magis animum. Qvum sic viveret, nihilominus inventi sunt, qvi in tam innocens caput ex invidia vel prava ambitione sæva meditarentur & conjurarent. Horum duces erant Henricus Scatelerus Suenonis Danici filius, & nonnulli procerum hujus regni, qui ab Scatelero corrupti & magnis promissis onerati, clam ejus partibus studebant. Scatelerus autem regis Ragvaldi ab occidentalibus Gothis occisi, ut suo loco dictum, ex sorore nepos, hæreditatis maternæ titulo successioni regiæ, contra regni legem, qvæ alienigenas ad sceptra non admittit, se ingerere conabatur. Sed quum illum prætextum ad spei destinationem non sufficere sentiret, animum ad malas artes applicuit. Quidam suspicantur etiam Carolum, de quo proximè dicetur, factioni immixtum fuisse. Henricus verò & filius ejus Magnus, capita factionis, collectis copiis, Ericum nihil minus qvam horum insidias eoque tempore cogitantem, ipso adscensionis Christi die adoriuntur. Vbi sacris deditus, nuncium de hostium adventu accepit, non prius arma quam sacris finitis capessit. Inde coacto tumultuario exercitu, qualem sors obtulit, hosti fit obvius, qvi ciet adversum & cruentum prælium; in quo rex ipse cæsus, in manus hostiles in-
1560. cidit. Hostis illâ victoriâ insolescens, regi caput insuper præcidit in loco ubi nuper horti erant regii, nunc in novas urbis regiones CHRISTINAE Reginæ munificentiâ instaurati. Fontem eo loci ubi decollatus est, ubertimum prosiliisse, fama tenet; cumque divinâ vi morbis

curam-

curandis præditum fuisse. Cujus venæ adhuc passim per oppidum manant; & fonti publico nomen ab Erico dederunt. Qvum factionis principes diriperent opes Erici, & jam affectarent viam ad solium regium, justa ultio excitavit Helsingos, & reliquos fidos cives ad arma contra regicidas. Primo congressu Scatelerus & ejus filius in isto colle, ubi nunc Danmarchiæ templum, Vpsaliæ vicinum, situm est, cæsi trucidantur, & meritas regii sanguinis effusi pœnas luunt. Ex Danorum spoliis dictum templum exstructum creditur, & quidem authore Norlandorum duce, cui nomen Fale Bure fuit. Rex Ericus primum nactus est tumulum in sacello de nomine ejus nuncupato, quod hortis regiis imminebat, illiusque ruderа qvædam adhuc supersunt. Postmodo ossa ejus hinc in ædem veteris Vpsaliæ, ubi tunc Archiepiscopi sedes erat, translata sunt. Sed postqvam præsulis sedes huc remigrarat, post annos ferme centum, in præsens Vpsaliæ templum solenni pompa per Nicolaum Vpsaliæ præsulem traducebantur. Isthic in argenteo loculo, marmoreo cippo ferreis clathris septo ad summum altare, appensis ingenti corona, tabulaque affabrè sculpta pictaque, cum rerum ab Erico gestarum adumbratione, condebantur. Memoriæ eximii regis etiam hic honor à posteris habitus est, ut in sanctorum ordinem referretur: ut ejus imagine, tres præferente coronas, vetere regni Suetici insigni, monetam publicam & sigillum regium exprimi, diu in usu esset: ut insigne civitatis Holmiæ, Erici facies cæsarie venusta esset. Sed & anniversarias nundinas & ferias Ericianas ab illo nuncupatas mense Majo cum honorifica vitæ ejus in Ecclesia commemoratione celebrari, mos obtinuit. Qvod etiamnum ab Vpsalienſibus gratæ regis recordationi datur. Etenim rectè factorum decus apud piam posteritatem non senescit; nec cum authore intermoritur.

CAROLVS VII

SVercheri filius, biennio ante Erici electionem rex à Gothis dictus; post excessum demum Erici, ad regium gradum
1162. evehitur. Vt imperium adversus suspectæ fidei vel potentiores viros opibus stabiliret, VValdemari regis Daniæ intimiori amicitiæ se illigavit, neptem ejus uxorem ducendo. Nec minus ad regni, sui ipsius & successorum securitatem facere existimabat, si diffidentiæ semina inter æmulos vel suspectos tollerentur; & pluribus subsidiis patria insisteret. Idcirco lege publica sanxit, ut ex S. Erici & ipsius posteris reges alternis crearentur; & ejusdem leges fideliter observarentur. Tranquillandi status publici caussa domi forisque cum indigenis & exteris, Danis & Novegis fœdera pacis contraxit. Religioni devotus, reparatis monasteriis, Vretensi, Alvastrensi & Varnhemensi, Iulithanum (quod aliàs Saba vocabatur) in Sudermannia exstruxit. archiepiscopi honore regnum primus ornavit, insignibus ejus ab Alexandro III. pontifice per Vlphonem Gothiæ ducem impetratis. His & aliis regni curis intentus, tandem tamen cruenta morte periit. Quum enim Canutus S. Erici filius Carolum suspectaret, si non ut authorem, tamen ut socium conspirationis adversus patrem; hinc odium contra ipsum tam altè animo impressit, ut non nisi cum morte Caroli obliterari posset. Eqvidem occulta sub pectore ultionis avido simultas, velut ignis sub cinere, aliquamdiu quidem latet; sed, nisi in principiis opprimatur, suspicionis, odii & iræ fomentis animata, tandem in apertas & sævas vindictæ flammas erumpit. Ita Canutus non prius adqviescere potuit, quam comparata sicariorum manu Carolum in insula Visingiana VVestrogothiæ obrutum de medio sustulisset.

CANVTVS

Optatum meritorum paternorum fructum sensit, ut ad
1168. honores quoque regios extolleretur, postquam ex Norvagia domum revocatus erat. Sed non absque sanguine regnum auspicabatur, ad qvod ab exilio venerat. Nam præter Carolum, de quo superius, Kolonem, Risievum, Burisievum

vum regis Caroli fratrueles, alioſque qui regis parricidium manu vel conſilio adjutarant, trucidavit. In Danos, præſertim illos qui Scateleri partes foverent, arma tulit duce Haraldo. Is tamen in bello nimius cunctator, nec fortunæ ſe præbenti obvius, multas rei bene gerendæ occaſiones inertia ſua corrupit; niſi quod manu celer in diripiendis hoſtium bonis erat. Rex Daniæ Canutus ipſi in campis Scanienſibus obviam factus, imprudentem profligare, & cum non levi ſuorum clade in fugam propellere. Sic ducis ignavia & temeritas hoſti commodo, noſtris calamitati fuit. Circa hanc tempeſtatem Sigtuna olim una principum Suediæ urbium, quam Sitonum populi nomine ſignaſſe Tacitum nonnulli volunt, ab Eſthonibus, Careliis & Ruthenis, piraticam ad Melerum vſque facientibus, ferro & igne devaſtata in cineres ita deſedit, ut nunquam poſtea reſurgeret; nunc quantula ſui portio. Præſul Vpſalienſis Iohannes ab iiſdem ſuo prædio ſuo Almerſtechio obtruncatus eſt. Ab his & aliis hoſtibus regnum Canutus pro virili purgabat. Non vnæ Gothorum leges hunc quoque conditorem agnoſcunt, non minus publicam rem pacis ſtudiis firmandi, quam cives armis tuendi, vel adverſos pellendi gnarum. Qvum annos viginti tres imperio exegiſſet, in Gothiæ occidentalis pago Erolleto in fata conceſſit.

SVERCHERVS III

CAroli filius, ab exceſſu Canuti rex Sueogothorum factus, rerum civilium & militiæ peritus, nec minus diſertus erat; facere & dicere juxta promtus. Quam Canutus in Carolum ejuſque familiam exercuerat necis paternæ ultionem, ille opibus & regno potens, in authoris liberos eorumque capita retorſit. Nec prius ceſſabat, quam eos partim ferro ſuſtuliſſet, partim bonis eorum publicatis proſcripſiſſet: ut in ſe ſimul ſuaque familia regnum ſtabiliret. Etſi res aliter ceciderit. Hac enim ſeveritate populi, imprimis Vplandorum, S. Erici familiæ maximè faventium, odium & tandem civile bellum ſibi conflavit. Quippe Ericus unus proſcriptorum, ex Norvegia, ubi vltra duos annos in exilio deliterat, in patriam reverſus, populum ſibi ſtudentem 1192.

adverſus

adversus Suercherum concitavit, magnasque sibi vires quæsivit. Olaus Upsaliensis præsul quum conditionibus potius quam ancipiti fortuna finire bellum, & civium sanguine abstinere regi suaderet, offensam pro laude meruit. At utile consilium à rege contemni, omen mali propinqui erat. Pigeat scribere rem tanqvam fabulæ proximam, ex annalibus Norvegicis promtam, quæ instar portenti præcessit cladem Suercheri; nisi quanta fuerit in his oris borealibus diaboli ante religionem Christianam huc introductam, potentia, hominumque sub nomine Odinii illusio, vel hinc liquidò constaret. Præcipite die circa vesperam venit quidam ad fabrum ferrarium nomine Toronem Votium, qui habitabat in Norvegiæ promontorio Fisleo. Petiit ibidem diversorium, & calceare equum suum. Sed quum soleæ ferreæ suffigendæ ungulis equi majores viderentur, tamen aptatæ congruebant. Faber quærit ex eo, *ubi proxima nocte fuerit*, ille: *in Medeldalia*, ait, *maximè septentrionali ad Tilemarchiam. Vbi priore nocte? in Nordalia Ryefylchiæ*, respondet. Hîc in cachinnum effusus faber, strenuè mendacem pronunciat. Longè enim amplius viæ inter dissita isthæc loca erat, quam ut tam exigui temporis spatio tantum iter confici posset. Faber instat percunctando, *quis, unde & quo?* ille, *Veni*, inquit, *ex hac plaga septentrionali, & diu in bellis navalibus versatus sum; nunc cogito in Sueciam, usurus hoc equo ad tempus; & mihi nomen est Oden. Nisi mihi fidem habes, ecce ut progrediar.* Cum dicto transiliit equo septem ulnas altam sepem. Hinc raptim in sublime se auferens, per aërem evanuit. Quatriduo post inter Suercherum & Ericum cruenta stetit pugna, Suerchero admodum infelix. Etiamsi enim satis virium haberet, à Valdemaro quoque Danorum rege copiis adjutus: & bellum à Folchone, duce eximio, administraretur; tamen in Falonia occidentali Gothiæ ad Lenam ingenti clade affectus est. Minus verò decora hosti isthæc victoria erat, quia civilis. Recollectis viribus, post biennium redintegravit bellum & pugnam: emendaturus, ut putabat, fortunam. Sed hic multo quam antea infelicius egit Suercherus. Ipse enim cum Folcone aliisque Folchungicæ familiæ nobilibus & magni nominis viris ad Gistelbroum, ut Pontanus, vel Gistilreenum, ut

Ericus

Ericus Vpſal. vocat, occubuit, finemque bello nece ſua & ſimul documentum dedit, belli civilis incendium non niſi inſignibus exſtingui caſibus, & ſæpe ruinâ vel totius reipub. vel capitis ejus.

ERICVS X

CAnuti filius S. Erici nepos, ab exceſſu Suercheri ad ſedem regiam elatus eſt. Remp. civilibus fluctibus jactatam in quietum ſtatum reponebat. Vt tandem ultionis modus & civilis ſanguinis finis eſſet; ex conſilio Valerii præſulis reſarcivit gratiam cum inimicis, qui in necem fratrum ejus cum Suerchero conjurarant. Eodem ſvaſore quaſi cenſum quendam & delectum provinciæ præfectorum habuit. Tales enim præponi ordinavit, qui rerum & morum patriæ gnari, non ſibi ſed publico civiumque commodo ſtuderent. Qvi ab avaritia alieni, non emungerent provinciales; nec poſſeſſionibus eos per varias artes everterent & ad ſe transferrent; ſed eos docerent compendia rem ſuam honeſtè augendi tuendique, & naturæ beneficia in uſum publicum ac privatum rectè convertendi. Vt verbo dicam, qui innoxiè & prudenter, ſanctè & fortiter provinciam obtinerent. Hic Ericus ex VValdemari Danorum regis ſorore Richeſa quatuor ſuſcepit liberos, vnum filium Ericum Balbum poſtea regem, & tres filias Helenam, Martham & Ingeburgem. Helena in matrimonium data eſt Canuto Folchungo, Marta Nicolao de Toſta, Ingeburgis Birgero duci Gothiæ orientalis; quæ peperit ei, præter Benedictum & Ericum, VValdemarum & Magnum, duos poſtea Svediæ reges. Ericus ſolùm octo imperii annos explevit, longiori vita dignus. Breyem tamen vitam bene imperando longam fecit, & famam à morte perpetuam. 1208.

IOHAN-

IOHANNES I. cognomento ADOLESCENTULUS, item MITIS.

SVercheri regis filius imperium adhuc rudibus & teneris annis susceпit : unde & cognomen habuit. Benignæ naturæ erat, quæ inde quoque nomen ipsi peperit. Quum nondum per ætatem capax imperii esset, illud interim curatoris nomine administravit Olaus præsul Vpsaliensis, & quidem pontificia qvadam authoritate tam in civilibus quam sacris, pro istius temporis fato. Circa initia imperii hujus
1219. Iohannis, Esthones, Borussi, Carelii & Vandali junctis armis & copiis effusi in Gothiam, non procul Lincopia ad Rötalum, ducem Carolum & ejus loci episcopum cum aliis primariis viris trucidarunt. Hinc prædâ factâ progressi Iohannem ducem eadem nocte, qua ex bello cum Russis & Ingris novem annos gesto recens domum redierat, ad insulam Akerön dictam prope Aschenäsium obtruncarunt. Vxor autem ejus fugâ elabens, ad prædium Hundhamerium contrahi copias curat, quæ omnes Esthones ad scopulum inde Esthaklip dictum, internecione deleverunt. Ita pœnam necis mariti â prædonibus repetiit uxor, edito virilis audaciæ facinore. Iohannes rex tertio, vel, ut alii, quarto regni sui anno in insula Visingiana decessit, metæ laudis illustrioris proximus. Sed ostensus regno, & simul fermè subductus est.

ERICVS BALBVS vel BLÆSVS

S. Erici abnepos, quamvis impeditioris linguæ & claudus esset, à civibus tamen animum magis quam domicilium
1223. ejus corpus æstimantibus, imperio dignus judicabatur. Equidem ne vitium oris & pedis in eo quid offensionis haberet, promto rectoque ingenio effecerat; maximè morum probitatis & æquitatis laude. Ex invidia tamen nonnulli potentiorum & factiosi in eum coorti sunt. Horum princeps erat Canutus Folchungus, cui ad sublimia nitenti, præter generis splendorem, Erici Balbi sororis matrimonium regios fecerat spiritus. Super isthæc corporis forma, morum cultus, alloquium & congressus comis, prudens animus,

mus, diſerta lingva ipſi per ſe ad ſummos honores ſuffragari videbantur. His accedebat vulgi ſtudium, qui nihil ei regium deeſſe præter regnum exiſtimabat. Sive autem revera ineſſent hæc decora, ſive parando regno quædam fingerentur; animus tamen nimis ambitioſus, & in legitimum regem conjuratio omnia iſthæc contaminabant. Inſuper amici ejus & cognati, præſertim duo Erici Balbi ex ſorore nepotes Carolus & Haraldus, boni patris Nicolai de Toſta degeneres filii, & cum eis Hollingerus Canuti Folchungi, vel, ut alii, Folchonis Oſtrogothiæ ducis filius, eum ad iſta ſtimularunt. Quum animi dotes Erici non poſſent, corporis debilitatem ſugillabant. Minus virilis regis lingva & laborans inceſſus, qvaſi regno indigna, illis ludibrio & deriſui erant. Canutum verò decore corporis inſignem, lingva manuque iuxta promtum, regno natum jactabant. Horum ſeditioſa colloquia, factiones & inſidiæ ab improbis ſtructæ, à conſciis diſſimulatæ, tandem in apertum & civile bellum eruperunt; Canuto & ſociis ejus pro dominatione nihil non audentibus. Qui cum ingenti manu ad Olleströmium in regem nimis ſecurum irruentes, in prima congreſſione eum clade victum ex Suedia in Daniam pepulerunt, Canutumque pro rege acceptarunt. Sed huius breve & inſtabile fuit regnum, quia præceps & vi partum erat. Ericus enim contractis ex Gothia Daniaque properè auxiliis, in regnum revertitur, & intrepido animo rebelles aggreſſus, poſt acrem vtrinque conflictum ad Sparsätra, non procul Enecopia, eos debellat. Vbi Canutus & reliqui factionis ſocii ſpiritum, quem pœnæ debuiſſent, pugnæ reddiderunt. Ericus autem victor nihil gravius in ſuperſtites perduelles conſuluit, quam qvod præcipuos authores in exemplum capite punivit, & inter illos Hollingerum ex fuga ad Geſtricios retractum, & in vicino monaſterio, qvod a ſilva nomen habebat, exacto ſupplicio, terræ mandatum. Ita ſopito hoc civili bello, conſurrexit externum adverſus Tavaſthios, tunc adhuc paganos & infeſtos Svedorum hoſtes, duce Birgero Ierl de Bialboo, viro ſpectatæ virtutis. Hic devictos in fidem accepit, incolumitatem vitæ fortunarumque illis pollicitus, ſi Chriſtianam fidem amplecterentur. Etſi verò Birgerus rectius feciſſet, ſi pro imperio, vi & minis

nis ad corpus & externas facultates solum pertinentibus, adhiberi curasset mitiora melioraque remedia, qvæ animos servare ac sanare potuissent, rectam nimirum & sedulam de via salutis informationem. Et cum religio, qvę divinę gratię munus est, ferro ac metu mortis non obtrudenda sit invitis, pertinaces tamen & seditiosos coerceri ê re visum est publica: ut desinerent cœlestis verbi doctrinam præfractè impedire, aut statum publicum insolenter turbare. Quod ne ulterius auderent, Birgerus exstructa arce Tavasthiensi, & præsidiis aucta eos in obedientia tenuit. Quod autem neglexerat Birgerus, Vpsal. præsul Iarlerus sarcivit, & communiri animos vera religione per verbi divini prædicatores, operam navavit. Idem collegium quatvor doctorum, auspicio regis Erici Balbi, Vpsaliæ instituit, exstructo isthic auditorio, ubi nunc mola publica sita est. Illud primum Academiæ seminarium fuit. Actum est deinceps in concilio Scheningensi per legatum Gregorii Noni, præsule & Birgero authoritatem suam interponentibus, haud tamen sine gravi tumultu & certamine, de abrogando clericorum coniugio hactenus usurpato. Sed illud historiæ Ecclesiasticæ memorandum relinqvimus. Non diu post Lubeca, gravi obsidione Danorum liberata fertur beneficio classis Sueticæ, qvæ sufferratis navibus catenam ferream per Travæ amnem traiectam, qva accessus & exitus Lubecensibus occlusus erat, mediam secuit. Quod immunitate vectigalis Sueticis data, Lubecenses eâ tempestate remuneratos, Olaus & Laurentius Petri referunt. Anno imperii vigesimo octavo Ericus diem supremum obiit, cum ingenti civium desiderio: qvod per eum incolumis & prospera viguisset respublica.

VALDEMARVS, & BIRGERVS IERL, PROREX.

1251. Erici Balbi, absque liberis decedentis, publico consensu successor fuit VValdemarus Birgeri Ierl filius: inprimis satagente Ivaro Ionæ cognomento Blaa, inter proceres dignitate præcipuo. Sed pater ex Tavasthia domum reversus, indignanti qvam gratanti propior expostulavit, qvod electionem

ctionem in ejus reditum non distuliſſent: quum filii fortuna magis ad ejus curam pertineret: nec ſe minus qvam qvemcunque alium, ê re patriæ in medium conſulturum. Qvamvis ille veram indignationis cauſſam occultaret, tamen facile liquebat, indignè ſenem ferre, quod parum æſtimatis, vti exiſtimabat, ſuis in patriam meritis, adoleſcenti filio poſtponeretur: ingenio ambitionis, ſibi magis qvam alteri etiam proximi ſangvinis velle. Nec abſque animi commotione percunctatus eſt, quis tam temerarium auſus eſſet facinus, ut puerum, qui rectoris ipſe egeret, aliis regendis præficeret? Ivarus cordatè reſpondit: *Me ſcias hujus facti, non impeſ. ſed penſo conſilio cæpti, authorem. Crede me cæteroſque cives tibi bene cupere, qui hoc faſtigium tuis quidem meritis debitum, ſed tuis viribus ſenio & belli labore exhauſtis minus æquum, te non nolente, ut ſperabamus, quaſi tuis, id eſt filii humeris, validioribus, ſi maturuerit, imponere voluimus. Quod ſi mihi oblatum fuiſſet, lubens excuſaſſem, haud ignarus, quàm arduum ſit, etſi ſplendidum, cuncta regendi onus. Si tamen oculis animoque ægris filii fortunam intueris, habe tuum tibi filium, ejuſque fortunam pro arbitrio diſpenſa; nobis interim alius non deerit.* Birgerus: *Ecquem filio meo præterito ſumetis?* Ivarus concuſſa paulum veſte ſua: *Ex hac,* inquit, *tunica alium producemus.* Hîc Birgerus & ſuæ exiſtimationi & filii ſpei timens, humanius agere cæpit, præ ſe ferens, animo ſcrutandi eorum voluntates hæc prolata; quas cum juſtas & conſtantes animadvertat, ut ſibi ſuiſque hunc conſenſum ſervent petit, gratiis populo pro tanto honore habitis. Ita Valdemaro Lincopiæ regni inſignia repræſentantur. Proceres autem hac ratione prudenter tollebant æmulationis & diſſidii fomitem, quod ad id temporis inter familiam regis Suercheri & Erici noni fuerat. VValdemarus enim ſtirpem paternam ab illo, maternam ab hoc quàm proximè ducebat. Vtraque nunc in uno capite, & ſimul utriuſque concordia coaleſcit. Imperium regni vicarium equeſtris dignitatis ſeni traditur, donec VValdemarus in ſuam ipſe tutelam veniat. Sed titulus curationis penes illum primatem, vis imperii penes Birgerum erat: qui prudentia rerum, uſu & authoritate præſtabat. His ita peractis, nova Folchungis invidia pectus exagitat: qui aliorum fortunam & genus cum ſuo contendentes, ſe prorſus negligi ſtomachabantur, palam

criminati Birgerum. Hinc ad arma ventum est. Omnia jam conflictui prona erant ; sed ubi castra habebant, fluvius e medius dividens, pugnandi facultatem diremit. At Birgerus incerta belli timens, an validas adversariorum factiones ; & conata arte quam armis promtius opprimi ratus, aliave ex caussa, animum ad insidias & dolos transfert. Ad colloquium spe pacis nequicquam invitabat Folchungos, fraudem suspicantes. Vt ergo sincerè agere videretur, Kolonem Lincopensem episcopum suo de fide publica juramento securos reddere permovit. Hac religione inducti Folchungi in castra Birgeri veniunt, ejusque fidei se permittunt. Vix portam Hervvadensem in castra ferentem transierant, quum repente ab immissis percussoribus trucidantur. Hanc perfidiam antistes contra morem majorum exercitam, qui virtute non dolo certassent; & quod ejus authoritas in isto sacro vinculo tam pravè contra ejus mentem & exspectationem usurpata esset, tam acerbè tulit, ut abiens dignitate suâ & patriâ, reliquum vitæ peregrinationibus & voluntario exilio perageret. Birgerus autem hoc indigno facinore ante partum decus non parum fædavit : cui integrum erat, hosti fidem non dare; non integrum, tam sanctè datam fallere. Cæterum Birgero parum turpe visum, hostes & turbatores reip. per fas & fidem decipere. Qvin interesse publicæ tranquillatis, hujusmodi inquietos & rerum novarum cupidos tolli. Quasi verò religio fraude & cavillis exsolveretur ; & promissorum fides usu non honesto metienda esset. Quin haud desunt, qui perhibeant, ideò per dolum interemisse Folchungos, ut sublatis æmulis, regnum in suis posteris firmaret. Postea quum animus Birgeri ad se & facinoris æstimationem seriò rediisset, dolore saucius pœnam à se ipso sumsit ; & tam insignem dedecoris maculam egregiis factis eluere studuit. Religionis utique & pacis studia pro virili promovit, templis passim exstructis, & annuis fructibus in sacrorum usum auctis. Amicitiæ & securitati regni stabiliendæ, VValdemaro filio regi designato, Sophiæ Erici Danorum regis filiæ nuptias procurat, Treleburgo & Malmogia dotis nomine datis. Leges novas sed reip. salutares tulit, de hæreditate inter fratres & sorores dividunda, de bonis soli hæreditariis extra familiam non alienandis, de servis ex jure mancipii non

amplius donandis aut vendendis, de pace domestica, sacrorum & fori tuenda, de abrogata probatione per candens ferrum aliisque, quæ postea in codicem veterum Suediæ legum relata sunt. Holmia ab hoc Birgero primùm condita est, & quidem in loco situ, natura & arte munito, navigationi & commerciis apto: ut non solùm adversus subitas hostium incursiones propugnaculum, sed etiam opibus regni civiumque augendis accommoda esset. Quum VValdemari vicem Birgerus annos quindecim regno præfuisset, terris excessit, corpore in Alvastram monasterium illato. At VValdemari rerum prosperitas cum patre exstincta videbatur. Quippe quum annis & imperio maturior, regno admotus esset, multa adversa habuit; ne quidem amicam gentis suæ domum, æmulatione collisam. Indignabatur splendidiorem & instructiorem Magni aulam, & à fratre loco ac titulis minore, domus tamen eminentiâ vinci. Quanquam non luxu & supervacaneis, sed magnificentia, prudenti rerum administratione, familiæ delectu, cum peritis & conspicuis viris consuetudine, militaribus & Principe dignis artibus aula Magni antecellebat. Inde livore ardet fratris animus; cui civile Magni ingenium non placebat; & cultus aulæ major quam pro fortuna Principis visus, nondum regis, sed regnum, ut suspicabatur, meditantis. Intendebat odium VValdemari uxor Sophia, quæ regis animum insipienter adversus fratres accendit, & contumeliosis insuper dictis eos illudit, generosos animos acrius ferro vulnerantibus. Magnum, quod erat capillis ac facie subnigra ac macilenta, cacaborum reparatorem, Ericum forte simpliciorem, insulsum & nihili hominem appellabat. Nihil eorum quæ ipsi dicerent aut agerent, fœminæ probari; sed alto eos supercilio despicere. Hunc tamen fastum non parum postea depressit sororis contumelia, à VValdemaro hujus corpori illata. Magis verò proximè insequutum bellum, quo VValdemarus à fratre Magno sede regia dejectus est. Quum enim frustra tentaretur à proceribus inter fratres concordia, animis ita odio alienatis, ut abeunti frementique VValdemaro Magnus bellum denunciaret; ex eo ingravescens dissidium armis utrumque commisit. Exercitu ex Danis & Germanis, quantum potuit, collecto Magnus ingreditur

1219.

1223.

occidentalem Gothiam, palam jactans, se vel non vitam, vel regnum Suediæ habiturum. Quo comperto VValdemarus in risum solutus, cum minus quid ac regnum obtenturum, dixit. Ipse quoque non segnius ingentem exercitum colligit, sed vagum, solutum & infelicem; quia certo duce & imperio carebat. Nec melius evenit res VValdemaro, quam, dum securus in Gothiæ occidentalis villa Hofua desidet, â fratre cum exercitu profligari & vinci. Victor authoribus sua dicta cum exprobratione fortunæ reddit: *Se venisse ut fractos cacabos reficiat.* Quum rex otio sordenoque deditus, & regina ludicro latrunculorum intenta, quasi vel nulla, vel non infesta aut seria foris arma essent, uterque in hostium manus incidisset, nisi quidam equitum, qui ex pugna ad regem festinabat, ut sibi ab instante periculo caverent & curatius agerent, monuisset. Rex tamen ignavia an imprudentia, & à suis desertus, quos ipse deseruerat, ad Vermelandos fugam capessit. Magnus consestim mittit expeditos, qui fugientem persequantur. Ille corpus molliter curantem in villa quadam occupant, & ad Magnum adducunt. Vbi in conspectum ejus venit, orat, ut *fraterni affectus memor, benignè secum agere velit. Se regno ei concedere paratum, si saltim possessio paterna incolumis & propria ipsi maneat.* Respondet Magnus: *Se non oblitum fraternæ charitatis, nec unqvam ad hæc extrema deventurum, nisi rex ab uxore instinctus, tam infesto ipsum odio & contemtu prosequutus fuisset. Sed tamen magis quid se deceat, quam quid illi admiserint, nunc in consilio habere; nec jure victoris, sed humanitatis lege in regem usurum.* Extemplò proceres advocati pacem inter eos faciunt his legibus: *ut obliterata injuriarum memoria Magnus VValdemaro Gothiam cedat, sibi Suediæ ditiones & imperium reservet.* Atque ille, qvæ ejus animi moderatio fuit, parte contentus erat, modò integra & sarta inter illos concordia stetisset.

MAGNVS LADVLÅS

1277. emoto VValdemaro, rex Sueonum renunciatur. Is de animum ad conjugium adjicit, ut ex legitimo tori familiæ regnique firmamenta quærat. Illud contrahi cum

cum Helvvige Gerhardi Holſatiæ Comitis filia, præſtantis animi virgine. De cetero apparat bellum adverſus Ericum Daniæ regem, in ipſum & Suecos moturum, ob debitas nec ſolutas pro ſtipendio equitum in Dania conductorum ſex mille argenti ſelibras. At rex prævertit hoſti & Scaniam atque Hallandiam cum expedita manu petens, ingenti iſtas provincias incendio populatur. Ad pontem Rignam vlteriori excurſione prohibitus, in Sveciam cum præda revertit. Hac ſolutione male contentus Ericus, ultionem & arma parat. In partes etiam venit VValdemarus, hoſtium ap proprio conſilio. Certè in novam ſpem acceſſione virium arrectus, *ſe vel totum vel nullum regnum habiturum*, haud occulte jacit; recens pactum & legem pacis ex occaſione violare promtus. Aeſtate proxima advenientibus Danis, & per Smalandiam ferro flammaque graſſantibus occurrit Magnus; & Vltonem Caroli bellis ſpectatum virum cum expedito agmine hoſti adverſum mittit, qui in Verendia otio & compotationi ſe dantibus, quietem & convivium turbat; eoſque opprimit ac propulſat. Præter vulgum militum, niſi qui diverſi aufugerant, in captivitatem redacti ſunt Palmo Albus & Benedictus de Alſnö, virtutis fama & dignitate conſpicui. Sed mox ſub fide Sudercopiam exacto anno revertendi, in Daniam dimittuntur. Anno ſequenti VValdemarus conjunctis cum Erico copiis occidentalem Gothiam ingreditur, animo laceſſendi Magnum ad apertam pugnam, bellique fortunam tentandi. Sed ille ſubſiſtens prælii copiam non facit; incertum an viribus diffiſus quieſcere, vel mora ferociam hoſtis infringere, ſive humano ſanguini parcere deſtinarit; & maluerit, ſi non aliter fieri poſſet, ab hoſte ipſoque fratre ſimul, quam à ſe provincias VValdemaro tributas diripi. Poſtquam Magnus ejuſque exercitus ſe iſthic non oſtendit, Ericus & VValdemarus prædâ onuſti in Daniam regrediuntur. At proceres VValdemarum ob perturbatum à ſe regni ſtatum, cui tamen antea renunciaſſet, ob libidinem aliaque facinora regno abdicant. Ad præcavendum plura belli mala, amicitiam inter Magnum & Ericum conciliant: dum deducta damni æſtimatione, quatvor mille ſelibras argenti, reſiduum æs alienum

1278.

1279.

Erico persolvi convenit. Restituta pace, rex non solum ornandæ, sed tutandæ quoque patriæ, militiæque necessariæ prudenter in otio meditatur. Idcirco belli peritos ex quocunque loco, magis æstimata vritute eorum & solertia, quam gente, præmiis evocat. Nec tamen suos domi negligit, quos quot idonei essent; etsi belli transmarinas artes doctrinæque studia non æquè omnes eâ ætate edocti. Quicunque vero iis imbuti erant, etiamsi obscuro loco natos aliis antetulit. In hoc tamen reprehensionem non effugit, quod in quosdam extraneos obsequio grassantes propensior esset. Etenim vitio dabatur regi, quod spretis nobilibus regni, quibus armis & fide nulli cessuri essent, extraneis præcipua munera crederet. Sed ejus rei fructum nuper comperisse in duobus Danis Porsio & Ingemaro, hominibus insolentibus. Porsium ex Dania ob enormia facinora proscriptum, in cum amicitiæ gradum à rege admissum fuisse, ut ei intima consilia & arcis præfecturam crederet. Hanc verò gratiam regi retulisse, ut in arcem sibi commissam invitato regi manum in mensa injiceret & compelleret eum arcis Ladosiensis oppignoratione regi Daniæ pro residuo stipendii debito cavere, fidemque juramenti de non ulciscendo dare. Nec minus in gratia fuisse Ingemarum adfinitate regi junctum, fortunæ & inde animi elatione immodica spirare, atque indigenas contemtui habere. Maximè Folchungos male habebat, *quod etsi genere inter primos, in republ. nulli fermè essent; postpositi vel extraneis, vel humilioris ortus indigenis, si hos quædam virtutis, aut literarum prudentiæque fama, & forte mendax commendaret: quum tamen ex more majorum suo ordini proximus à rege deberetur honor.* Hanc querelam ipsos ad regem detulisse, quidam scriptores memorant. Alii per antistites Iacobum Vpsaliensem & Benedictum Lincopensem, quos authoritate sua plus apud regem posse sibi persuadebant, quam ipsos, ex anteactorum & vitæ suæ memoria forsan invisos. Adeunt ergo regem, petuntque *ut, quamvis ad nominis sui regnique existimationem quandam pertinere credat, etiam peregrinis apud se locum esse, ita eos ornet, ut id citra regni legis, veterum instituti & patriæ fraudem sit. Non deesse nec defore viros Sveones, qui magis ad arma, fidem & libertatem, quam ad compositos ser-*

mones

mones & serviles blanditias apti, fortunas suas ac spiritum pro regis salute profundere non detrectent. His alienigenas præferri plus invidiæ, quàm gloriæ habiturum. Certè sibi ludibrio, nec regi regnoque usui fore. Equidem haud parum referre, non solum qui sed etiam quorum negotium coram rege, & qua ratione agant; vel præsens exemplum documento fuerit. Regem utique decebat suos â contemtu vindicare, & in honoribus conferendis præcipuam dignorum civium, ex regni communique gentium consuetudine rationem habere. Nec se illud prætermisisse, ipse in subiecto responso indicat. Cæterum regis animum non tam liberior monitio, quam illud offendit, quod, pro quibus potissimum intercedebatur, Folchungi, licet majorum imagines & merita jactarent, ab avita virtute plerique desciverant, ocio, voluptati, turbis & ambitioni servientes; & nihilominus lingva animisque ferocibus virtutis præmia deposcebant. Itaque rex aliquanto commotior, illis hac oratione respondit: *Quæ â me desideratis, ea sunt hujusmodi, ut ultrò absque ullius monitu exsequi paratus sim. Si enim secus facerem, non rex sed inimicus subditorum meorum habendus essem. Vnum tamen animo vos mecum reputare velim, hanc nostram dignitatem & regnum magis ingenii, prudentiæ & virtutis insignibus, quam ignavæ nobilitatis imaginibus decorari. Ipsi satis compertum habetis, esse in nobilium ordine, qui ita vivunt, ac si sua tantum caussa nati essent, sibi & ventri indulgentes. Nec aliud ad commendationem sui poserre possunt, quam luæ stirpis nomina & majorum gloriam; qua tamen se dignos non effingunt. Certè longè majori cura sui decoris nos, quam ipsi tangi videntur. Illud autem decus & existimatio nobilium est, si recte judicamus, inconditos mores exuere, pravas cupiditates fugere, egregiis facinoribus & bonis artibus ad claritatem eniti. Nulli vim adferre; sua servare; aliena non rapere; nihil contra fas & honestum vel animo audere, vel manu patrare. His nobilitate dignis curis nunquam honorem suum detraximus. Proinde si illi ob natalium splendorem aliis præferri quærunt, studeant aliis quoque virtute antecellere, aut saltim æquare; sibique persvadeant, me eo imprudentiæ nunquam prolapsurum, ut majora præmia desidiosæ quorundam nobilitati, quam industriæ ac virtuti, personis, quam meritis deferam.* Hoc regium responsum nonnullorum ex Folchungis animos ita affecit, ut tacito pudore suam ipsi casti-

gantes inertiam, in posterum liberos suos aut sacrarum aut politiorum literarum studiis, aut militiæ artibus excoli operam darent, qui suo tempore ad honores provecti, utilia patriæ instrumenta se probarunt. Alii verò, quibus animus prava cupidine transversus agebatur, quod cum probro tanquam indigni rejecti fuissent, adversa patriæ consilia secum animo agitare, & composita turbare cæperunt. Ingemarum
1280. Nicolai gente Danum, de quo supra diximus, cui rex cognatam suam Helenam matrimonio locarat, adfinitate regia nixum, supra reliqvos se attollere molestè ferebant. Itaque hominem *modestiæ* monent, *nec aliis qui genere & industria si non superiores, certè nihilo inferiores ipso sint, arroganter se præponere; nisi malum sibi dari velit.* Sed quum ab Ingemaro non mollius quam â rege responsum accepissent, ad inexpiabilem iram sibi lacessiti visi discedunt, justæ, ut putabant, vindictæ occasioni invigilantes. Factum verò, ut Ingemarus reginam Helvvigem in Gothiam occidentalem ad vrbem Scaram comitaretur. Eodem Folchungi Iohannes Philippi, Iohannes Caroli, Amundus Turonis & Philippus de Runeby certatim convolabant. Hi, quod animo conceperant, verbis haud dissimularunt, *se effecturos, ne deinceps omnis gratia & dignitas in extraneorum dominatum concedat, neu Suecana nobilitas alienæ superbiæ ultra ludibrio sit.* Quare subito impetu in diversorium Gerhardi Comitis, qui ad filiam & generum nuper visum venerat, irrumpentes, Ingemarum sævè trucidant. Gerhardum injuriarum eos postulantem, quod peregrinus esset, in arce Ymseburgensi in custodiam condunt. Reginam fuga periculo subtraxit. His patratis, cum VValdemaro conjuncta manu ad arcem Iönecopensem expugnandam properant. Hujus facinoris atrocitate mox evulgata rex non leviter, vt res erat, perturbatus, quid in tam insolenti tantique discriminis casu facto opus esset, animi dubius hærebat. Istam Folchungorum vim, tot opibus, amicitiis & clientelis subnixam, palam & absque reipub. motu subitò contundi haud facilem intelligebat. Et tamen tam audax & improbum facinus impune dimitti, ad majorem proterviam ac licentiam authoribus vires & aliis animos daturum, haud ê re fore. Idcirco in præsens iram recondere, & astu rem agere tutius visum: donec partibus

tibus separatis, eorum quoque consilia diffluerent, & authores pœnæ opportuniores essent. Vt autem incautiores fallerentur, eorum operam & fidem rex in speciem prædicabat: *quod ante in dubium devocasset, sibi jam compertum, ipsos strenuos & patriæ amantes cives esse; quum exoticam insolentiam, generosis animis haud ferendam, tam fortiter ulti sint.* His verbis mitigati, copias & Comitem dimiserunt. Blandis insuper literis & nunciis rex credulos allicit. Sed ubi accessere, factionis principes capite plexi sunt. Aliorum conscriorum bona proscripta, alii specie honorum longius amoti. Hac ratione Folchungorum opes animique fracti, nunquam postea se commovere ausi sunt. Sub hoc ferme tempus actum est in comitiis præter alia *de regni bonis*, quæ Vpsaliensem possessionem, â loco sedis tunc regiæ veteres appellabant, 1282. *augendis: quum prisci coronæ fructus*, authore Ingone primo, aliàs Frothone, huc destinati, *istius temporis regiæ dignitati & aulæ tuendæ non sufficerent. Indecorum verò esset, regiam ad privatæ fortunæ angustias redigi.* Petita trium dierum consultatione, decretum est ab ordinibus, *ut principes regni lacus, flumina & sinus inde emanantes, silvæ majores & montes metalliferi cum eorum fructibus pro rata, & prædiorum census dicto usui attribuerentur.* Instituebatur itidem universæ regni terræ inspectio & limitum distinctio: ut quid regis, quid coronæ ac subditorum esset, evidentius ac definitius liqueret. Dissidio inter Magnum regem Suediæ & Ericum Daniæ componendo, amicus congressus ad limitem regni inter occidentalem Gothiam & Scaniam ab vtroque rege celebratus est; in quo convenit de die solutionis quatvor mille selibrarum argenti puri, cum oppigneratione castri Ludosiæ; & ut nova pax nuptiarum inter Magni filium & Erici filiam pactis firmaretur. Inter cætera nobilibus & aulicis sueta ludicra, equestris decursio istic instituta est, in qua palmarem laudem Erengislus Plata tulisse fertur. Deinceps ad statum regni cum consilio & consensu senatus ordinandum Magnus accedit; &, ubi opus erat, medicinam facit. 1285. *Ab agricolis* vetat *quidquam ultra solitum exigi. Si invitis extorqueatur, pœnam publicationis prædiorum fore.* Vtili sane instituto & desideriis atque ingeniis incolarum attemperato, qui ritè imposita tolerant, si justos habeant

dominos, & vis absit. Latæ quoque *leges de cursu publico, & tabernis ac diversoriis ad vias publicas exstruendis, ubi viatoribus ad victum necessaria pro æquo pretio præbeantur; exemtis tamen ab hoc onere sacri ordinis & nobilium prædiis. Ne quis capiat gratis, ut antea, veredos à rusticis, nisi volentibus, aut jussu & diplomate regio; nec una vice plures duobus. Litem, si qua inter peregrinantes & rusticos oriatur, Tetradis judices*, ut vocant, *arbitrari jubet. Salutaribus institutis & immunitatibus opera fodinarum metallicarum stabilivit. Leges Birgeri de pace sacra, forensi & domestica tuenda ratas quoque esse* jussit. Tam severus equidem iste rex ac industrius pacis publicæ & securitatis subditorum custos erat, ut pessulo solum ligneo januis horreorum ad prohibendum pecoris ingressum, obdito, regia disciplina ac justitia pro fidâ serâ & claustro adversus improbos & vim prædonum ac furum esset: inde cognomentum *Laduâs* patriâ linguâ, quod est *horreorum sera*, tulit. Cum jam ad senium vergeret Magnus, patriæ suæque domui etiam in ventura tempora consultum ivit. Eâ re filium majorem natu Birgerum in spem successionis à proceribus eligi, adhuc se vivo Scheningiæ facit, & matrimonii pacta inter eundem &
1288. regis Daniæ filiam rata haberi. VValdemarus autem Magni frater tranquilla miscere non desistens, instar indomitæ feræ inclusus, & in custodiam arcis Nycopensis traditus est. Eodem tempore rex Magnus arbiter legitur ad dirimendum gravissimum inter reges Daniæ & Norvegiæ dissidium, qvod ex vtriusque voto peregit. Tam æquus enim erat in componendis Principum controversiis, ut etiam pars victa ejus integritatem laudaret. Concurrit cum hoc tempore inter VVisbyenses cives & vicinæ terræ colonos tumultus & motus bellicus, ob vectigal insuetum illis ab vrbis magistratu impositum. Quibus à rege sedatis, mulcta quingentarum puri argenti celebrarum cives plexi sunt, ob temere motum qvietæ civitatis statum, & quod non impetrata à rege venia atque authoritate publica, vectigal à colonis exegissent, vrbemque
1289. muris cinxissent. Rusticis pœnæ loco injunctum, ut cujuslibet territorii agricolæ suis impensis exstruerent turrim vel propugnaculum in mœnibus. Ita muris urbs circumdari cæpta, decennio opus expletum videt. De studio divini cultus & templis Holmiæ alibique à Magno exstructis, de decimarum

rum constitutione aliisque quum historici Ecclesiastici ex professo agant, in aliena operam meam non mitto. Hoc satis sit dixisse, quod excellens inerat animo pietas, qua sacra eorumque administratores prosecutus, summopere contendebat, vicinas gentes sua in cætum Christianum ejusque doctores liberalitate superare. Post tredecim annorum imperium, fatalem excessum instare prævidens, suprema ordinavit. Proceribus civilem & privatam concordiam, ut firmissimam & proximam pietati regni custodiam commendavit, filios suos in tutelam Torchillo Canuti principi senatus usque ad maturam ætatem tradidit. His ordinatis placidè decessit. Cives intimum erga regem amorem & exstincti desiderium vel eo contestabantur, quod defuncti corpus suis ipsi humeris ex insula VVisingiana Holmiam duodecim dierum viâ deportarent. Sed animis perpetuam virtutum ejus memoriam tulere, posterisque tradiderunt. 1290.

BIRGERVS MAGNI F.

PAtris successor ante consensu monstratus, sed ob lubricum ætatis, vix enim undecim annorum erat, vicaria regni jura Torchillo Canuti R. Marscho, ut vocant, ex regis & procerum destinatione, interim commissa est. Hanc ille tanta fide, cura & prudentia gerebat, ut patrem simul & rectorem repræsentare videretur, omniaque sub ejus imperio domi tuta, prospera & pacata essent. VValdemaro laxiorem custodiam accuravit; filio tamen ejus Erico in consortium pœnæ, & Holmiæ in custodiam dato; metu an societate paterni flagitii. Sed brevi VValdemarus decessit. Adversus Carelios & Ruthenos, Sueciæ limitem infestantes, arma Torchillus sumit. Careliis perdomitis, ad Christianam religionem conversis, & in ditionem Sveonum redactis, ut in posterum in fide retinerentur, & simul munimentum adversus Ruthenos & Sarmatarum impressiones, arcem urbemque VViburgensem istic condit; nunc nobile Careliæ emporium & caput. Ruthenis castrum Kexholmiam adimit. Quod tamen sex dierum fame expugnatum recuperarunt. Post aliquot annos nuptiæ Birgeri cum virgine Marta sive Märetha regis Daniæ Erici filia, ab Helvvige 1291. 1293. 1294. 1298.

Magni

Magni Ladulâs uxore liberaliter educata, Holmiæ ſolenniter celebrantur, datis ſponſæ in dotem Enecopia, Fiedhundria & Huſeby in Trögda. Sponſa verò nullam aliam expetit dotem, quam ut Magnus Algothus, judex occidentalis Gothiæ, pro quo interceſſerat, liberaretur carcere: cui cum fratre Rorico incluſus fuerat à Magno rege, propter raptam â Folchone ejus filio & in Norvegiam abductam Suantopolchi Prutenı, liberalitate in ſacra clari, filiam, qvæ tunc deſponſata erat Davidi Torſtani F. Daniæ primati. Hîc laudabant Sueones reginæ animum ſtudio pecuniæ alienum, & humanæ calamitatis miſerationi promtum. Poſt nuptias, claſſis centum & undecim navium, ut quidam annales ferunt, expeditioni adverſus Carelos & Ruthenos accincta eſt, adminiſtrante militiam Torchillo. Qui iſtam claſſem ſecundo vento traducens ad Careliorum fines inter duo fluenta Nivam & Nigram, in confinio Moſchorum arcem Landscronam exſtruxit: ut eſſet propugnaculum & receptaculum militum adverſus Ruſſos. Eam non ſemel aggreſſi ſunt expugnare hoſtes, ſed incaſſum. Quamvis enim Rutheni cum triginta unius millium exercitu, in navalem & terreſtrem diſtributo, Suecos adorirentur, & primum claſſe in mari albo, ut vocant, quod Carelios à Ruſſis dividit, atque naves Sueonum inflammare allaborarent, immiſſis ratibus materiam igni concipiendo aptam ſupportantibus; arte tamen & induſtria Torchilli huic malo obviam itum eſt. Is enim palos in flumen quà tranſeundum hoſti erat, occultè defigi curat, qui rates iſtas igniferas in occurſu demorabantur. Hoc inceptum cum fruſtra eſſet, hoſtes navibus exſcendunt, & ſubita impreſſione in noſtros facta, terreſtre prælium eoque victoriam tentant. Sed ab Vplandis neceſſario ſubſidio inſtructis ita excepti ſunt, ut major eorum pars reditus obliviſceretur. Pluribus enim cæſis, reliqui capti, aut in fugam conjecti ſunt. Supererat equeſtre hoſtium agmen, quod uno loco ſubſiſtere impatiens, circumiacentia populabatur. Ex his unum Matthias Ketelmundi, vir ſtrenuus, diſceptandæ

ceptandæ belli fortunæ, bonâ imperatoris veniâ ad duellum provocat. Sed quum nullus animum congrediundi haberet, illis tanqvam vecordiæ & ignaviæ, ſibi velut confeſſæ ultrò victoriæ ac fortitudinis famam quæſivit. Mox ſive pudore ſive deſperatione fortunæ, deſertis caſtris raptim abierunt. Torchillus autem præſidiis Landſcronæ impoſitis, ejuſque curâ Stenoni commiſſâ, in Sueciam revertitur; publica gratulantium voce de felici ſucceſſu redituque, inprimis de recens nato Birgeri filio exceptus. Interim Matthias Ketelmundi vicina hoſtium loca deprædatur. Cæterum qui in præſidio Landſcronæ erant, ex cibis madore parietum recens calce illitorum æſtuque corruptis ſpaſmum & ſcelotyrben (ſcõrbucum vulgò vocant) contraxerunt, morbos tam infeſtos, ut vi eorum dentes ſoluti inter comedendum exciderent, multiſque mors præſens veniret. Reliqui minus valetudine affecti, fugaque ſibi ſalutem petentes, arcem penè vacuam reliquerunt. Qvibus incommodis occurri potuiſſet, ſi ex quorundam conſilio ægroti in tempore aliò tranſlati; & ſalubri curâ ciboque refecti fuiſſent. Rutheni verò hac occaſione uſi, vires inſtaurant, integrique debiles & exhauſtos invadunt. Quod ubi noſtris compertum, viginti milites explorandi cauſſa emittunt. Qvi dum cognito hoſtium adventu in caſtra reditum parant, inſidiis validorum ad Aminna circumfuſi, eorum tamen agmen ductore Stenone perrumpere auſi ſunt. Equidem ut animalium robur inter extrema intenditur, quum vndique periculum circumſtat; ita hi, neceſſitate animos acuente, contentius pugnant, atque inſtar leonum atque urſorum in obvios ruendo & cædendo feruntur, viamque ſibi per medios hoſtes manu nec ſine decoris vulneribus aperiunt, atque ad ſuos evadunt. Reliqui in arce ſuperſtites, â tantis copiis pauci magis obruti quam cæſi occubuerunt, à viribus non animis defecti. Præ cæteris fortiter fecit Torchillus Amundi. Quidam incendio, plures morbo ſuo, quam ab hoſte victi vel capti ſunt. Carolus Haquinus gente Suecus,

ſed

ſed Ruſſico habitu forſan hoſtem fallere conatus, dum in cellam arcis, incendii fugâ tendit, ab uno contubernalium, ex amictu Ruſſum eſſe non mentiri credente, obtruncatur. Alii qui eadem cauſſa in cellas ſe abdiderant, acriter in hoſtem adverſum pugnantes, inde propelli non potuere, donec Ruſſi deditionem paciſcerentur. Qui itidem Landscronam occupantes, eam â fundamentis diruerunt. His ad finem de-
1311. ductis, Birgerus jam ævo maturus, inſignia regni Sudercopiæ capeſſit; equeſtri honore ornans fratrem VValdemarum, cujus etiam nuptiæ cum filia Torchilli Canuti tunc fuere. Nec longo poſt intervallo Torchillus ſecundas nuptias cum filia Comitis Saxonici de Ravensburgo habet. Quibus peractis, à regis fratribus petit, *levari cura eorum, quod ætate & animo pares negotiis, in poſterum ipſi rebus ſuis ſupereſſe poſſent; ille verò ſenio & laboribus feſſus, oneri non ſufficeret. Aut ſi vellent aliquem rebus ſuis apponi, alium viribus & ætate pollentiorem in ſui locum ſufficerent. Se nihilominus eorum honori pro virili ſerviturum.* Hoc ejus deſiderium Principes non inviti accepiſſe viſi, jam hæreditarias poſſeſſiones & ditionum regni partem, qualem ſolent regum filii, expetentes ac potiti, ſuæ ſpontis de cætero eſſe velle præ ſe ferunt; absque certo tamen reſponſo Torchillum dimittunt. Interim ille â rege non ſolum in ſuo munere ſtabilitur, ſed etiam majori armatut authoritate: ut ad arctiorem regis partibus fidem obſtringeretur. Hanc ejus poteſtatem ſuſpectam & inviſam habentes Duces, inito cum amicis conſilio, moderatorem rerum ſibi capiunt Ambernum ſenatus regni principem. Ceterum regni ſtatus ad hoc incolumis, iſta mutatione non parum inde labefactari cæpit. Etenim fratrum animi in diſcordiam trahebantur, & Torchillus, ut quidam ſunt authores, deinceps regis magis quam regni commodis ſtudebat: ut regem ſibi devinctiorem redderet, faſtumque & cupiditatem elatæ ac ſumtuoſæ uxoris, ſi poſſet, expleret. Vnde ad nova onera ſubditis imponenda regem incitavit, ſpecie ſupplendi opes fiſci, diviſione hæreditatis inter fratres attritas. Super alia partem decimarum, qvæ pauperum ſubſidium erat, ad ſexennium in ſuos uſus vertendi, regi authorem fuiſſe perhibent. Hoc quum authoritate ſua cum collegis inhibitum veniſſet præſul

Vpſalienſis

Vpsalienſis Nicolaus, & monuiſſet Torchillum, *ita regis utilitati conſulere, ne fama ejus avaritiæ labe inquinaretur, & cujuſvis mancipii nomine vilior haberetur : ipſam verò remp. in diſcrimen adduceret*, Torchillus tam liberam commonefactionem indignè ferens, perſuaſit Principi antiſtites in vincula dare, niſi ſubito diſceſſu malo caviſſent. Hinc, quantam antea laudem bene adminiſtratæ reip. tulerat, tantam poſtmodo invidiam ſibi conflavit; & qvamvis jam prope abeſſet à vitæ fine, tamen haud ipſi abſque offenſione reliqvum ætatis tranſigere contigit. Interim Magnus Birgeri filius ordinum conſenſu ſucceſſor patri deſtinatur. Mox in nervum erumpit diſſidium inter regem Birgerum & fratres ejus Ericum atque VValdemarum, quod ſedecim omnino annos male concuſſit rempublicam. Hoc ita cæperat. Torchillus 1304.
regem cum fratribus invitat in arcem ſuam Aranäs in Gothia occidentali ſitam, & ſplendidis epulis excipit. Quibus finitis quum jam diſceſſum pararent fratres, rex eos revocat; & ex ſuſpicione, ſive cujuscunque rumoris aura, *ſibi gnarum*, ait, *eos peregre extra patriam cogitare; nec minus adverſus ſe quam regnum hoſtilia moliri. Ideirco velle, ut ſi tutò diſcedere cupiant, literis jam in hoc confectis, addito ſigillo, ſubſcribant.* Principes ſe in anguſto eſſe cernentes, dum multa ad ſe expurgandum dicere tentant, non auditi confeſtim ore ſcriptisque tabulis jurare adiguntur, *pedem extra patriam non moturos, nec aulam ingreſſuros niſi juſſu regis, nec cum majori comitum aut familiæ numero, quam rex definiat. nihil ſe in regni, regis aut domus regiæ ſalutem machinaturos per ſe, vel aliorum opera & conſilio.* Ad has pactorum leges Torchillus ſi non ſuaſor, utique diſſimulator fuit. Potuiſſet enim, quâ dignatione erat apud regem, ſe interponere, ut purgatione criminis admiſſa, in gratiam regis reciperentur. Sed ille poſtea quoque, reſtitutis fratribus, velut author iſtius præcipitis conſilii inſimulabatur : quod ipſi malo fuit. Ex intervallo aliquot dierum iterum adeſſe juſſi in inſula VVisingiana Ericus & VValdemarus, vt novis criminationibus reſponderent, VValdemarus regis fidem ſuſpectans, non accedit. Solus Ericus paucis miniſtris ſtipatus advenit, regem ſolita humanitate & officio proſequitur. Sed ille nihil iſthæc moratus, torvo obtutu eum excepit, & ſtatim aliquot criminatio-

minationum capita in eum recitari jubet: *quod contra regis edictum extra regni limites commeatum evehi curarit: quod per ditiones armata manu iter habens subditis vim fecerit: quod famulus ejus, regiæ ingressu prohibitus, colaphum regis janitori impegerit: quod aulæ suæ magnificentiâ regiam superarit, sibi in fastum, ostentationem & immodicas spes, regi in dedecus, invidiam & metum.* His perfectis, ubi responsum parat Ericus, iterum cum indignatione à rege repellitur, unà cum VValdemaro indicta caussa proscribitur, in publicum addictis eorum bonis. Illi primo in Daniam ad Ericum affinem; ubi parum à rege accepti, magis Birgero quam ipsis favente, inde in Norvegiam ad Haquinum regem confugiunt. Ejus humanitate & opibus adjuvantur, castellis Nyklaburgo, Kungella & VVardbergo illis fiduciario jure & in receptum datis. Vnde graves sæpe excursiones in vicinos Suecos & Danos fecere. Quin Haquinus ipse castella ægrè à possessoribus, etiam pace inter hostes jam factâ, recepit. Tandem cum se fratres armis & direptionibus defatigasseut, intervenientibus amicis, ab exilio in pristinum restituuntur statum, concordiâ cum Birgero pactâ,
1305. facti invidia in Torchillum, ut authorem ejus postulatum, redundante. Citius enim inter Principes offensos, quam inter illos & ministros eorum etiam conspectiores convenit. Ipsi reconciliati plerumque discordiæ & odii culpam in hos, tanquam dissidiorum faces, aut suspectos exonerant, eorumque sangvine expiant. Itaque Torchillus ob criminationem & proscriptionem Principum, velut ipso instigante factam, ob turbarum regni, & tutelæ non fideliter administratæ insimulationem, Holmiæ capitis supplicio, obscuratâ me-
1306. ritorum gratiâ, afficitur. Filia itidem à matrimonio Ducis VValdemari disjungitur obtentu cognationis spiritualis, ut vocant; quæ tamen inde jam ab initio nuptiis impedimento non fuerat. Sed calamitas patris etiam familiæ fortunam adflixit: ut subducta columna partes domus secum in ruinam trahit. Hisce nondum exsatiata fratrum odia stimulant eos ad injuriam sibi factam, in ipso quoque rege ulciscendam. Dum faciunt nuptias quibusdam famulorum suorum in prædio suo Bielbo, clam emittunc expeditos milites ad regem insidiis inopinatò circumveniendum. Ipsi duces ex medio convivio sine mora subsequuntur, & famam adventus

tus sui antegressi, in Hatuna, olim aula regum, postea regiæ amænitatis secessu, regem cum regina & regia familia deprehendunt capiuntque. Nisi quod regis filius Magnus industria famuli Arvidi Smalandi in Daniam ad regem Ericum incolumis abducitur. Birgerus autem Nicopiam traductus, in arctam custodiam traditur, cetera honestè habitus. Interim Holmia per Matthiam Ketelmundi Ducum auspicio expugnatur, totumque adeo regnum ultrò cedit Erico Birgerus. Dum ille sub custodia tenetur, Ericus rex Daniæ, affi- 1307.
nis ejus, non semel cum ingentibus copiis huc accurrit animo liberandi eum. Sed accinctis ad occursum Principum copiis, & tandem induciis conventis, negocium in amicam acceptationem rejectum est, primò in comitiis Örebroensibus, dein Nicopiæ. Re satis agitata decretum est, regem 1308.
è custodia dimitti, eique tertiam partem regni, cum insula Gothlandia dari, duas reliquas partes Erico & VValdemaro attribui, præteritatum offensionum oblivione juratò promissa literisque firmata. Hæc compositio biennio post iteratur in Dania Helsingburgi, pacis arbitris Erico rege Daniæ & fratre ejus Christophoro, Gerhardo Holsatiæ & Henrico Megapolitano Ducibus. Quam fida verò concordia speranda esset ab animo in vindictæ occasionem intento, in proclivi est divinare. Fratres Ericus & VValdemarus specie devotæ peregrinationis exteras oras perlustrant, ad invidiam declinandam, & Principum amicitias, copiasque è re parandas. In patriam exitinere reversi, matrimonium Ericus cum filia Haquini regis Norveg. VValdemarus cum Erici regis Norveg. jam defuncti filia pactum consummant. At rex 1312.
Sveonum Birgerus excurrit paullum ad Gothlandos vel VVisbyenses, otioque se istic oblectat. Cum urbis civibus agit, ut ipsi tantum spatii in foro piscatorio concedant, quantum pelle vitulina contegi possit. Illi faciles ad tantillum loci dandum esse. Sed rex pelle ad exemplum Didonis, in minutas partes dissecta, illic exstruit amplam domum, postea ex hac occasione *domum pellis vitulinæ* dictam, regum Sueciæ diversorium; donec rex Ericus arcem in urbe conderet. Ita domus ista mercatoribus loco tribunalis & conventus publici, bursam vulgò appellant, cessit. Non diu post insurgere cæperunt adversus Birgerum Gothlandi, ex impatientia novi 1313.

& insoliti tributi. Dum eos armis coercet & invadit rex, ca-
sus sub corylum confugit & delitescit, quæ inde *regis Cor-*
lus appellari meruit. Istic â rusticis comprehensus fer-
trucidatus fuisset, nisi ad unius deprecationem salvus abi-
set; quem postmodò multum ornavit. In occidentali Go-
thia quidam motus à colonis duce Buggio excitatus, mo-
tamen authore sublato sedatus est. Sed hi parvi motus, ma-
jorum præsagium fuisse videntur. Inprimis ingens id tem-
poris per Suediam fames & pestis, pluvia sanguinis ad Rin-
stholmiam, & Motalæ amnis rapidissimi sistens cursus, a-
1316. que paucis ante annis spectatus cometa, propinqui ma-
tristes fuere significationes. Ericus & VValdemarus Nico-
piam tendentes invisendi fratrem regem caussa, ab obvio
quodam milite *sibi cavere ab offenso olim rege* monentur. S
fando accepisse, si accederent, ipsis malo fore. Sed illi *in mala-*
rem abire jubent *vani rumoris authores, qui non nisi dissidia inte-*
fratres serere quærant. Adeò jurata regis fide confisi, infeli-
citer decepti sunt. Ingressi aulam, à rege & regina, accep-
tam injuriam magis animo qvam vultu condentibus, perbe-
nignè excipiuntur: eò ipsis gratiores, quod non ambitione
& paratu quodam allecti, si fortè dolus sic animadversus de-
clinaretur; sed sponte & simpliciter in cassses incurrerent.
Omnium vultus, verba, facta ad hilaritatem & humanita-
tis speciem comparata erant. quin & in aulæ ministris qua-
sitissima officia, lætitiæ, blanditiarum & urbanitatis regiæ
imitamenta: ut in aula ad unum vultum & animum reliqui
solent componi. Sed insidiæ majores quam qvisquam arbi-
tratus esset, sub personatâ comitate tegebantur. In mensa
Duces regio apparatu, opiparis dapibus & poculis roranti-
bus accepti, nesciebant miseri istas extremas fore epulas, fe-
rali mox fatalique fame in fœdissimo carcere luendas. Extra-
cto in noctem convivio, cum somni tempus instaret, in ho-
spitale cubiculum splendidè exornatum deducuntur. Famuli
eorum extra aulam in oppidi diversoria distributi, specie
commodioris dominorum quietis; sed revera ut domini in
angustiis deprehensi, omni humano præsidio nudarentur.
idque consilio Iohannis Brunconis, qui insidiarum scenam
vnà cum reliquis instruxerat. Media nocte dum vino & so-
pore graves altum stertunt, nihil mali suspicati, subito im-
petu

petu & armata vi in cubile milites irruunt, frustra repugnantibus manus immittunt, atque ex liberis mox captivos è cubili protrahunt. Ita qui hospitaliter accepti erant, hostiliter extruduntur. Quin ipse rex & frater, nefariè rupto redintegratæ amicitiæ vinculo sacramenti religione firmato, 1317.
omnique sanguinis necessitudine exuta, compedes illis iniici & in carcerem rapi jubet, etiam miserorum calamitati illudens: *numquid meminissent ludum Hatunen sem. hunc nihilo meliorem fore.* Et cum dicto vinculis injectis, in altissimam, ipsis tenebris horribilem, arcis Nicopensis turrim detrusi sunt. Ubi tanta in eos immanitate utebatur Birgerus, ut abjectis in profluentem carceris clavibus, eos inedia, tardo & sævo mortis genere, conficeret. Dux Ericus post triduum non solùm fame sed & plagis in defensione sui, ubi capiendus erat, malè mulctatus, & squalore carceris excruciatus, decessit. VValdemarus post undecimam demum diem fame enectus est. Atrox istud & funestum supplicium fidem facit effati Corneliani: *Fermè acerrima proximorum odia.* Equidem ut mel nimis sumtum in gravem bilem convertitur, ita propinquorum conjunctio amorque in asperrimam degenerat iram & inimicitiam, si se maximè læsos putent ab illis, à quibus minimè promeriti videbantur aut exspectabant. Inprimis si pietate & animi moderatione excussis, nihil nisi trucem ultionem cogitent. Hoc immani facinore adeò exacerbati sunt animi civium, vt non solum id in patre, Holmia & tandem regni finibus exclusо, sed etiam in filio Magno, paterni sceleris, uti existimatur, conscio persequerentur. Birgerus ab Erico rege Daniæ sexcentis equitum auxilio missis & à Magno Birgeri filio adductis, suisque copiis auctis belli aleam frustra tentat, à Suecis, Canuto Porsio duce, Suderopiæ cæsus pulsusque in Gothlandiam. At filius Magnus dum omni ope nititur patri laboranti succurrere, expugnata arce Stegeburgensi, quam insederat, & classe per Iohannem Brunconem ei submissa, sed incensa, tandem ad juratam incolumitatis fidem, in deditionem accipitur; Holmiamque deductus, caussa cognita, nequidquam fidem publicam, & innocentiam suam absentiamque in Dania, cum pater ejus fratres custodiæ mancipasset, obtestatus, in insula, quæ olim sancti Spiritus dicta, capitis supplicium subire coactus

est. Iohannes Brunco verò cum sociis facinoris, Vlfo Sualabeckio, Ludero Fossio, & VValramo, quod fuera
1319. à partibus Birgeri fratricidæ, extra urbem, qui à Brunco hodieque nomen habet, capite plectuntur, corporibus e rum rotæ impositis. Defunctorum Principum corpora Ho miæ honorificis exsequiis in S. Nicolai æde condita sun Arx Nicopensis ex detestatione admissi in ea tam funesti pa ricidii diruta & solo æquata est. Birgero regno patriaq ejecto, Matthias Ketelmundi princeps senatus & præf ctus Sueciæ tempore interregni ob perspectas ejus pace be loque virtutes, & postea tutor Magni Ducis Erici filii co stituitur. Post res domi compositas, armis petit S nios, ob suppetias Birgero latas, & editâ prope Morkla giam pugnâ, victor evadit, trecentis Danorum captis, re quis in fugam actis. Birgero apud Danos à Christopho rege præfectura Holbecensis & castellum Spicaburgum vitæ subsidium indulta sunt. Ita rex fastigio suo in vile sortem, sed culpâ suâ devolutus, alienâ misericordia viv & in exsilio decedit: communi fato superbæ & sævæ dom nationis, ut tandem ipsum feriat authorem; at eo turpius, mereatur.

MAGNVS cognomento SMEEK

i. e. BLANDITIIS DELINITVS

Ducis Erici inedia à fratre exstincti filius, adhuc infans, tr annos plus minus natus, ob meritorum avitorum memoriam à Matthia Ketelmundi præfecto regni, ad Morasteeniu
1319. opportunè populo commendatur. Super humeros Matthi & in conspectum adstantis multitudinis elatus, ita mov omnes, ut rex Suediæ publica voce designaretur. Post quoque à Norvegis ad regni gubernationem electus est quum Haquinus eorum rex non alios hæredes quam filia suam & hunc ex ea nepotem reliquisset. Gothlandi itidē suc
1322. misere oratores, qui regi sacramento dicerent. Hoc insupe adstruxit imperio Magni fortuna, ut Scania cum adjacentibu provinciis ipsi accederet. Quum enim à Christophoro reg Daniæ belli mole presso istæ provinciæ pro ingenti pec

nia

niæ vi Gerhardo & Iohanni Comitibus Holſatiæ pignori obligatæ eſſent, nec ex pacto intra biennium æris ſolutio [illegible] milites Holſati iſtic per præſidia diſpoſiti adeò grassabantur, [illegible] provinciales vim eorum & injurias apud Comitem criminantes, niſi opem ferret, ſe prope excidium eſſe quererentur. Ille [illegible] expungeretur debitum, ut ſe à vi hoſtium ipſi vindicarent, illis integrum fecit. Sed cum nec ipſi, nec rex Daniæ tanto æri exſolvendo eſſent, conſilio habito obtulerunt Magno regi Sueciæ Scaniam, Hallandiam, Blekingiam & Huenam pro ſeptuaginta millibus argenti puri ſelibris redimendas. Ille quamcunque potuit inivit viam eas reciperandi. Dimidiam partem decimarum eccleſiæ Magnus in ſubſidium corripuit ad redimendam Scaniam, alteram partem ſuppeditarunt ſubditi. Nec eſt quod quidam arguant Scaniæ & adjunctarum provinciarum alienationem, quaſi injuſtam: quum Iohannes Holſatiæ Comes eas ſibi ſolum pigneratas venundare non potuerit. Non enim cum ſolo Iohanne Comite Holſatiæ, ſed, mox decedente Chriſtophoro rege Daniæ, cum VValdemaro ejus ſucceſſore & regni Danici ſenatu contraxere Magnus regnique Sueciæ ſenatus: ut ex literis VValdemari liquet. Quod ergo deerat poteſtatis Comiti Holſatiæ oppigneratas ditiones alienandi (niſi ita conveniſſet) hoc ſuppletum & confirmatum eſt Scanienſium & vicinorum, item VValdemari & Senatus Danici conſenſu; & quidem hac ſevera lege addita, ut ſi rex VValdemarus reſcinderet hunc contractum, ordines regni ipſi impune obniterentur. Unde manifeſtum fit, eum contra proprium factum ire non potuiſſe. Magnus igitur tot provinciis, & ipſo Norvegiæ regno potentior, ſub initia quidem imperii conſtanter egit & bene rempublicam rexit, præſertim Matthiæ Ketelmundi prudentia & cura. Ejuſdem conſilio Blancam 1335.
Gallicam Comitis Namurcenſis filiam ex regia Valeſiorum ſtirpe ſibi matrimonio junxit: quæ ipſum parentem duorum filiorum Erici & Haquini, & trium, vel, ut quidam, quatuor filiarum fecit. Exſtincto Ketelmundo, Magnus, quum eſſet triginta annorum, & jam dignos viro & rege ſpiritus capere debuiſſet, in vitia palam ſolutus, alia omnia egit.

à quibus tutoris Ketelmundi reverentia adolescentem retinuerat. Maximè spreto illorum consilio, quos præter ætatem fides & insignis rerum usus commendabant, in[illegible] consuetudini se applicuit, qui rerum inexper[illegible] & cupiditatis ejus ministri rempubl. cum ipso pr[illegible]pitem agebant. In
1348. Moschos fidei paciscque tum parum observantes dum arma signaque movet, primò feliciter ei res provenere. Arcem eorum validissimam, & veluti Moschoviæ clavem Oreschamn Nötheburgum nostratibus dicitur, occupavit. Sed quum gens astuta deprehendisset, quâ cupiditate capi facilis esset Magnus, eadem haud infeliciter invadunt. Quippe credulum & pecuniæ studio deditum fallacibus promissis de redimendo magna vi auri isto munimento & simul pace, decipiunt. Mox accitis Tartarorum & Lithuanorum auxiliis, promissum aurum in ferrum & tela convertunt. Rex in actum à tanta multitudine redactus, & salutem pactioni debere se indignum ratus, alacritate & industria suorum ad flumen Nivam solum effodientium & viam ad mare aperientium evasit, relictis in arce præsidiis, ab hoste postea concisis, & arce recuperata. Quum de pace inter Svedos & Ruthenos regnique finibus istic regundis agitaretur, Ruthenes partem Careliæ loco limitum sibi restitui urserunt. Tandem ea lege pax inter regem Sueciæ Magnum & Georgium Novogardiæ Ducem conventa est, ut Careliam inter se dividerent, positis limitibus in Systerbekio & proximis versus boream istic locis. Domi quietus Rex, violata matrimonii lege in vagas, &, ut quidam volunt, contra naturam libidines aliaque dedecora se effudit, amicorum monitis & fulmine interdicti sacrorum Hemmingi antistitis Upsalienses nihil territus. Animus enim cupidine cæcus & vitiis obfirmatus, nec fida consilia, nec Dei metum admittebat; do-
1350. nec ipsa pœna supra caput staret. Gravis illa & communis pestis, scelerum ultrix, quæ passim orbem terrarum pervagabatur, etiam hîc ingentem hominum stragem dedit: unde, quod densaret funera, vel, ut alii volunt, quod intumescerent ægroti defunctique ceu veneno infecti, Digh dööden aut Swarte dööden sermone patrio dicta est. Paulò post sancitum est, ut unà cum mercibus regno invehendis, certi argenti signati vel non signati summa in usum cudendæ mo-

nc

netæ fisco regio inferretur, pro aliis minutioribus numis permutanda, & pro quadraginta marcis una selibra argenti. Sequenti anno obiit præsul Vpsaliensis Hemmingus, severus pietatis assertor & vitiorum castigator. Quod alias non videri possit pretium, tamen Academiæ caussa tangam: quod exstruxerit amplissimas illas ædes, nunc in auditoria Gustaviana conversas. Quum Magnus nondum in medius suos mutaret mores, veriti regni proceres, ne secum rempubl. in præsentem ruinam daret, & ad novas aliorum spes cohibendas, in consortium imperii adsciscunt filium ejus Ericum. Pater impatiens socii filii, Benedictum Algothum nobilem, olim ministrum suum, Suediæ ducem constituit. Sed illum, quasi vitio creatum, Ericus ope subditorum expulit in Scaniam. quod regina Blanca tam acerbe tulisse fertur, ut ejus caussa in Daniam proficiscens, VValdemari opes ad istum hominem restituendum, spe Scaniæ in ejus potestatem per artes redigendæ, sollicitaret. Eam conditionem lubens amplexus fuisset VValdemarus, nisi interim iste Benedictus in Scania ab Erico interimeretur. Historiæ Danicæ scriptores ipsum Magnum quoque cum regina & Haquino filio in Daniam iviſse, & rogasse opem VValdemari adversus Ericum tradunt. Quam si impetraret, se Scaniam ei redditurum promisisse. Postmodò sumtis arbitris Alberto duce Megapolitano & Adolpho Comite Holsatiæ, res ita Enecopiæ composita est, ut Erico adsignaretur orientalis & australis Gothia, cum Scania, Blekingia, Hallandia australi & diœcesi Aboensi; Magnus verò sibi retineret occidentalem Gothiam cum Gothlandia, Hallandia boreali, Vermelandia, Dalia & Vplandia. Sed ut literæ de Scaniæ redemtione traderentur servandæ quatvor viris ex senatu regni, & quatvor episcopis: ad præcavendum, quod metuebant, ne in manus VValdemari redirent. Magnus tamen vt id faceret animum inducere non potuit; à se, an Blanca sua persvasus. Eadem haud prius spatium iræ quietemque animo dedisse fertur, quam Ericum à patre quasi publici negotii caussa evocatum de medio sustulisset. Advenienti viperini sanguinis matrem, conscio patre, venenum filio miscuisse, communis rumor incessit. Equidem post viginti dies spiritum, quem olim dederat, immani feritate

1351.

1360.

proprio filio elisit. Quidam suspicantur, aliàs naturali morte exstincto Erico, ab adversariis ejus fatalem occasum parentibus affictum esse. Alii à subditis interfectum tradunt, ob insolentiam insectantis homines & vim inferentis etiam in sacraria confugientibus; de quo tamen nihil in annalibus patriæ. Nec adeo verisimile fit, quem nuper elegerant cives regni consortem, de quo meliora quam Magno in spe habebant, quem ob virtutes præ Magno colebant, hunc tam subitò commutato animo tam insolenter egisse, aut a subditis trucidatum & exstinctum, cum conjuge & liberis periisse. Huic Erico debemus legem de pœna capitis in factiosos & conspirantes in senatum urbanum. Inter Magnum verò & regni proceres gliscit discordia: dum hi flagitia regis exemplo non minus quam ingenio peccantis, oderunt; ille amicos salutaria suadentes ferre non poterat. Huic occasioni imminens VValdemarus, in Scaniam Magnum amicissimis literis illexit, & *blandis verbis promisisque lactatum* (unde Magno postea cognomen adhærebat) eo perduxit, ut non solum Iohannis Comitis Holsatiæ, sed inprimis literas VValdemari, inconsultis & invitis regni ordinibus, VValdemaro redderet. Ita Magni fortunâ imprudentiaque VValdemarus abusus, quæ justè alienarat, injustè recuperat. Nec enim Magno integrum erat, ut blanditiis VValdemari delinitus, provincias authoritate & pecunia publica emtas, inscio senatu, contra pacta conventa & legem regni, absque expensi pretii refusione, pro arbitrio suo in alienantem iterum transferret. Nec chirographi redditio, invitis cæteris creditoribus aut quorum intererat, facta illorum jus lædere poterat. Postea de hac alienatione inter Sueones & Danos armis scriptisque variè disceptatum est, illis jus sibi integrum reservantibus, his quocunque acquisitionis titulo & tandem longæva possessione nitentibus. Magnus dum animos subditorum & hoc facinore & aliis adversus se magis & magis inconciliatos animadvertit, rerum suarum discrimen metuens, quibuscunque pactis auxilium à VValdemaro petit. Qui properè cum
1361. exercitu adest, & Scaniam Gothlandiamque, quasi auxilio venturus Magno, jam suis infenso, ideoque nihil defensionis gratia contra parante, occupat. Ast ubi Magnus non desinit solennia insanire, ab Haquino filio, ut alii volunt;

lunt, ab aliis authoritate procerum captus, & in arce Calmarienſi cuſtodiæ incluſus, mox à filio dimiſſus eſt. Interim ſpe regni injecta Haquino proceres fuerunt authores, ut Henrici cognomento Ferrei, Holſatiæ Comitis affinitate ſe regnumque contra hoſtium inſidias firmaret. Quod conſilium ſequutus Haquinus, ablegat in Holſatiam Hermannum VVitzium, qui nuptias Elizabethæ Comitis Henrici filiæ procuraret. Hoc dum feliciter effecit legatus, cum ſociis jam per mare adducturus ſponſam, navis quâ vehebantur adverſa tempeſtate rejecta in Daniam, & ſponſa cum legatis à VValdemaro in ſpeciem benignè excepta detentaque eſt, donec ille advocatis per literas Magno & Haquino, parenti filioque perſuaſit recuſare Elizabethæ tanquam humiliores nuptias, & eminentiorem ac potentiorem eligere in regia domo affinitatem. Ita nuptui data eſt Haquino Margareta VValdemari filia. Sed hoc non minus Sveciæ proceres, quam Henricus Elizabethæ pater, perquam moleſtè tulerunt: illi ob ſpretum ſalubre conſilium & famæ ex fide rupta labem: hic ob repudiatæ filiæ, quaſi proſtitutæ, aut eo matrimonio indignæ probrum. Idem Suediæ proceres monet pactorum de filiæ ſuæ matrimonio ſervandorum, ſub exiſtimationis & fidei periculo. Sed illi, quum pacta explere laborarint, alienam culpam intervenientem negarunt ſe poſſe facere ſuam. Vt tamen offenſam Comitis inſigni beneficio placarent, per legatos Nicolaum Sturium, Carolum de Toſta, Ericum Caroli & alios ex procerum ordine, cum Vexionenſi & Lincopenſi præſulibus ei regiam dignitatem obtulerunt. Ille ſenectutis & adverſæ valetudinis excuſatione uſus, eos dimiſit ad Albertum Ducem Megapolenſem, ſocerum ſuum, qui ex Euphemia Magni regis Sueciæ ſorore tres filios ſuſceperat, Henricum, Albertum & Magnum. Ex quibus Albertum, Magni ex ſorore nepotem, ne familiam excederet regius honos, eligendum legati exiſtimarunt. Haquinum, quod cum patre conſpiraſſet, præterierunt. Huc connitebantur reliqui magnates ad Albertum profugi, quum à rege Magno proſcripti eſſent: quod eum ad ſaniorem mentem reducere conati fuerant, & de temeraria Scaniæ vicinarum- 136

que ditionum alienatione liberius admonuerant. Sed quum Albertus per arma liberaſſet legatos in Dania detentos, de quibus ante memoratum, & hos viginti quatuor exules hoſpitio ſuſcepiſſet ac foviſſet, hanc ipſi gratiam rependere voluerunt, ut ejus filio aditum ad regnum, excluſo Magno, pararent. Qvum autem adverſarii Magni non poſſent, quod totius populi erat, judicium exercere, nec ipſi ſoli Magnum emovere, Albertumque ſurrogare: ne quid vitio videretur factum, pater cum filio ivit in Sueciam, hac de re coram acturus & populi ſuffragiis totum negocium commiſſurus. Adventante Alberto, in comitiis Holmiæ de novo rege adſciſcendo, & priori, cujus inſanabilis eſſet animus, emovendo, iterum actum & pronunciatum eſt. Quum ad ſe defendendum Magnus vocatus, pertinaciter abeſſet, nihilominus regno amotus eſt: quod mores eum ſui manifeſtò damnare viderentur. Cauſſæ enim amotionis hæ peculiares fuere: *Quod in impia, libidinoſa & publicis moribus peſtifera perſeveraret vita, nec ad ſanitatem redire vellet. Quod Scaniam Hallandiamque tanta vi pecuniæ emtam, à corpore Suediæ iterum ſeparaſſet, & in alienas manus tranſtuliſſet. Quod injuſtis oneribus ac tributis regnum exhauſiſſet. Leges & juſtitiam, pacta & juramenta violaſſet. Pernicioſas regno ſocietates quæſiviſſet. Quod regni Senatum evertere in animo habuiſſet.* Hac ſententia publicata Magnus communi conſenſu excluſus, quicquid etiam ex diverſo obteſtaretur, Albertus in regnum admiſſus eſt.

IOHAN-

JOHANNIS LOCCENII HISTORIÆ RERUM SVECICARVM

LIBER III.

ALBERTVS

Etsi primus regum extraneus regnum cæpessit, Magno tamen non vi eripuit, nec per nefas, ut quidam volunt, invasit; sed consilio consensuque procerum, & jure electionis occupavit. 1363 Non quidem inficias re possumus, quod extorres patria, qui ad Albertum confugerant, de quibus paulo ante dixi, velificati sint Alberti gratiæ, ipsius ope ac patrocinio defensi, gradumque ejus filio apud suos ad regnum struxerint; nec ille forsan ambitu plane liber fuerit. Hoc tamen in comperto est, ipsi regnum à legatis Suediæ, Henrico comite Holsatiæ eligendi sortem à se ad ipsum delegante, repræsentatum & postea Holmiam accedentem, in comitiis unanimi omnium acclamatione Regem, amoto ex dictis cautissis Magno, pronuntiatum fuisse. Magnus autem frustra armis quo exciderat, recuperare conabatur: præclusis ei arcibus & portibus, quocunque moverat. Accedebat etiam hæc animi pœna, ut effusis lachrymis ostenderet se pœnitenda fecisse. Nisi verius fato suo, & lubrico rerum etiam magnarum inlacrimarit. Palam sanè professus est: quum Deus tantum in se permisisset fortunæ, ut fastigio regio dejiceretur, nulli libentius quam suo propinquo cessurum imperio. Saltim hanc sibi vicem rependeret, ut ejus beneficio occiduam Gothiam vitæ tolerandæ retineret. Ea potitus, nondum tamen adquievit. Dum enim Albertus abest ad pertinaces tum Finlandos compescendum, ille tumultuarium militem ex Gothia, Dania & Norvegia collectum in Suediam secum rapit, ambitiosè jactans, *se aut totum regnum reciperaturum, aut toto cariturum*; tanquam nihil possideret, si totum non possideret. Ei Sueones absque cunctatione adversa

versa signa inferunt, commissâ gravi pugna inter Enecopiam & Arhusiam ad pontem Osteni: in qua, ut in civili bello hostes ne quidem cognato sanguini pepercerunt. Victoria tamen Alberti fuit. Haquinus ex pugna saucius, rescisso à tergo ponte, fugam accelerat in Norvegiam. Pater verò prehensus in septem annorum custodiam Holmiæ compingitur, donec filius ejus Haquinus jam rex Norvegiæ creatus ingenti cum exercitu urbem arcta obsidione cingeret, munimentoque à regio monte dicto in proxima rupe ad boream excitato, Holmiam expugnaret, eo successu, vt pater ejus custodiâ solveretur, pretio liberationis, duodecim millibus argenti selibris promisso, pro quo sexaginta Norvegi fidem obstrinxerunt. Inde Magnus in Norvegiam cum Haquino concessit, ubi reliquum vitæ egit, clausitque infelici fato; dum fretum Bolmesiordam ad Lindholmum cymbâ transmittens, submersus periit. Hæc ea rerum mutatio subsecuta est, ut Haquino paucos post annos & Olao ejus filio terra excedentibus, Haquini uxor Margareta & filia VValdemari regis Daniæ, vtroque regno Daniæ & Norvegiæ hæreditatis titulo potiretur. Albertus verò quum principiis regni justè & clementer imperium administrasset, privilegia ordinum non semel confirmasset, leges aulicas instaurasset, postea non parum offendit subditorum animos, uti docent literæ Vplandorum ad Gothos datæ: quod contra leges regni, in quas jurarat, contra suum pactum scripto Gripsholmiæ expressum, posthabitis indigenis Sveonibus, suis solum popularibus studeret, & ex eorum consiliis omnia agitaret. Quod arces & munimenta atque præcipua reipublica munia Teutonibus etsi rerum patriæ ignaris, non Svedis committeret. Cives & agricolæ causas apud regem vel ejus judices adversus peregrinos acturi, simplicique candore audiri rogantes, cum ludibrio rejiciebantur. Secundum advenas verò & Teutones suos promtè jus dicebatur. Generosas virgines viduasque imparium connubio jungebat; sanguine sibi propinquos fingens, ut speciosius eis imponeret, claraque familias deprimeret, quos postmodò deprehensum est tenuis obscurique generis fuisse. Non paucos tamen ex suis & quibus favebat, nobi-

1365.

1371.

nobilitatis insignibus ornavit, ut familiæ sordes detraheret. Obtentu armis repetendi Scaniam & vicinas provincias (quod etiam, licet frustra, tentabat) tuendique dignitatem regiam, inusitata civibus imposuit, & pro lubitu, onera. Tertium quodque prædium episcoporum & nobilium ad regias impensas exigebat, & invitis per suos extorquebat, unà cum quatuor marcis à singulis ad equos in belli vsum emendos & dimidia parte decimarum Ecclesiæ ad biennium intercepta. Tantis oneribus accedebat, quod extraneos, quos provinciis & munimentis majori cum civium onere præfecerat, abdicare dominatu vel coercere nolebat. Quotiens hoc urgebant proceres, hîc surdo narrabatur fabula; non quidem per se adeo difficili, sed â pravis consultoribus aliter persuaso: qui non tam Principis & publicam quam suam rem agebant; & cum Principe rempub. perdidissent, nisi cura procerum providisset. Nihilominus intestinæ turbæ nascebantur, aliis cum Alberto, aliis cum Margareta facientibus. In quo motu etiam Carolus Nicolai eques 1381.
in ipso templo fratrum minorum ad aram obtruncatus est, à Boethio Ionæ prorege in absentia regis, & in frusta dissectus; quorum numerum istic repræsentat cippus sepulcro Caroli instratus. Qui stabant à partibus Margaretæ, ejus opem contra factiosos & Alberti vim exposcebant. Quam illa promisit ea lege, si se reginam agnoscant & regni Suediæ Principem; velut ejus maritus fuisset. Hoc quanquam nonnullos procerum non leviter percellebat, plerique tamen quidvis potius experiri, quam sub Alberti jugo degere præoptabant. Itaque Principes ordinis equestris Margaretam datis codicillis pro regina acceptant: quorum bona quasi perduellium Albertus publico addicit; & simul bellum in Margaretam suo fastigio imminentem parat. Ex hac occasione Albertum, præter Suediam, quam imperio jam tenebat, etiam Daniam & Norvegiam armis subigendi animo, tribus coronis pro insigni regni Suediæ primum usum esse, quidam scriptores rerum Danicarum perperam opinantur: quum illud dicti regni insigne vetus sit, post alios reges jam ab Erico sancti cognomine

cognomine & Magno Birgeri dudum ante Alberti ætatem usurpatum; uti claris documentis, quæ adhuc exstant, probare datur. Sed hac de re alio loco plura. Rex usitatis & nuper excogitatis regni subsidiis nec dum ad impensas belli sufficientibus, Gothlandiam equitibus in Boruſſia, à cruce nomen nactis, pro viginti aureorum millibus opipgnerat. Quam postea Sueones sub Margareta & Erico Pomerano regnantibus, indicto ab ea singulis capitibus duodecim assium pro quolibet cubili censu aliisque tributis iterum redemerunt. His ceteriſque impensis Albertus, Suedis erga se affectu jam langvidioribus parum fidens, extraneorum agmina conducit in Saxonia & Holsatia: quorum duces erant Bugislaus Princeps Stargardiæ, Gerhardus Comes Holsatiæ, Otho Comes Repini regi necessitudine conjuncti viri, acres promtique. Nec Margaretæ animus & viri deerant. Quippe copiarum duces belli gnaros & exercitatos delegerat: judicio hic virili usa. quamvis Albertus eam *manachorum amicam*, quod abbati Sorano addictior esset, & *reginam absque braccis* appellaret. Miserat eidem per ludibrium longam cotem, quâ ipsam cum gynecæo acus suas & forfices potius quam hastas & enses exacuere jusserat. Quæ adhuc in Dania Roschildiæ in majore urbis æde fixa adservatur, rei ad posteros monimentum. Votum itidem fecerat, se non prius cucullum, capitis regii ea ætate tegumentum, impositurum capiti, quam reginæ perfidiam castigasset, Scaniam recepisset, Daniam cum Norvegia occupasset. Die, qui Matthæo dicatus, ad Faloniam
1388. VVestrogothiæ (quidam Falbogiam vocant) congressi, non minus infestis quam instructis equitum peditumque copiis utrinque depugnarunt. Victoria aliquamdiu anceps, tandem in reginæ partes concessit. Qvum enim Albertus in profundam paludem incautè duxisset agmen, unde eluctari arduum erat, occasione capta reginæ exercitus se laborantibus superfudit, eosque prostravit. In exercitu Alberti præter ingentem militum manum occubuerunt equitum torquatorum novendecim, duo Comites Holsatiæ Repinique, & præsul Scarensis. In exercitu Margaretæ desiderati sunt ex ordine equestri octo, præter gregarium militem, & Parovius agminum ductor. Ipse rex cum filio in hac clade captus, contem-

contemtum & ludibria in hostem emissa, in ipsum authorem, ut sæpe solent, recidere sentit; dum regina absque braccis, uti appellata erat, regem braccatum in acie cæsum & comprehensum ex campo in carcerem agit. Vbi ipsa re experiebatur, caput non femora aut braccas imperare. Quidam ferunt regem, ubi in conspectum reginæ adductus fuisset, ab ea votivo per ludibrium cucullo donatum, & ad suscipiendos de sacro fonte liberos ex præsule Sorano genitos invitatum fuisse. Sunt qui addunt, regem ejus forma captum, etiam concubitum expetiviſſe: reginam pedibus ac manibus ligatum in lecto suo deponi jussisse. Sed de hoc cum nihil in annalibus, in medio relinquo. Rex eodem die quo Magnus vinculis traditus erat, cum filio primò in arcem Bahusiam Gothiæ occidentali & Norvagiæ limitaneam, dein Lindholmiam Scaniæ munimentum, vbi septennium exegit, quot ille annos avunculum Holmiæ in custodia tenuerat, ex ultione divina, captivus abductus est. Reliqui in vincula dati, pro redemtionis pretio dimissi sunt. Inde altercatio inter Gothos & Sueones orta est de novo rege eligendo, aut Margareta regno adsciscenda. Alii verò, quorum sententia vincebat, captivo regi, caussa ejus nondum satis discussâ & definitâ, successorem dari, à tempore & æquitate alienum duxerunt. Hæc ergo res in opportunius tempus dilata est. Interim Teutones cum Sueonibus de liberando custodia rege contendunt. Illi: *Sueonum fidem periclitari, nisi regem suum adjuvent.* Sueones: *A se bellum adversus Margaretam non susceptum, sed ab illis & rege. Ideo hanc rem pertinere ad illos, tanquam hujus mali authores. Se exactionibus ita enervatos esse, ut vix spiritum recipiant.* Iohannes dux Megapolitanus ad caussam regis armis tuendam, eumque, si posset, custodia eximendum accurrit. Classem in mare Balthicum bene munitam educit. Hæc adversa tempestate afflicta, sed mox refecta, Holmiam rectà petit, quæ adhuc regis partes sequebatur. Illam vbi tumultuaria obsidione, qua tum premebatur, liberasset, commeatum infert, & militem in terram exponit, qui pagos & oppida clade belli populatur. Huic ad Tillingam prope Enecopiam ingens rusticorum multitudo se obviam dat, ut eam vim ferro refrenet. Sed turba sine capite, vires & minas frustra jactans, passim concisa

1389.

est

est ad collem, qui inde *mons rusticorum* & *mons damnifer* postea dictus est. Vbi vident Germani Holmiæ degentes, Alberti res in pejus ire, securitati suæ metuentes, factionem suorum quos cucullatos fratres appellabant, conflarunt, quorum numerus postea ad mille quingentos excrevit. Hujus mali principium erat ex nationum disparitate, livore, privataque quorundam exterorum utilitate reliquis civibus & indigenis intercepta. quod deinceps infenso, denique capto & incluso Alberto crevit, insidiarum adversus Albertum suspicione: quod Margaretæ futuræ reginæ, quam regi Sueones viderentur addictiores; & vires sumsit ex odiis, rixis, maledictis atque ulciscendi cupiditate, extremo dissidiorum fructu. In libello centum septuaginta cives ad cædem designasse perhibentur crudelis factionis authores, in eorum numero fuisse, qui ante quadriennium jam fato defuncti erant. Vnde colligunt hanc conjurationem illos meditatos esse, ex quo Albertus invisum habuit regni senatum, jam ad quinquennium. Quidam & hoc agitasse tradunt ut, sublatis indigenis, sibi solis Holmiam habitandam servarent, & in vacua dominarentur urbe. Quodcunque fuerit consilii, perqvam atrox, cruentum & omnibus sanis detestandum erat. Vnde quum ad Alberti nondum capti aures accidisset, in eo boni regis officium fecit, quod eos ab hoc immani incepto sedulò dehortatus est, & secum seriò cogitare jussit, quantam Germanico nomini dedecoris notam inusturi, quantum sceleri suo supplicium debituri essent, si perpetrarent. Incolumi regis dignitate & existimatione, quieverunt. Sed capto rege audentiores facti, absque metu exsequuti sunt: nihil curantes, quod antea re ad tumultum spectante, cum civibus gratiam redintegrassent. Animis enim impotentibus gratia oneri, ultio in lucro est. Etenim blandis verbis felle suffusis eos duxere, donec præmissa insidiosa aggressione & captivitate primariorum aliquot civium Petri Alandi, Alberti Caroli & Bartholdi Brunii ductu Adolphi Greveradii noctu cives Holmenses oppressos in arcem abstraxerunt. Vbi incredibili tormentorum genere, ligneisque serris feruntur eos excruciasse, ut per quæstiones investigarent, num adversus Albertum clandestinam proditionem molirentur; qui tamen

nihil

nihil tale confessi sunt, hujus facinoris reos se non agnoscentes. Inde ad proximam insulam Keplingam per tenebras abreptos, & ædibus inclusos facibus injectis combussere, bonaque eorum militibus diripienda permisere. Hujus sævissimi facinoris justo dolore non temerè motus Iohannes Magnus prudenter monet, cum delectu peregrinos,& magistratus urbis, unde veniunt bonorumque virorum commendatione, vel longo usu probatos, admittere. Quamvis enim humanitatis sit, etiam exteræ virtuti & commerciis aperire vrbes; tamen cautione opus est, ne scelerati pro bonis irrepant: qui malis moribus & exemplis rempub. corrumpunt. Ne peregrini civitatis jus adepti plus possint, quam ipsi cives. Neu suspicionis, invidiæ odiique causas temerè alant, aut ex facili tradant atque accipiant Vt connubiis, artibus, consuetudine, juris & fidei societate mixti, paulatim in morem nomenque patrium coalescant. Qvum, qvæ ad liberandum Albertum Principes Megapolitani tentaverant, ex animi sententia non procederent;quinto captivitatis ejus anno ad piraticam quoscunque, suo quemque periculo & lucro, publica voce conciverunt, eisque borealia regna, præsertim Sueciam ejusque cives mari peregrinantes & commercantes prædationi destinarunt. Rostochium & Vismaria prædonibus suos portus & oppida, 1393.
ad distrahendum istic spolia, aperiebant. Gothlandiam ipsi prædones, ut fugæ receptaculum, occupabant. Invisum omnibus bonis nomen piratarum, specioso Vitalianorum fratrum, ut vocabant, vel provisorum annonæ titulo emollire conati sunt: qvasi qui commeatum solum colligerent, & in destinata loca deveherent. Hæc vis piratarum ingenti hominum sceleratorum confluxu aucta, oceanum & mare Balthicum valde infestum & navigantibus intutum reddidit: quippe absque duce, imperio, disciplina liberè ad prædandum emissa improborum manus, quibus omne fas & nefas pro lusu est, quosvis impune exspoliabat. Captis quantum volebat redemtionis pretium novo cruciatus exemplo in eos edito extorsit. Induebat eos ligneâ tunicâ, præacutis intus spiculis defixis obsitâ & valde molestâ, ita ut nec sedendi nec cubandi nec corpus movendi inclinandive, infestis imminentibus clavis, unqvam copia esset. Multi vitâ,

fortunis, navibus exuebantur, cum ingenti negociantium detrimento. Vnde qui eos conduxerant, non parum in invidia apud vicinos populos fuere. Tandem illa colluvies conjunctis viribus Margaretæ reginæ & Vandalicarum civitatum compressa est. Holmia tunc gravi fame laborabat, quam Megalburgici ad invidiam piraticæ minuendam, & maximè lucri sui causa, commeatu sublevarunt. Cum Dani quoque mare tunc infestarent, & in gratiam Margaretæ contra illos irent qui pro rege & civitate stabant, factum est ut ingruente acri hieme, unâ nocte aquâ glacie obducta naves à frigore & mox ab hoste obsiderentur. Hugo dux classis Megalburgicæ futuri providus, suas naves trabibus aqua imbutis & glacie duratis vallavit, ut contra telorum hostilium ictus præmuniret. Dani conatu pugnæ nauticæ frustrati, terrestri itinere per mare adoriri naves adversariorum, iisque machinas, quas Catos appellabant, admoliri, ex quibus hostium naves telis impeterent. Quod præsentiens Hugo, vesperi glaciem circa navium ambitum clam incidi jubet. Mox juvante consilium fortuna, tenui istic renascenti glaciei nix se superfudit, ut hostis nullum discrimen adverteret. Admotis itaque machinis, ubi in locum fraudis deventum est, omnes rupta glacie demersi profundum petiere. Nec defuit, ut solet, detrimento ludibrium, dum sublato ex navibus clamore & cachinnis, dicterio Kas, Kas qvæ vox feles, vulgò catos, dictas machinas alludens, signat, illusere pereuntibus. Simulac verò soluta glacies de-
1396. sedit, cibaria laboranti civitati intulerunt. Sequenti anno legati à Vandalicis civitatibus, spe immunitatum ab Alberto & Principibus Megalburgicis illecti, reginam Margaretam, acturi de liberatione Alberti, qui jam per sexennium in vinculis erat, accesserunt. Vno ex illis, qui Stralsundensium proconsul erat, per tumultum interemto, ceteri re infecta domum receserunt. Sed anno proximo reversi, fidem suam interponentibus octo civitatibus, Lubeca, Hamburgo, Stralsundia, Dantisco, Turino, Elbinga, Kempis & Stetino, Albertum custodia dimitti effecerunt his pactionibus: *ut reginæ sexaginta millia selibrarum argenti* (septuaginta millia habet Ericus Vpsal.) *pro sui redemtione solveret: aut Stocholmiam illi traderet, cum renunciatione omnis juris, quod in*

Sueciam

Sueciam prætendebat: aut, si hoc nollet, in vincula rediret. Illi visum, quam minimo defungi incommodo, pro temporis necessitate: quod parum præsidii in regni proceribus haberet. Itaque reginæ, vel ut alii, sponsoribus tradit Holmiam, suumque in regni possessionem jus ei resignat. In quodam annali memini me legisse, Albertum nobilium in Ducatu Megapolitano virginum & fæminarum monilibus aliisque ornamentis aureis in publicum collatis redemtum fuisse. Pro eo beneficio illis postea privilegium ex æquo cum masculis in soli possessiones succedendi dedisse; quum antea masculis duas partes ferentibus, illi solùm tertiam caperent. Quod autem Cranzius emoti regno Alberti aliorumque quorundam regum, causam ponit, perpetuum in Sueonibus nova cupiendi studium; utique momenta illarum mutationum, & istius temporis regnique habitum non satis ponderavit. Non quidem abs re est, quod pertæsum fuerit imperii Alberti: quum satis compertum haberent, eum, non uti fas erat, amare vel cives vel rempubl. dum toties contra leges regni per se sive suorum instinctu faciebat, ut superius ostensum. Istud tædium non obscurè exeruerunt, vbi partes regis tandem deserendo, Margaretæ sectabantur. Decuisset equidem cives pro causa regis sui, per septennium captivi magis laborare, atque, si adversis castigatus resipiscere voluisset, offensiones & ipsi & quieti reip. condonare; eumque in pristinum dignitatis gradum reponere, æquitatis fuisset. Sceptrum enim quanquam suffragatione hominum Principi traditum, tamen à Deo esse constat. Non est itaque civium arbitrii, si quà offendat Princeps (quod humanum est in tanta præsertim fortuna) statim excutere sceptrum illâ manu, in qua Deus ipse collocavit. Nihilominus ita districtè adseri nequit, quod mutationum adeò cupida fuerit gens Suetica, & fastidio præsentium Albertum aliosque quosdam Principes regno emoverit. Fac plebem aliquando sic affectam fuisse, sive majore & ingenito desiderio indigenarum quam exterorum, sive culpa & inclinatione ipsorum imperantium: quibus semel invisis, plebs novum respicit: sive privato erga illos odio & invidia conspectiorum, qui etiam authoritate sua vulgum trahebant. Rerum tamen prudentiores satis scivere, non esse ex usu & dignitate regni 1395.

frequentes mutationes. Semper quidem alium, non semper meliorem posse dari regem. At hic animi civium, quod tam indigne habiti essent, spretis â rege ipsis, regnique legibus & institutis violatis, ita exulcerati erant, ut molliora remedia parum apud eos proficerent, & durioribus ipsi obluctarentur; jamque à fortuna ferme destitutum negligerent. Nec tamen à fide penitus, antequam ipse, discesserant. Quippe caput vrbium, Holmiam cum nonnullis aliis munimentis vsque ad finem custodiæ Alberti in obsequio tenebant: quo nomine etiam scriptis literis eos laudavit Albertus. Sed ubi ad extrema res devenerat, necessitati cessum, & Margaretæ imperium traditum est. Accedit quod ea quoque tempestate Principes liberis populi suffragiis, certis legibus & pactis imperium acceptabant, quæ si ex fide implerent, perpetuo obsequii nexu illis obstricti erant subditi; si non servarent, ipsi quoque fidei vinculo se solutos vi mutuæ conventionis autumabant, nec id aliarum gentium institutis alienum esse. Albertus autem regno exclusus, in monasterium Dobranense Ducatus Megapolitani se abdidit, ibique procul imperio ætatem egit: hoc securius arbitratus, quam incerta spe metuque suas & aliorum fortunas in posterum versare. Sic extra statum dignitatis in obscuro consenescens obiit, meliore sorte dignus, si, ut cæperat, imperium ex vsu publico administrare perseverasset.

MARGARETA

1395. in Alberti locum adsciscitur Sueciæ regina, jam ante Daniæ & Norvegiæ imperio potita. Prius tamen diversis certatum est studijs inter proceres & populum; his Margaretam, aliis alios regno destinantibus. Quibusdam patris VValdemari filiæque animus parum in Suedos pronus, occultæque molitiones, præter insitum velut & jam flagrans utriusque nationis odium, satis causæ visæ ad declinandum Margaretæ imperium. Alii publica præstiti ab illa adversus Albertum auxilii, cum factâ jam ante à quibusdam ei spe regni; alii privata ejus merita in exules & oppressos sub imperio Alberti cives, illorumque in eam animi inclinationes jactabant. Variantibus utcunque sententijs, res tamen eo evaluit

fuit, ut Margareta regina Suedorum crearetur; sed iisdem quibus successores legibus: *ne dignitates, munimenta, tribunalia aliis quam Sueonibus committeret: ne nova onera, subditus, nisi volente senatu populoque, imponeret, ut rempub. cum regni senatus consiliis administraret.* Hæc & reliqua regni jura cives non promtius, religione sacramenti, manu ac sigillo ab ea firmari expetebant, quam illa præstitit. Aura sortis sub novo imperio, ut solet, benignior erat, ad famam clementiæ colligendam, populi obsequium demerendum & potentiam stabiliendam; sed postea paulatim mutavit. Indigenis præteritis, excepto uno Abrahamo Brodero Succo, Hallandiæ & Verendiæ præfecto, cum quo nimiam consuetudinem habuisse fertur; arces, provincias, aliaque publica administranda suis Danis tradidit. Ejus facti contra juramenti fidem & literas datas admissi à proceribus admonita, cavillando respondit: *Vos vestra diplomata & privilegia bene adservate. Mihi curæ erit custodia arcium & propugnaculorum.* Non satis fuit circumvenire cives, nisi & ludibrio eos haberet. Præter isthæc tributis exigendis immodica fuisse perhibetur. Nova utique, partim ignobilia partim invidiosa, emungendi populi nomina ab avaris ministris reperta; honesta tamen aut speciosa ad cogendas pecunias videbantur. Certi numi pro singulis jumentorum caudis, pro quolibet foco & conjugio, præter denarium regium, ut vocabant, pendendi erant; ac oneribus exhaurire subditos inter artes ipsi fuit, ut magis obnoxios haberet, & opes in Daniam colligeret. quo fine etiam Henrici præsulis Vpsaliensis legatum piis usibus destinatum involasse fertur. Aliàs fœmina imperiosa, supra sexum cordata, solers & rebus intenta erat. Isthæc patris VValdemari de ea olim dictum confirmabant. *Deerrasse in ea naturam, fœminamque produxisse, cum virum destinasset.* Animum ejus versutum non temerè suspectabant Suedi, quibus se tandem inviſam duriori imperio & æmulatione adversus suos reddidit. Hoc eò advertebat Margaretam, ut præcipitis ætatis se civiliter excusans, suum ex sorore nepotem Ericum ejusque spem cum annis adolescentem proceribus commendaret. Etenim munimentis ex sua familia, tria borealia regna firmatum ibat. Sed ut ambitum utilitatis publicæ specie velaret, eos

cogitare monet, *regnum absque turbis certo tueri successore, & tantarum opum accessione munire. Si quid ad ingenii cultum & ætatem desit puero,* (quatvordecim tunc circiter annorum erat) *id regia educatione expleri; apud ipsos in mores patrios eruditi; teneramque indolem, flecti facilem, ad regni genium attemperari posse.* Proceres dominationis secretum intelligentes, sollicitudinem ejus de publico laudabant quidem; sed intempestivam & libertati patriæ præsentique regni statui gravem modestè deprecati. Quippe *se viva & adhuc regnante non alium conqvirendum regem præsertim illo imperio, quo per suffragia designatio regis iret.* Illa, *suffragandi arbitrium non insolito more in certæ stirpis & de publico bene meritæ, vel regno cognatæ personas, integra libertate, posse transferri ac dispensari* regessit. Et aliqvanto vehementior, *illos ideo fortè recusare Ericum,* ait, *quod ex ejus sangvine esset.* Ne præfractè eam offendisse viderentur, in consilium res vocata, & variè disceptata est. Erant, qui hâc viâ pravos consultores, velut publicam regni pestem, & pejora reginæ suggesturos, nisi mos hîc ei gereretur, amoveri credebant; hoc solùm remorante, quod liberè eligendi potestas isto exemplo stringeretur. Alii, si assentirentur, tantùm personam, non fortunam regni in extero ingenio, moribus reginæ pro captu illius jam aptato mutatum iri; & forsan inclementiora, quam sub ea, augurabantur imperii fata. Quidam affinitate
1396. Danis juncti, vel possessionum apud eos suarum discrimine perciti, sed privatum commodum dissimulantes, commune obtendentes, tantas vires & trium regnorum sub uno capite conjunctionem, magnum ad securitatem momentum fore monebant. Hi quum plurium assensum elicuissent, tandem spem imperii in Erico Pomerano consensu ratam fecerunt; ita tamen ut veteri electionis juri regnique legibus id fraudi non esset. Senatoribus Nicopiam accitis, Margareta cum illis de regni statu egit: *Vti prædia totaque territoria ab Alberto alienata ocyus ad regnum retraherentur. Vt munitiones novæ inter arma excitatæ solo æquarentur. Qui jure & immunitatibus frui desiderarent, intra sex hebdomadas se sisterent, ad jusjurandum sibi ac regi præstandum, præteritorum gratia facta. Vt nobilibus regni sua cuique restitueretur. Vt de loco & tempore dicendi Erici trium regnorum regis decerneretur.* Actum insuper, *ut alienatæ æris fodinæ*

fodinæ ad Coronam redirent. Quod sibi dotis nomine Ordines promisissent, id ipsius esset, quoad viveret; cum residua decem millium selibrarum argenti summa ipsi solvenda; deducto, si cui æs alienum deberet: ut prædia regni nobilibus oppignerata redimerentur. Hæc ex utilitate regni tunc proposita, maturè deliberata & rite definita sunt; non absque reginæ gloria. quam uberiorem hic retulisset, si ita adfuisset commodis Suedorum, ut Danorum: in quos, ut suam gentem affectu prolixo erat.

ERICVS

Rex Sueciæ ad Morasteenium solenni ritu undecimo calendarum Augusti lectus est. Cujus rei memoria lapidi, qui adhuc istic adservatur, incisa exstat. Prisco more jurat in regni leges, quibus imperium capessit: *de fide Christiana sincerè amplectenda; de jure & immunitatibus cuilibet ordini integris servandis; ut nullis insuetis oneribus subditos premat; bella in extraneos non nisi publico consensu justisque causis moveat; ut imperium secundum regni leges gerat. principes dignitates, arces & castella non nisi indigenis committat;* & quæ plura leges regni poscunt. Eodem anno de unione trium regnorum, Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ in frequenti ordinum conventu actum est, & post aliquot annos Calmariæ repetitum. Quam confœderationem ingens concordiæ intestinæ firmamentum, & invictum adversus exterorum vim præsidium fore judicabant. Et fuisset utique, si, ut conjunctio illa communi bono instituta videbatur, ita inter plura regna stare potuisset: & tam bene ingeniis atque usu publico, quam lingva fermè & externis moribus singula convenirent. Sed hac de re mox plura. Vnionis capita prius audiamus; ex quibus isthæc præcipua erant: *Vt hæc tria regna unum duntaxat agnoscerent regem. Singula tamen regna suis & domesticis legibus, institutis ac immunitatibus uterentur; ut præfecturæ, judicia & officia publica per indigenas cujuslibet regni, non exteros administrarentur; ut nulla nova lex ferretur, nisi volentibus omnibus; ut rex quotannis, duobus ex senatu sibi adjunctis, circuiret provincias, & quatuor menses plus minus, in quolibet regno subsisteret, ad audiendum cognoscendumque desideria subditorum. Si quod bellum inflaret, omnes conjungerent operam & vires ad illud propulsandum;* 1396.

ita tamen ut quodlibet regnum suis impensis alteret exercitum, donec ille ad destinatum locum pervenerit; ubi ex communi ærario sumtus promentur. Nullum regnum alteri bellum inferat, nisi communi consensu. Quando rex novus eligendus erit, quadraginta procerum cujuslibet regni Halmstadii conveniant, ut in universum sint centum viginti, qui hanc electionis viam insistent: si defunctus rex plures aut unum reliquerit filium, sive magno, sive minore natu, eum sibi capient regem, qui imperio sit maxime idoneus, citra regni & subditorum fraudem. Si nullus existat hæres, alius regno dignus eligetur. Si ne sic quidem inter illos convenire possit, ex numero centum & viginti duodecim designabuntur, quem illi elegerint, rex esto. Nec fas erit legere regem, nisi communi omnium authoritate. Primæ verò suffragandi regemque dicendi partes per vices ibunt. Regi non fas sit ex uno regno in alterum ejus facultates, thesauros & archivum transportare; sed hæc cuilibet regno sint propria & perpetua. Præteritarum offensarum oblivione sancita, æterna pax esto. Hæc confœderatio stabilis & diuturna non fuit: dum sciſſo communis utilitatis vinculo, quod maximè servat societates; & hoc vel illo regno sibi studente, singula tandem in partes ivere. Nec exemplo novum est, inter potentes fœdera, uti plus vel minus utilitatis inde percipiunt, ita sanctius vel remissius coli; & quæ publici boni contemplatione bene cœperant, si communis respectus fiat privatus aut singulorum, infelicitet desinere. Quò valeret illud Margaretæ, Erico suo suggestum: *Suecia te nutriet, Norvegia te vestiet, Dania te defendet*, sagaces haud difficulter divinabant, nimirum, ut Sueciæ, & Norvegiæ fructibus, sudoribus ac servitute, si
1397. posset, Daniæ regnum extolleret ac se tueretur. Idque primum siniſtræ opinionis & diffidentiæ semem fuisse existimatur: quod alia deinde mala ex cupiditate privata nata magis suscitarunt, ut suo commodius loco memorabitur. Anno subsequuto, quarto idus Februarii decretum est, ut agricolæ regio censui obnoxii, sive illis volentibus sive invitis sua bona essent ademta, reciperent eadem intra id tempus & proximum Paschatis festum. Interim ab eorum prædiis & facultatibus omnis vis & rapina abstineretur; aliaque in rem utiliter constituta fuerunt authoritate publica, ab equitibus Gustavo Magni, Carolo Bǫ̈ndt, Stephano Gustavi, Torstano

fano Simonis, Lindormio Iohannis & Nicolao Diikerto, item ab episcopo Scarensi Turdone ejusque loci præposito. Annales in anni qui priorē excepit memoria, ne hoc quidem præteriere, quod novi seculi primordio tam densi de cælo imbres Ostrogothiæ solum implerunt, ut fluenta passim exundarent, & alveis suis magna se vi efferentes, molas, pontes, & saxa secum raperent. Coloni tanqvam fatalis diluvii formidine, passim in colles & editiora effugiebant. Ista verò aquarum intemperies adversum frugibus fecit annum. Id mali rediit illi provinciæ his proximis, & quo hæc scribebam anno; non absq; insigni agrorum hominumque calamitate. Nec est, quod culpam nostram cœlo vel aëris injuriæ imputemus. Sæpe tamen securitati ita indulgemus, quasi propinqua delictorum pœna nihil ad nos pertineret, aut pertingere non posset. Quin nuper etiam infestam his oris luem experti, benigniora tempora si sperare volumus, emendatior vita intercedat necesse est. Eodem anno Ericus ad ordinandum regiæ statum leges ante scriptas suo nomine ad aulæ ministros iterum publicavit. Post aliquod temporis intervallum legitur in sponsam Erici Philippa, Henrici regis Angliæ filia, quam Erici nomine, regio ritu Thuro Benedicti in Angliam legatus desponsavit, & solenni pompa in regnum deduxit. Dotem marito uxor attulisse fertur unum numum sed ingentis ponderis: in qvem plura millia auri conflata essent. Fœminam non quidem improbam fuisse annales testantur, sed publicarum rerum curiosiorem, quam matremfamilias decebat, quod postmodum ostendit, absente & inconsulto rege armata classe adversus Vandalicas civitates, quæ à Lubecensibus & Stralsundensibus accisa & in fugam data est. Vnde rex domum reversus adeò excanduit, ut indignius eam uterum gerentem tractaret. Illa animi ægra & duros ac solutos mariti mores exosa, abiit in monasterium Vadstenense; & majorem in eo vitæ partem agens, tandem isthic exstincta & terræ mandata est. Ericus rex exstruere cœpit arcem VVisburgum in urbe VVisbyensium; quum ante arx sita esset ad Buscevicium in alta rupe, uno milliari ab urbe. Cives initio non parum obstitere, suspicati illam cervicibus suis imponi & urbi coercendæ. Sed vbi rex fidem dedit, hoc eorum libertati nihil derogatum iri, tandem permisere. Incendium 1400. 1406.

1407. Holmiæ, quo major pars vrbis cum quadringentis hominibus (quidam plures ferunt) conflagravit, & simul tot vetustissimæ civitatis codices ac diplomata interciderunt, civilis mali quoddam omen fuisse videtur. Margareta sexagenaria Flensburgi ex pestilenti contagio decessit: quum octodecim annos
1412. Suediam rexisset. Ericus jam solus rerum dominus, non quarto quolibet mense ex lege pacti in regno Sveciæ laderat, sed maximam ætatis partem degebat in Dania, vel alibi externis & non necessariis bellis adversus Holsatos & Vandalicas civitates distinebatur: quibus subditos adflixit & tributis
1424. exhausit; ingenti etiam cupreæ monetæ vi pro argenteis numis elatis substituta. Per suam absentiam res hujus regni ex libidine præfectorum agi ferique, eosque sub umbra regiæ exactionis subditos premere, sibique rem facere, rex parum pensi habebat. Neglectis Suconibus bene natis & institutis, suos evehebat. Henricum Konigsmarchium præ cæteris in aulæ & negotiorum publicorum consortium admisit, ejus consiliis per omnia ductus. Hic author fuit regi de perpetuo provinciarum tributo, non personis aut capitibus, sed prediis, ditionibus, agris & possessionibus imponendo: ut ita nemo qui res soli possideret, immunis esset; & veteribus rusticis ac dominis quocunque modo deficientibus aut exstinctis, novisque succedentibus, tamen regi nihil decederet: dum onera quodvis prædium subinde comitabantur. Dalecarlis præposuerat Iohannem Erici Danum, vel, ut alii vocant, Iössonem Erici Asdalium: qui magis tortor provinciarum, quam tutor aut rector erat. Non contentus usitatis suppliciorum formis, tam efferatè egit, ut quosdam virorum jugi ejus impatientes, inter fumi nubes suspensos atroci lentaque morte conficeret. Fœminas instar jumentorum aratro jungebat. Quarum nonnullæ ab ipsius lictoribus sævo verbere actæ plagis succumbebant; quædam uterum gestantes fœtum ante tempus & simul animam effudere. Nuptarum & innuptarum pudicitiam promiscuè violabat. Multos pecuniis crebrò acerbeque exactis, & fortunis suis velut hostili præda spoliatos ad incitas redigebat. Dalecarli sub hoc onere quidem gemitus, murmura & querelas miscere; sed quum præfectus eos mendaciis & contrariis ad regem literis eluderet, nihil laxamenti sentire. Tandem

ex

ex desperatione quo gravius affligebantur, eò magis animos obstinare: de excutiendo jugo certi, modò dux & occasio darentur. Est enim vulgò gens Dalecarlorum insolentiæ præ aliis inimica; sed violenti imperii prorsus intolerans. Si quis nobilium eis præfectus majore & insveta comitum ac ministrorum turba stipatus aut superfluo amictu incedat, in eo potentiam sibi metuendam suspectant. Laborum tolerantes sunt, sed & onerum legitimorum; modò jure illis suo & operum fructu quietè uti liceat. Vbi vis accedit, & author factionis aliàs quietos incitans & speciosa nomina libertatis tuendæ præferens; minore cura futuri discriminis, quam præsentis injuriæ, viri pariter fœminæque in præcipitem & abruptam ultionem exsurgunt: illi manu & viribus, hæ verbis & stimulatione; nisi authoritate eorum, qui opinionem integritatis & fidei apud illos habent, aut quibus dicto audientes esse solent, ad mitiora flectantur; vel in tempore cohibeantur. Duces suos tam conjunctim, atque si universa multitudo unus esset, sequuntur: adversus tyrannos inter primos libertatis propugnatores reperti. Opportunè ergo se adeò pressis obtulit Engelbertus ex eadē gente natus, parvus quidem corpore, sed ingens animo, solers & acer. Ille querelas de Iōssonis sævitia ad regem non semel defert, malique medicinam quærit; etiam fide interposita sub pœna vltimi supplicii, se singula accusationis capita probaturum, modò ipse & Iōsso coram audiantur. Rex eam rem tanquam levem dissimulat & contemnit; unde tamen velut exnegleta scintilla ingens postea ortum est incendium & civile bellum. Ne verò nihil egisse videretur, Engelbertum cum literis dimittit ad quosdam ex senatu regni datis de negotio rite cognoscendo, Iōssone tamen in jure suo & dignitate tuendo. Senatores quidem, ut rex jusserat, caussæ cognitionem suscipiunt, sed ad finem ita, ut fas erat, perducere non potuerunt: quippe nihil in mandatis habentes de jure in reum dicendo; quod etiam regi rescripserunt. Cum his literis redit ad regem Engelbertus, & justitiam pressis administrari, Iōssonemque ex merito plecti orat. Rex pertæsus hominis importunitatem & crebras querelas, cum indignatione & minis eum facessere, nec in conspectum suum reverti jubet. Ille, qua erat animi libertate, se iturum, submurmu-

murmurans ait, sed aliquando rediturum. Quum ergo animadverterent miseri, se nec precibus exorare, nec lacrymis aliave ratione regis animum flectere posse; angustiarum verò nec modum nec finem esse, potius oppetere mortem elegerunt, quam tam indigna ultra pati. Quid fit? convenit inter illos, domatim lecto milite, arma ad se suosque à præfectorum sæva dominatione vindicandum capere. quò animo sibi ducem sumunt Engelbertum & cum eo arcem Arhosiensem primùm aggrediuntur. Hic nonnulli senatorum illis occurrentes, eorum animos mollibus consultis ita placaverunt, ut quiescerent; lössoni tamen se deinceps obnoxios fore negarent. At ille hac velut contumelia iritatus magis intendere onera, nec de vexatione subditorum quidquam remittere. Proinde iterum ad arma accinguntur; ac senatu denuò interveniente ea deponunt, hac tamen lege, uti Iöffo præfectura statim emoveretur, eaque commendaretur Comiti Everstenio. Rex verò ex fide promissi justè regnum administraret. Ceterum quum ne sic quidem rex mitigatus, adhuc sæviora illis minaretur, arma tertiùm rapiunt; & junctis animis omnes extraneos populo dominantes præfecturis expellere
1433. constituunt. Nec mora, Borganäsam & Cöpungiam arces diruunt & solo æquant, præfecto Ioanne VValio vix Stegeburgum elabente. Mox adductis in societatem belli VVestmannis Engelbertus cum illis & reliquis copiis Arhosiam petit. Ei obviam factus Melchior Gothardus ab Everstenio arci impositus, nihil mali suspicatur. Arcem tamen Engelbertus sibi dedere jubet: quod pactus unius diei moram, illicò fecit. Engelbertus eandem Nicolai Gustavi Erici Pukii patris fidei committit. Inde equestrem ordinem & omnes Vplandiæ incolas ad præfectos superbè dominantes conjunctis armis regno exigendos hortatur, quod ut facilius obtineret, tertiam tributi partem agricolis remisit; residuo in belli nervum sibi servato. Ad Ericum Pukium genere & armis clarum, qui tunc apud Norlandos Corsholmiam arcem tenebat, literas scripsit, quibus *eum pro Sueco & viro, ut hactenus, facere* monet, *& ad salutem ac libertatem patriæ defendendam juxta cum ipso conniti.* Is promtus obsequendi, manum cogit, eique præponit Elaum Diaconum, qui vocatis in partes Helsingis Faxaholmiam expugnat & demolitur. Aliud agmen ductore

Iohanne

Iohanne Folkonis Ericus in Alandiam emittit, quod Caſtelholmum obſidet. Illam arcem tunc poſſidebat fœmina nobilis Ida Gladſaccia, quæ ejus tutelam Othoni Pogeviſcio tradiderat. Sed is lingua quam manu promtior, haud exſpectata prima incurſione, vitæ incolumitatem pactus, eam hoſti tradit. Hæc cum Ericus in Norlandia patraſſet, ad Engelbertum ſe confert. Inde Gripsholmiam cum Sudermannis excurrens Hartvicum Pflugium arcis præfectum ſola acceſſus ſui fama ſic terret, ut arce incenſa Stocholmiam fugæ properus evaderet. Engelbertus mox etiam petens urbem, eam poſitis in adverſo Brunconis monte caſtris obſidione cingit, & Iohannem Crópelinum arcis præfectum deditionem facere jubet. Sed ille conſtantis fidei animique illud à ſe fieri poſſe negat: arcem in regis manus, à quo acceperat, reſignandam. Vrgente Engelberto, tandem res in Novembris proximi diem undecimum rejicitur: ſi interim de pactione conveniret. Inde Engelbertus Örebroam pergit, quam Ketelbergius tuebatur, is arcem ei permittere juſſus, ſe traditurum fidem dat, niſi intra ſeptem hebdomadas auxilia ſubmittantur. Agmine Nicopiam deducto, ſimile fert reſponſum ab Alberto Styggæo arcis cuſtode. Ringſtaholmiam porrò contendens, dum minus facili Henrico Styggæo præfecto, arcis oppugnationem molitur, ille quinque dierum inducias paciſcitur. Interim conventu ad VVadſtenas edicto, Engelbertus partem copiarum obſidioni relinquit, & ad conventum ſe recipit. In comitiis 1334.
VVadſtenenſibus regni Senatores de civili motu componendo agunt, Engelbertum ab inſtituto ſuo dimovere conati; *regis obſequio, ſi delinquat, non illicò diſcedendum eſſe,* diſſerebant, *Quod ſi fieret, nullum imperium ſtabile fore. quem enim Principum magis, quam ceteros mortales communi infirmitati exemtum eſſe? Nec competere plebi de regis actionibus judicare, aut illius deſtituendi licentiam temere uſurpare. Ne quidem privatorum ſocietatem diu permanſuram, ſi admiſſis eorum nulla eſſet venia ſperanda. quod ſi inter pares recte obſervetur; quanto magis in regibus locum habere: quibus fides & obſequium ſacramento devincta ſint. Quin ſubditis incumbere, ſi ſtare regnum velint, etiam durius imperium quieſcendo, ſi poſſint, mitigare; ſi non poſſint, ut delictorum pœnam tolerare. Certè præſtare unius quam multorum*

experiri

experiri dominatum. His respondet Engelbertus: *Sibi in animo non esse rebellare regi, aut quid incivilius affectare; sed libertatem patriæ, quæ jam ferme animam agat, contra vim dominantium tueri. Sueones non more pecorum aut mancipiorum tractari velle, ut sibi regis præfecti persuaserint. Quos si ad miserorum subditorum efflagitationes rex coercuisset, his armis opus non fuisse. Nec se aut commilitones perfidiæ culpam mereri: quum eorum juramentum illigetur regis juramento. Regem verò primum juraſſe, se regnum secundum leges publicas & patriæ instituta administraturum: se munitiones atque arces non nisi indigenis creditурum. In quibus quum fidem datam haud servasset, subditis ab ea quoque recedendi regem ipsum authorem vel tacitum fuisse.* Postquam senatus regni nihilominus in fide persistendum urgebat, Engelbertus verbis minas adiecit, publiceque edixit, *omnes libertatis patriæ desertores pro hostibus publicis habendos.* Hoc edicto territos in partes suas etsi invitos traxit, eosque ab obsequio & fide regis in suam abire coegit. Inde regressus ad Ringstadholmum, ad deditionem cum Stegeburgo compellit. Ostrogothos Stäkeholmum obsidere jubet: quod cum Lago Rudius Danicæ gentis acriter defenderet, induciæ in Novembrem convenerunt. Rumblaburgum, Trulleburgum & Pickisburgum Hermannus Bermannus Ostrogothorum ope expugnat & incendit. Engelbertus Örebroam recedens, pro mille selibris argenti à præfecto redimit arcem & in suam fidem accipit, mox etiam Axevaldiam. At Vermelandorum animis in fide confirmatis, per eos & ducem Petrum Vlfonis Edsholmum, Daleburgum & Agneholmum expugnat. Oppenstenium & Orestenium igne immisso exurit. Hinc in Hallandiam movens, septentrionalem Scaniæ ditionem universam in suam potestatem redigit; nec minus Vardbergam, Falckenburgum & Halmstadium. Ad defensionem exciti Scandii cum expedita manu castra ad Lagaholmum locant, pugnæ sortem experturi. Nec prælium abnuebat Engelbertus, nisi medius fluvius castra secans, conflictum impediviſſet. Itaque pace utrinque facta, in Suediam revertitur. In transitu verò tam castigatâ disciplinâ coercuit exercitum, ut sine maleficio progressi, ne gallinæ quidem pretium cuiquam auferrent. Conventu ad Upsaliam indicto, rex Cröpelinum, arcis Holmiæ præsidem

in

in sua absentia rem ex fide agere jubet. Interim ab otiosis, ex occasione tot eversarum ab Engelberto arcium, disceptatur, utrum ea regno magis proficiant an obsint. Sententiæ in diversum eunt, his contra vim hostium tot arces valere, illis rebellium, quibus in Principes armentur, præsidia esse adsertibus. Aut absque hoc sit, adversus vim hostilem tot munimentis intra patriam haud opus esse, si limes & portus regni validis munitionibus hostem excludant. Aliis, quorum potior sententia, contendentibus, in fide subditorum & regis præcipuam regni securitatem stare. Vbi rumor ad regem successus Engelberti tulit, expergiscendum sibi ratus, arma parat, & Holmiam expedita classe contendit. Sed gravis procella naves & cum illis vires regis admodum adflixit. Ipse vix periculo eluctatus, Holmiam accedit & simul ab hoste obsidetur. Mox pactus colloquium, violatæ fidei cives increpat. Illi ab hac criminatione se purgant, paratos ad omne obsequium contestati, si rex in superbos & avaros præfectos animadvertat, & fidem illis sancte datam servet. Rex indignè ferens sibi legem à subditis dici, *vilem fore regum fortunam* ait, *si à subditis in ordinem cogantur*. Istis hinc inde jactatis, conventum de unius anni induciis, & Holmiæ præsidio sexcentorum impositio, Ericus in Daniam reversus est. Postea in comitiis Arbogæ habitis, Engelbertus gubernator regni à populo renunciatur, positis in qualibet ditione præsidiis ac præfectis, qui providerent & occurrerent, si quid discriminis immineret. Interim literæ Iohannis Crõpelini adferuntur, quibus unà cum Borussiæ magistro, nomine regio Senatum rogabat, ut conciliationem cum rege admitteret. Proinde etsi satis injuriarum passi, tamen placidæ compositionis viam haud refugerunt: judicibus à studio partium alienis rem commissuri. Mox consignantur quædam capita, in quæ conveniretur. Ea ubi rex inspexit, re cum se natu communicata, trium regnorum proceres Halmstadium convenire jubet. Vbi decretum de summa rei duodecim Senatorum interventu Holmiæ agitare, pactis interim induciis, & Hallandia cum oppidis & arcibus Erico restituta. Postquam rex & senatus frequens Holmiam convenere, & præsentes & per libellum regem adeuntes, querebantur, *dum abfuisset rex Suecia, neglectam jacuisse juris administrationem.* 1435.

Inde

Inde subditos cum impensis & incommodis haud exiguis necesse habuisse foris qværere judices, qvos domi in promtu habere par fuisset. Sed abunde improborum præfectorum domi esse, qui reversos carere, pecunia, corpore plecterent. Senatui autem regni magis animum quam facultatem oppressos iuvandi superfuisse: qvum plus possent, qui minus debebant, & parum subditis volebant. Eadem crimen esse devastatos pagos, monetam extra fines translatam, auctis interim novis & intolerabilibus tributis: quibus externa bella nihil ad ipsos pertinentia in gratiam regis alerent, regnum vero ac se ipsos exhaurirent. Præsules sacro motos loco, alios invitos ecclesiæ obtrusos. Regni item munitiones ac ditiones exteris commissas, ut indigenas premerent. His auditis rex specie resipiscentis quæ vellent sanctè promisit. Satrapas & præfectos, qui publica & aulam curarent, ex eorum sententia constituit, Christiernum Nicolai Drotsetum, ut sua lingua principem Senatus appellant, & Carolum Canuti regni Marescallum; non tamen ita solenniter ut decebat. Christierno gladiolum quasi puero, Carolo album baculum quasi canes abacturo tradit: quum tamen moris esset Marescallum pereureum annulum à scipione pendulum creari. Sed ille derisui ac ludibrio non tam munera, qvæ sunt eminentia, qvam personas, qvod Suetici sangvinis essent, habuit. Mox universo regno in suam potestatem recepto, fidem juramento itteravit. Sed & subditi renovarunt fidem ante præstitam hac lege, *ut pleræque regni munitiones indigenis traderentur, pauci exterorum fidei relictis; ut cives deleta præteritorum memoria sub imperium regis concederent.* At Ericus, non secus ac si juramentum esset fallaciarum latebra, mox ad ingenium redit. Proceres partim per Danos & alios, partim ipsi rogant regē *ut in memoriam sibi revocare promissa & quæ in medium ex ejus regnique bono consultarant, amplecti ne gravaretur, & publicam pacem ac salutem tot civium sangvine tantoque sudore partam & ab ipso juratam, aliqvando intemeratam servaret.* Rex cum indignatione respondet: *sibi non placere illud Ais aio, se nolle ad illorum nutum vivere, sed arbitrio suo recturum. Esse contra Principis eminentiam, instar privatorum iuramento obstringi.* Sed illi contra existimare: *Non indecorum esse regi, in illis qvæ publica utilitas svadet, vel ejus causa accedere sententiæ amicorum: quum vnus acie ingenii complecti omnia nequeat,*

&

& *sapientum consilio rectius tutiusque remp. administret; quod nec sapienti issimus regum Salomon abnuerit. Veram esse libertatem, iuratis regni legibus, ut imperii normæ, suas actiones attemperare. Et quid fore quod regem adstringat, si non fides? Iuramentum vero nihil detrahere ejus existimationi, sed potius illam firmare: dum eos de sua erga eos fide, animo & benevolentia hoc ipso certiores reddit; & subditi eidem de suo erga ipsum amore & obsequio pari jurisjurandi religione cavent: quod sit optimum animorum vinculum. Quo major autem est Princeps subditis, quibus jurat, quo major Principe Deus, quo teste & judice ille jurat; eò religiosius sibi servandum esse, quod jurat. Cives itidem Dei reverentiam, conscientiæ legem, & subjectionis vinculum eo obstringere.* Sed ille suo non decedens animo, objurgabat eos, quod ab Engelberto patrata, ab illis adornata essent. Inde Cröpelinum inimis in Suecos, ut ipsi videbatur, propensum à præfectura removet, & substituit Ericum Nicolai Danum cum quingentorum præsidio. Eodem anno Engelbertus ad Telgas latam altamque duci fossam curat, ut itineris compendio naves traiicere possent ex Melero Vplandiæ lacu Oceanum. Sed postmodò desertum est nobile inceptum, tanqvam nimis ardui moliminis: quum ingentia in terræ viscera saxa, velut adversante natura, altius fodientibus obsisterent. Ordines regni se mutuo fœdere sociarunt ad tuendum patriæ jura ac libertatem: ut ex scripto diplomate Sudercopiæ dato patet. Arbogam iterum conventus indicitur, in quo senatus regni decernit *obtestari regem, ut liceat illis frui jure ac libertate sua. Si secus fiat, ipsos fidei nexu & obsequio regis se cogi exsolvere.* Vbi famâ accepere, regem Holmiam adventurum, atque vnà Bugislaum patruelem, qvem sibi successorem destinarat; jamque à præfecto arcis symbolum & juramenti fidem acceperat; oppidani clam Engelberto rem aperiunt, & ad Holmiam in suam potestatem redigendam exhortantur: ne idem nunc malum illis accidat, quod sub Alberto rege. Engelbertus collecta manu cum aliquot regni proceribus Holmiam properat. Sed ingressuri urbem excluduntur à præfecto arcis. Itaque civium ope effractis portarum repagulis ingressum sibi vi fecerunt, & impositio perticæ pileo, hoc veluti publico signo cives ad libertatem vocarunt. Hîc paucis exceptis tota civitas in senatus regni & Engelberti 1436.

partes transiit. Qui munita, ubi opus erat, urbe & expu
inde peregrino milite, nova Sueonum præsidia arci impo
Mox ad præfectum arcis mittit expostulatum injuriam
clusionis ab urbe, & quod explosis tormentis hostilia int
tasset: quum tamen non nisi pacem in tuto locandi & plac
de ea cum illo agendi accessisset. At postquam præfe
rocius respondit, Carolo Canuti, qui nuper unà cum E
gelberto regni curator lectus erat, & Erico Pukio opp
nandæ arcis negotium datum est. Engelbertus verò Nic
piæ, Stekeburgi, & Calmariæ arces invadit. Blekingi
itidem in Suediæ ditionem redigit, eique præfectum Nic
laum Langium ordinat. Inde ad Scaniam impugnandam
convertit. Sed à Petro Oxio ejus præfecto repulsus, Lab
miam, Halmstadium, Elfsburgum deditionem facere co
Mox Vardbergam, Axevaldiam, aliaque regni munime
prospero successu recuperat. Quædam, ut seditiosorum
ceptacula, demolitur. Sed in medio victoriarum cur
morbo retardatus, ubi curandæ valetudinis causa Orebroa
& inde publicorum causa Holmiam tendit, in exitium inop
natò ruit. Etenim Benedictus Svenonis vir ordinis equestri
impetrata fide publica, eum Orebroæ conveniens, de
filiique, ob crimini ipsis datum Danicarum partium studiu
proscriptione graviter cum eo contendit, injuriam sibi fact
obtestatus, ad innocentiam suam provocat. Amicis se in
terponentibus, tandem ita convenit: *ut Benedictus in proxi
Holmiæ conventu se purgandi causa adsit. Interim securitate publi
cum filio suo fruatur, nec ullam noxam Engelberto aut ulli suorum
noceat.* Ita Engelbertus sui & adversariorum securus, it
suum pergit. Sed ingruentibus tenebris, in peninsulam Gök
holmio vicinam pernoctatum divertit. Quo comperto Ma
nus Benedicti filius eò appellens, infirmum & inermem n
fariè obtruncat. Talis fuit excessus Engelberti, qui patria
suam à servitute tam strenuè vindicarat. Necis authori no
solum impune fuit, sed etiam Carolus Canuti, regni adm
nistrator à nece Engelberti factus, eum literis tuti com
meatus munivit, edictoque cavit, ne quis hoc facinus i
crimen vocaret; tanquam Engelberti cædes tam vilis fuisse
aut, ut nonnulli volebant, quasi rebellionis aut perduellio
nis pœnam regi dedisset. Alii tamen à rebellionis culpa libe
ratum

ratum eunt Engelbertum: quod post totiens commendatam à Senatu regni subditis & ipsi duci quietem ac patientiam (ut supra memoratum) sed nimia dominantium vi tandem turbatam & irritatam, arma cum suis necessaria corripuerit, ad defendendam à præsenti ruina patriam. Si verò justæ defensionis modum haud per omnia servarit, quid mirum est in armis intestinis? quæ semel mota difficulter intra limites cohibentur; & plebs concitata facile à scuto ad ensem proximam manum extendit. Vtcunque sit, hanc ei vicem & ab illo authore, etiam fide publica utrinque data & accepta, sic reddi, omnibus indignum existimabatur: quod publico etiam monumenti defuncto Ærebroæ positi elogio cives ad posteritatem contestati sunt. Quin ipse author quum perpetrato jam facinore in se descenderet, ejus gravi pœnitudine & dolore usque ad vitæ finem affectus fertur. Vt solent admissa, quum non amplius infecta sunt, animum ad sanitatem reversum seriò excruciare; quæ, anteqvam fiant, non, ut par erat, pensitantur. Imperii moderationem aggresso Carolo Canuti, mox excitabantur æmuli, ut inter æquales. Præterquam quod frequentes sibi clientelas in illa fortuna adjungebat, & numerosam familiam alebat, super alia invidiæ irritamenta, multos quoque nobilium ministros, satellites & milites famâ munificentiæ à dominis ad se per suos emissarios pelliciebat. Quos Ericus Pukius acer animi & fervidus, primus ejus æmulus, *canes sagaces ac venaticos Caroli* appellare solitus, cum monuit, *canes istos domi suæ tenere; ne ita, ut mererentur, excepti, infaustè domum redirent.* Eidem aliisque nonnullis nobilium aliquando querentibus, *sibi suas non sufficere opes, ad tuendam decorè familiam ac dignitatem; nec unde fas esset, ex merito præmia suppeditari*, respondit Canutus: *Ne pedes ultra strata porrigerent*; haud perplexè vellicans eos, quasi majores sumtus, quam pro modo facultatum & conditione sua facerent. Hoc illos & inprimis Ericum malè habebat. Itaque crescente simultate, Carolum superbiæ, severitatis, avaritiæ palam criminati, qui beneficia & fructus regni præcipuos in suos usus converteret, aliis aut nunquam aut rarò concederet. Ne hæc potentiorum altercatio novas patriæ turbas daret, interventu senatus conciliantur. Sed Ericus animo ultionem ac res novas meditante, si-

multatem nondum bona fide exuerat. Emissus à Carolo publicorum negotiorum causſa, factioſorum manum cogit. His ſpecioſo commento perſuadet, *Carolum illorum vitæ & fortunis inſidiari : quos ipſe contra vim hominis defenſurus eſſet.* Qvum obſeſſa Nicopia ad deditionem compellenda eſſet, rogavit ſenatum, *hanc ſibi provinciam mandare ; Caroli, ad civilis ſtatus gnari, operam magis in pace domique neceſſariam eſſe.* Nimirum ſpecie togatorum honorum eum belli curis abſtrahere, ſe ipſum rebus majoribus inſerere conabatur : nihil non movens, ut more alta ſed non recto itinere ſpirantium, æmuli potentiam refringeret, ſuam attolleret, ad regiam quoque, ſi poſſet, fortunam. Quum hoc artificium fruſtra tentaſſet, cum per ſuos inſidiis aggrediebatur. Hereſtekium demerſis obſtruit ſaxis, ut navigiis ejus inutilem reddat tranſitum, & alliciat eum Telgas, in caſſes ibi deſtinatos. At Carolus Hereſtekio repurgato ſalvus Holmiam evadit. Vbi poſtea Ericum epulis exceptum & vino ferme depoſitum, impeditæ viæ rogat cauſſam. Ille, vino arcana detegente, magnificis & elatis verbis, re quaſi bene geſta, liberè jactat *Nulli lucio Stocholmiam & Calmarniam inter pelago oberrant tot unquam caſſes aut hamos poſitos fuiſſe, quot ipſe Carolo ſtruxiſſet inſidias.* Carolus offenſam premens, ultionem occaſionem ſervat. Interim arces & munimenta partim amicè partim armis & vi repetit à præfectis ; inprimis Stegeburgum, Holmiam, Axevaldiam, Elſeburgum, Arhoſiam, & Aboam. Illum ſingulari Dei cura rebus majoribus ſervari, ve hoc ſit indicio. Quum Stegeburgum obſideret, à machinatore bellico ter petitus ictu tormenti ſubinde tamen irrito diſſiliente identidem machina, intactus & illæſus abiit. Ericus odio adverſus Carolum ejuſque potentiam magis magisque accenſus, quod inſidiæ non proveniſſent, cum aperta vi cum Dalecarlorum copiis invadit. Carolus rebelles mox revocat ad obſequium, authoribus ſeditionis capite plexis : quibuſdam in terrorem etiam ignis ſupplicio affectis. Hinc acie inſtructa, fruſtra diſſvadentibus præſulibus, initur prælium non procul Arhoſia ad Helleskogiam, in quo ſtrenui viri Benedictus Vddonis, Turo Ketilli, Benedictus Gunnari, Matthias Iohannis, Olaus Stokius aliique occubuerunt. Poſt prælium inſtituto colloqui-

actu

actum est de pace tractanda, quo nomine convenit, utrumque Arhosiæ cum amicis adesse. Quamvis autem Ericus à familiaribus monitus esset, sibi cavere, nec potentis æmuli fidei se temerè credere; tamen quibusdam præsulibus & magnatibus eum de itu & reditu confirmantibus, eorum dictis fretus, ad comitia Arhosiensia sub fide publica venit. Isthic cum amicis congressus, ut erat soluti animi & effrenis linguæ, pergit in Carolum contumeliosa effundere verba. Ex quibus Carolus obfirmatæ in se conspirationis testata indicia colligens, dum præter antegressa facinora vel sua Ericum lingua accusat: ut isto insidiatore & gravi æmulo tandem liberaretur, eum prehendi & Holmiam abductum, caussa dicta, capite pœnam conjurationis pendere facit. Carolo 1437.
crimini tributum, quod contra fidei publicæ religionem Ericum captum pœnæ subdidisset. Ille tamen in quibusdam codicillis, à se captum & punitum, dum ista securitate fruebatur, inficias ire conatur. Hoc tempore quoque Iõsso Erici Danus etsi literis tuti commeatus à Carolo Canuti munitus, tamen à rusticis territorii Aschensis ad Vadstenas comprehensus, & in judicium Motalense deductus, capite damnatur, & sævitiæ suæ erga provinciales pœnas solvit. Illi verò ob violatam fidem publicam & ultionem inconsulto Carolo exercitam, magnâ vi pecuniæ mulctantur. Carolus alium nactus est æmulum, Christiernum Nicolai senatus principem, affinem suum. Amorem tamen uterque præferebat, & odium tegebat, donec maturum in alterius caput expromendi facultas esset. Caussas odii hinc accersunt. Quum Carolus affini suo Christierno aperuisset consilium de ulciscendis & plectendis Dalecarlis, qui non modò contra ipsum cum Erico Pukio consurrexerant, sed etiam cum agricolis Vermelandis aliquot ejus præfectos trucidarant, Christiernus illud dissuasit ei authorque fuit, *ut spatium pœnitentiæ ipsorum daret, qui magis contagione quam ingenio peccassent. Ut etiam justa esset vindicta, tamen invidiæ fugiendæ caussa modum in ulciscendo servaret; ne frequenter & acerbè puniendo, dum multos tollere parat, plures irritaret.* Inde Christiernum suspectum habere cæpit, quasi cum illis faceret. Alterum erat, *quod, quum Carolus Calmaria Holmiam discedens, annulum suum signatorium Christier-*

no reliquisset, ad literas publicas, quoties opus esset, obsignandas; ille hoc sigillo perfidè abusus à Carolo arguebatur, quasi literas ad Helsingos Caroli nomine dedisset & obsignasset, quibus jussisset eos Christierno dicto audientes esse. His & aliis occultis artibus plebem à Carolo ad se trahere, sibique principatum quærere conatum. Tertium erat, *quod arcem Nicopiæ aliasque ipsi tradere nollet.* Carolus cognitis ejus molitionibus, sed in præsens dissimulatis, ut incautum opprimeret, ad eum amicè scribit, *si quid nomine publico curandum sibique significandum haberet, se præsto esse in oppido Scheningia: ubi literas ejus præstolaturus esset.* Ita hominem securum insidiarum reddit. Tabellarius, cui ministri ad capiendum ex occasione Christiernum clam additi erant, in aula ejus moram destinatò trahit, donec ille dormitum iviisset. Mox advolant satellites, nudum in lecto comprehendunt, & direpta domo obtruncatisque quibusdam ejus famulis, illum primo Arhosiam, inde Örebroam abducunt. Vbi Carolus ei obviam factus percontatur, *num arcem Nicopiæ ipsius fidei permittere velit?* Ille metu consternatus, *non solùm arcem ei dediturum, sed etiam plura, quæ velit, præstiturum* fidem dat. Quamvis autem illis, qui se timeri & inimicos in sua potestate esse vident, plerumque animi crescere soleant, & fortunâ dejectos penitus deprimere quærant; tamen Carolus sive necessitudinis adspectu, sive quod modestiorem animadverterat adversarium, sive pœnitudine severioris & inhumanioris facti, postea humaniter ipsum habere cœpit ac sequenti die dimisit. Insuper Viburgum eius fidei, & Ring-
1438. stadholmium filio ejus clientelæ jure tradit. His compositis Nicolaus Stenonis alter ejus affinis, novum ipsi negotium facessere cœpit. Quum enim illum Stegeburgi & Ostrogothiæ præfecturam tunc administrantem Carolus admonuisset, ut mitius in provinciales consuleret, atque à vexatione & iniuria civium sibi temperaret; hæc Nicolaus ferociter spernens, etiam ministris Caroli manus inferri jussit. At Carolus nihil cunctatus, Stegeburgum obsidione arctiori premit. Nicolaus animadvertens hîc ferme se teneri, pactis aliquot dierum induciis deditionem simulat. Interim fuga elabitur ad regem Ericum tunc in Gothlandia morantem, à quo perhonorificè exceptus, regni Marescallus renunciatur, & ducentorum militum manu adiutus, redit in Ostrogothiam,

ubi

ubi quum ferto & igne obvia perdidisset, à Carolo fusus & captus, Norcopiæ tertio die, contracto, ut putatur, ex animi ægritudine morbo, decessit. Post illum Broderus Svenonis, stirpe & militia conspicuus, adversus Carolum coortus est. Ille se in remuneratione suæ fidei & meritorum in ipso neglectum indignè ferebat. Et studio videbatur neglectus, ut opibus nervo rerum deficientibus, minus ab æmulis timeretur. In conventu Sudercopiensi ex occasione captati de suo & quorundam merito sermonis, insimulabat Carolum, quod præfecturas favori non virtuti conferret. Vt alii existimant, conduxit quosdam colonorum VVestrogothiæ ad interficiendum quendam Caroli præfectum, & plures inde motus dedit. Sed deprehensus, seditionis pœnam capite solvit. Quum ita æmulos submovisset Carolus, id operam postea dedit, ut Ericus regiæ dignitati, cui jam olim renunciare cæperant, integrè restitueretur; si, quæ non semel promiserat, ex fide præstare vellet. Ea re plura comitia, sed exiguo vel nullo fructu habita sunt. Quippe rex ingenio suo insistens, indignum se arbitrabatur mutatæ sententiæ receptum, aut dignitatis regiæ decora regni legibus submittere. Proinde regni ordines tandem ad Morasteense decreverunt, *ut nisi intra trimestre rex Calmariæ adesset, ubi de hoc & aliis regni negociis agendum erat, se postea illum pro rege non agnituros.* Quod decretum, ut rem seriò agitari videret, ad eum miserunt. Olaus autem præsul Vpsalienſis, etsi rex ipsi antea adversatus fuerat, aliique ex senatu, quibus severius Caroli imperium & dissidia domestica non placebant, sedulò connitebantur, ut rex in sua dignitate retineretur. Ea propter Olaus Vpsalia Calmariam ad comitia proficiscitur. In itinere Nicopiam digressus, à præfecto loci Magno, veneno in lac amygdalinum immisso peremtus fertur; non aliâ, ut tunc suspicio erat, causâ, quam ut præsulis adeò pro rege laborantis consilia cum ipso authore tollerentur. Nec parum equidem morte ejus per scelus festinatâ turbabantur. A congregatis tamen actum est *de rege non amovendo, si totiens repetitæ juramenti formulæ pactisque satisfaceret. Renovata itidem est trium regnorum unio, sed cum nonnullis exceptionibus, quarum ulterior deliberatio in majora comitia differebatur.* Ericus autem desperans salvam aut stabilem in Suecia 1439.

dignitatem, usque dum ea lege, qua acceperat regnum, administrare recusabat; antequam ipse cum ignominia solio deturbaretur, regno excessit, & collecto quantum potera opum, in Gothlandiam (unde postea sæpius infestabat mari Sueones) & Pomeraniam suam secessit, atque viginti annos privatus vixit: quum quadraginta duos annos tribus regnis præfuisset. Imperium satis diuturnum; sed honorificentius fuisset, si plus legibus regni, atque boni publici curæ, quam cupiditati suæ atque exterorum præfectorum avaritiæ ac libidini concessisset. Haud indoctus princeps erat, ut ejus annales Danici, etsi breves, loquuntur. Longis bellis multum exercitus, sed parum felix · quod ipsum etiam moderationis admonere debuisset. Tandem absenti regnum renunciarunt, quod vel præsens curâ suâ ac fide destituisse arguebatur.

CHRISTOPHORVS

Bavariæ dux, Erici, de quo prius, ex sorore nepos, à Dani
1441. ad capessendum regnum inconsultis Sueonibus contra leges fœderis vocatus, his postmodò unicè commendatur. Quum enim id agerent, ut ab ipsis quoque rex cooptaretur, atque sic tria regna in unius fœderis, ut antea, fide permanerent, ejus virtutes impensè Suedis prædicabant. Qui, quamvis obnitend causas haberent, tandem tamen inducti, ad servandam concordiam, pravæque inter suos æmulationis malum tollendum, eum adscisceere decernunt. Carolus, ubi civium animos in Christophorum inclinare videt, *nihil quidem eorum libertati in creando rege se detracturum* præfatus, *in mentem tamen illis revocat, quantis laboribus pro salute regni & statu reip. in tranquillum collocando defunctus esset, ex quo imperium accepisset, quantum æris alieni contraxisset: cui solvendo non esset, nisi meritorum ejus æqua æstimatio haberetur.* Iusta ejus postulatio visa, responsumque, veluti desiderarat, *ut laborum præmia, Finlandiam ad tempus vitæ suæ teneret. Ölandiam verò pro se & suis hæredibus possideret, donec pro quadraginta millibus selibrarum argenti a Sueonibus redemta esset. Additum insuper, ne obligaretur ad hactenus actorum & administratæ reip. rationes cuiquam edendas.* Mox legatos ad Christophorum emittunt in Daniam, qui capita à

regni

regni senatu concepta jubentur insinuare regi: quæ si jure jurando, literis & fide sua firmare velit, eum in proximis comitiis Calmarienſibus regem Suediæ renunciatum iri. Capita autem hæc erant: *Vt regni jura, privilegia & inſtituta illibata ſervaret, ſi leges quædam emendatione egeant, illas ſua authoritate confirmaret. Vt neminem in ſenatum admitteret, niſi Suedum. Vt arces & munitiones non niſi Sueonum fidei committeret, & præcipua munera iisdem cum conſilio ſenatus mandaret. Cenſus annuus & aliæ regni obventiones, pecunia publica & theſauri regno non exportarentur. Si neceſſitate ſic exigente foris impenſæ faciendæ eſſent, earum unà cum reſiduis ratio à bonis viris redderetur. Omnia diplomata, documenta, codicilli & literæ ad hoc regnum pertinentes, quæcunque in Dania aut Norvegia reperiri poſſent, huic regno reſtituerentur. Gothlandia ad corpus regni Suediæ, cujus membrum olim fuerat, revocaretur. Suedi immunes eſſent à vectigalibus Bahuſianis. Quidquid ex Ruſſia ope trium regnorum armis ſubiici poſſet, id regni Sueciæ eſſet. Quæ ex facultatibus & prædiis abſentium in motibus inteſtinis regni occupata eſſent, ut nunc poſſidentur, in poſterum quoque poſſiderentur. Res monetaria & tributa regni de ſententia ſenatus conſtituerentur. Opem ferret illis liberandis, qui tempore Erici in Holſatia vel alibi bello capti eſſent.* His legibus Chriſtophorus ultro ſubſcripſit in arce Hafnienſi. Sed comitia ad vigeſimum quartum diem menſis Iunii Calmariæ indicta, in Septembrem prolata ſunt. Cujus initio rex, ceſſantibus motibus Cimbricis, qui eum remorati fuerant, Calmariam advenit. Ante ſuum tamen acceſſum, cum Carolo Canuti, amicis literis Halmſtadium accito, de arcibus & ditionibus Suediæ, quas tenebat, ſibi tradendis, ut veriſimile fit, actitavit. Sed quæ Senatus regni Carolo promiſerat, omnia rata habuit. Eodem comite regnum ingreſſus, Calmaria Holmiam regali pompa deductus eſt. Antiſtes Vpſalienſis dextrum & Carolus Canuti ſiniſtrum regis latus in ingreſſu claudebat. Auditæ ſunt inter acclamationes & plauſus vulgi voces, tanquam futuræ ſpei omen: *Carolum ſceptro digniorem, quam Chriſtophorum videri.* Inerat enim Carolo proceritas corporis & gravitas eximia, à plebe æſtimari ſueta. Iſtæ voces ad aures regis perlatæ, aliquantum ejus animum punxere. Sed temporis cauſſa diſſimulavit. Inauguratio regis ſtato die, loco & more fit. 1442.

In ea septuaginta viri bene meriti equestri honore ornantur. Regni administrationem aggressus, leges provinciales, ut vocant, à regni senatu legumque peritis recenseri & emendari fecit, quas authoritate sua stabilitas deinceps publicavit, & vi exsecutionis animavit. Ius aulicum quoque in usum revocasse fertur, postea à Carolo Canuti & aliis regibus auctum. Neglectâ Turcorum imperatoris filiâ, sibi in matrimonium, ex occasione legationis ad eum, oblatâ, duc-
1445. taque Dorothea, Iohannis Marchionis Brandeburgici filia, censum, quem vel nuptiarum & dotis vel publico nomine civibus imperarat, aliosque regni thesauros ac proventus hinc asportare contra fidem datam conatus, ab inimico velut mari diris & exitio devota, naufragio omnia perdidit. Inde civilibus odiis cives se atterere cæperunt: quibus se infirmos adversus hostem, & viles regi reddebant. Christiernus Nicolai satrapa Carolum Canuti ob illatas sibi injurias, de quibus suo loco dictum, apud regem criminatus, omni ope nitebatur eum regis odio & potentium adversariorum insidiis obiicere. Et fecisset sanè, incrementis Caroli jam regi suspectis, nisi ipse Carolus adversus prævisa hujusmodi crimimationum tela se cautè præmunivisset apud regem: qui ipsi jam ante indulserat, ne quisquam ob qvæcunque ante acta cum eo jure experiretur, aut gestorum rationem ab eo poscceret. Nec minus rex id compositò laborabat, ut eminentes mutuâ æmulatione committeret, & dissensiones inter illos foveret, ipsis magis quam sibi periculo futuras. Quum enim animadvertisset, non paucos nobiles viros munera & beneficia regni absque discrimine affectare: quin nonnullos tam avidè bonis aliorum inhiare, ut amici amicorum, filii parentum, propinqui cognatorum adhuc superstitum fortunam sollicitarent, & alienæ possessioni per quascunque artes obreperent, ruenti cupiditati sponte frenos permisit: si fortè, ut præ se ferebat, vel patientia Principis, vel illorum satias aut pudor eos retinere posset. Sed quum hac via parum promoveret, nundinationem quandam beneficiorum, certo pretio dicto, sibi minimè decoram, subditis gravem instituit; prætexto, ut eos ab immodica petendo pretii magnitudine absterreret. Itaque diploma, quo prædium alicui jure clientelæ impertiebatur, viginti aureis, quos nobi-

les

les vocant, ex Cancellaria redimendum erat: quorum dimidium rex ipse capiebat, reliquum procurantibus & scribentibus literas cedebat. Ita factum, ut impensa sæpe ipsum prædii pretium, uti tunc tempora erant, æquaret, aliquando excederet. Ab competitoribus ergo largitione passim certatum est: ut qui hic vincere aut paria facere possent, in idem sæpe beneficium, mox alteri concessum, velut communem prædam concurrerent, unumque fieret plurium, quod ne uni quidem, quippe tanto emtum, multum prodesset. Aut si forsan aliquando prodesset, tamen rixarum materia erat: dum in re communi juris & meriti vel æqualitas vel præstantia à singulis obtendebatur. Contra, qui primi possessionem adepti erant, aliis, etsi ejusdem temporis competitoribus, anteponi postulabant. Quin multi per lites & contentiones suas, tandem auro, prædiis & omni possessione devolvebantur. Crebris excursionibus & itineribus ita fatigasse & exhausisse agricolas in nonnullis annalibus proditur, ut miseri coloni ad cibi penuriam redacti cortice ex arboribus in farinæ similitudinem subacto vitam ægrè tolerarent. Inde sibi cognominis *Regis Corticei* locum fecit. Etsi potius, uti rectè judicat Ericus Vpsaliensis, annonæ charitas in pœnam & regis & subditorum divinitus admissa fuerit. Quum subditi obsecrassent, ut cohiberet insolentiam hominum Erici regno exuti, qui piratica sua non leve damnum & calamitatem Sveticis navibus Gothlandiam transeuntibus inferebant, irrisui rem habuit, dicens: *avunculo suo aliquid concedendum esse, unde vivere posset.* Quin Anglorum naves ipse prædationibus divexavit & intercepit: quarum spoliis ditatus, bellum parabat adversus VVandalicas civitates ex avita simultate, & quod illarum auspicio Vitalianorum classis, VVismariâ solvens Bergas in Norvegia, cujus ipse quoque rex erat, diripuerat, quum in Daniam ad capessendum regnum iter faceret. Inprimis Lubecæ arma intentabat: ad cujus expugnationem reliqua minora oppida facilius fortunæ cessura sperabat. Ceterum ponderatis, ut cautum decebat, non solum suis, sed etiam hostium & fœderatarum civitatum opibus, aperta vi non lacessendum hostem arbitratus, dolo egit. Armata nimirum quinque millibus militum classe, transitu à Lubecensibus petit, specie sacri voti in veteris

Marchiæ

Marchiæ oppido, VVilsenaco exsolvendi. *Se amicum ipsi venturum, militem non alia causa secum ducere, quam se defendendi adversus vicinos Principes suspectos proposito.* Lubecenses, quibus astus suboluerat, & alias sciebant, natura ferè inter se inimica esse liberas civitates & reges, ei transitum negant. Interim tamen milites quosdam à Christophoro habitu mercatorum emissos, qui magnam vim armorum in doliis specie vini occultaverant, domi secum ignari habebant. Misit itidem ad VVismarianos, Stralsundenses & Rostochienses de transitu. Qvem illi civiliter denegarunt, Rostochienses permiserunt. Incendio fortè noctu Lubecæ suborto signoque dato, ad opitulandum occurrunt cives. Ad idem signum isti personati mercatores Christophori, suspicantes à regis emissariis ignem tectis injectum, aut ad occasionem animum adversuri, armati præsto sunt. Rogati, *quid arma pacatæ urbi inferant?* respondent, *se militarium ludorum causa isthæc gestare.* Sed suo se indicio ipsi arguentes ac temerè prodentes, ut dolus sua tandem arte irretitus teneri solet, illicò urbe excedere & alibi meditationes suas militares exercere jussi sunt. Ita incepti irritus rex in Daniam cum classe sua regressus, inter Gothlandiam & Calmariam grave naufragium patitur, ut vix ipse scaphâ evaderet. Quod divinæ in fædam regis libidinem; cujus insimulabatur, iræ argumentum fuisse existimatur. Bavaros suos nonnullis arcibus regni præfectos, ad monitum procerum, invitus removit. De quibusdam regni
1448. negociis Senecopiæ cum proceribus consultaturus, subito morbo correptus, Helsingburgi supremum diem explevit. Quidam perhibent eum in Dania, in compensationem expilationis & evectorum Suediâ bonorum, ingens legatum Suediæ regno supremæ voluntatis tabulis reliquisse; quæ tamen in lucem prolatæ non sunt. Ab excessu regis, interregni tempore Benedictus à Salestad & Nicolaus à Diursholm regni administrationem tenuerunt: quorum curam & fidem jam antea probarat Christophorus; quippe vicem suam eo fungi jubens, quoties regno abesset.

IOHAN-

JOHANNIS LOCCENII HISTORIÆ RERUM SVECICARVM

LIBER IV.

CAROLVS CANVTI

CHristophoro defuncto proximè surrogatur, exterorum regum tædio. Sed prius inter proceres & populum ingenti contentione de quærendo idoneo patriæ rectore disceptatum est. Benedictus Ionæ, & Iohannes ejus filius præsul Vpsalienſis, episcopus Strengnensis aliique dissertabant, *ad securitatem reip. conscientiam singulorum & famam posteritatis pertinere, ut novus rex non nisi de communi sententia trium regnorum, ex lege fœderis adsciscereturSi tamen insuper habito fœdere, sibi seorsim consulere placeat, saltem celeribus abstineant consiliis: quæ facilius reprehendi, quam revocari possint. Tantum profectò negotium, in quo patriæ salus, si bene, vel pernicies verteretur, si male cederet, haudquaquam calidè ac properè agendum esse.* Alii verò, quorum principes erant Carolus Canuti & Ericus Benedicti, contendebant, *electionem regis, quo tardius procederet, hoc majori discrimini reip. fore: tot oculis animisque in hanc spem aut cupiditatem domi forisque inteneis. Nec opus esse alia suffragiorum, quam hujus regni procerum exspectatione; quum Dani jam contra decretum unionis fecerint, atque, non habitis communibus comitiis, nec consensu Sueonum desiderato, sibi primas imo solas eligendi partes sumserint, & Christophorum ex Bavaria ad regnum evocarint. Præterquam quod ista trium regnorum societas magis incommodo quam usui Suedis fuerit; externis regibus ejus leges temerè violantibus.* Hæc cum tanto animorum ardore ab illis agitata sunt, ut â verbis ferme ad manus & rem duello disceptandam perventum fuisset. Eorum tamen sententiæ obtinuerunt, qui ab unione dicta discedendum suadebant: 1440

suadebant, & tribus in electione positis, in Carolum Can- propendebant: *quod non vulgaribus ante experimentis, & nupe- sex annorum gubernatione se dignum imperio feciſſet.* Quamvis no- desint, qui ambitu & corruptione suffragiorum elatum me- morant, de quo tamen nihil in annalibus Sueticis. Nec fid- satis par videtur, eum sexaginta sex virorum suffragia to- enim pro ejus electione numerabantur, simul corrumpe- potuisse. Quanquam eum regni cupidine ductum, non plan- inficias iri queat: si vera sunt, quæ feruntur, aniculæ ab ipſ- consultæ de futuro rege responsum, & infantis prodigium de corona in capite ejus conspecta. Si verò hæc pro nænii- ex quorundam mente habenda sint, tamen publica merita & spiritus privato majores eum vel tacitè regno commen- dare videbantur. Ioannes præsul Vpsaliensis indignans hunc regem: *quod suæ familiæ parum amicus esset: quod solo favore suo- que artibus solium adscendisse exprobraret; & ante ceteros patrem suum Benedictum, virum constantem & expertæ fidei, vel alium sui aut alterius sanguinis ad hoc fastigium extolli præoptasset,* insa- lutato Carolo discedit. Sed mox mutata mente revertitur, persuasus à sociis, ut cum reliquis regni proceribus in fidem regis juraret, eumque Vpsaliæ Iulio mense ineunte corona- ret; occultato tamen magis in præsens, quam exuto odio.

1449. Carolus post solennem inaugurationem Holmiam ingressus, cum senatu consilium habet *de Gothlandia, quam excluſus rex Ericus hactenus tenebat, recuperanda. De piratica isthinc profli- ganda: quod Ericus jam per novennium ex hac insula Suedorum for- tunas non parum accidisset; & nuper adeò septem naves Stocholmen- ses indigenis mercibus onustas intercepisset.* Decernitur, *bis mille militum classem adversus Ericum armare, ductoribus Magno Grec- nio & Birgero Trollio.* Milites hanc expeditionem summa cum alacritate suscipiunt; & cives sibi gratulantur de illa die & occasione, qua suorum tot injurias & detrimenta ab Erico accepta vindicarent. Quum dicta classis portum Flevanicum ingressa esset, militesque in terram exscendissent, quamvis hostis eos accessu strenuè prohiberet, una tamen alteraque pugna hoste in fugam verso, littore potiti sunt. Vnde pro- gressi, VVisburgum circumsederunt. Horum rumor ut ad Danos accidit, mittunt ad Carolum in Glandia tunc hæ- rentem, *ut auxilia pro re suis ex propinquo quidem submittat, sed*

copias

copias suas ex Gothlandia domum revocet, neque armis lacessat. Eam enim à VValdemaro tertio debellatam, & à Margareta redemtam; quum ab Alberto Borussiæ magistris oppignerata esset; Danicæ non Suecicæ ditionis esse. Si contra faciat, Christiernum regem suum armis injuriam ulturum. His Carolus respondet: Gothlandiam ad Sueciæ ditionem ex usurpato veteri jure pertinere, & nuper nomine publico atque pecuniâ Sueonum à Margareta redemtam esse. Idcirco se lege regni & fide juramenti patriæ præstiti ad armis repetendum regno ademta, si aliter nequeat, obstringi. Irent ac renunciarent suis, sibi revocandi milites consilium animumque non esse, antequam Gothlandiam in potestatem regni Sueciæ redegisset. Hoc responso accepto visum est Danis expedire adversus Suecos & pro tuenda Gothlandia justum exercitum, auspicio Christierni I. Dum in his sunt, Sueci urbis VVisbyensis obsidionem aggrediuntur. Ericus cum suis diu irruptionem obsidentium sustinet. Sed deficiente paulatim commeatu, civibus urbem tuendam demandat, ipse in arcem, ut tutius perfugium, concedit. Oppidani oppugnantium laboribus & excubiis fracti remittere paulatim animos, & solutiori cura in custodiendis munitionibus esse. Quod ubi Suedi animadvertunt, sibi vigilandum & occasionem rapiendam existimantes, scalis noctu clam admotis in mœnia enisi, urbem invadunt. Eodem impetu cepissent arcem, nisi duces, in primis Magnus Greenius, induciarum imagine decepti fuissent. Ericus enim destitutus paulatim arcis quoque commeatu, pacisciturcum Suedis armorum ferias hac lege: *ut illis traderet arcem VViburgum, sibi retineret Bornholmiam & Ölandiam, quoad viveret.* Obtentis induciis frumentum & alia necessaria, qvæ in longius tempus sufficerent, arci infert, nec pacta servat. Calendarum Ianuariarum vespera à ducibus Sueticis convivio exceptus, eos ipsis calendis iterum invitat, sed explosotertormento ad ferales epulas & velitationes, quibus utrinque non pauci conciderunt. Verùm ut majoribus viribus & infestius adoriretur Suedos, auxilium rogat Danos, spe totius Gothlandiæ loco mercedis illis facta. Christiernus itaque ingentem ei classem auxilio mittit, duce Olao Axelii, qui ut accessit, arcem ei tradit Ericus. A Danis in tutiora traductus, in patria tamen sua Rugenvvaldiam Pomeraniæ, senectutis & quietis sedem eligit,

in

in eoque otio demum anno milleſimo quadringenteſimo quinquagesimo deceſſit. At Suedi à Carolo rege obſidione arcis continuare juſſi, parati erant arma non niſi cum vita aut arcis deditione ponere. Nihilo minus à Danis armorum ceſſatione vel induciis iterum deluſi ſunt: ut mirum ſit, ictum non ſemel ſaxum eos retuliſſe pedem. Sed authore Greenii moti, ne quidem contra hiſcere audebant. Tanta ſecuritas erat, ut caſtella & propugnacula ſolo æquaret, *his*, negans, *opus eſſe: quum per inducias nihil hoſtile metuendum ſit*, quaſi poſt exigui temporis otium, bellum non rediturum eſſet. Hac re Magnus etiam ſuſpectæ fidei habitus eſt. Induciarum hæc conditio erat: *ut Sueci urbem VVisbyenſem & inſulam Gothlandiam uti poſſidebant, poſſiderent. Dani verò arcem urbis. Interim arbitros mittendos, qui jura partium cognoſcerent & diiudicarent.* Ita Chriſtiernus præſidiis & commeatu arcem munit, ſuaſque copias contra datam fidem adverſus Suedos urbem inſidentes educit. Haud ſegnites hinc inde pugnabatur, ſexcentis Danorum primo conflictu cæſis. Chriſtiernus igne urbi immiſſo, compellit Suedos caſtellis jam à Greenio deſtructis, ut ante dictum, in munitiores domos lapideas ſe recipere: ex quibus maſculè ſe defendentes, ſubeunti hoſti non levem dedere ſtragem. Hi Danicæ hiſtoriæ ſcriptores tradunt, Danos muro perfoſſo nullo hoſtium ſe movente, irrupiſſe & facili negotio urbem occupaſſe, cæſis inſuper mille octingentis, aliisque captis. At Suetici annales ferunt, Danos quum animadverſiſſent Suedos dictis ædibus abſque magno periculo & labore exire non poſſe, cum eis hac lege pactos eſſe: *ut cederet Gothlandia Danis, factis induciis à die S. Martini ad annum uſque. Interim ad comitia die VValburgis indicenda deſtinandos utrimque duodecim ex Senatu, qui de jure Gothlandiæ aliisque controverſiis inter duo regna pronuntiarent.* Hæc utrinque à delectis ex ſenatu Suetico & Danico ſubſcripta ſunt, & Gothlandia Danorum ditioni, quamvis ſub certa conditione, tunc acceſſit; cujus præfectura cum inſulæ uſufructu Olao Axelii pro viginti mille ſelibris argenti mutuò acceptis, ut volunt, pignori à Chriſtierno rege Daniæ data eſt. At Carolus majoris fortunæ momentis intendit animum, & ad Norvegos mittit poſtulatum, ut ſe ſumant ex lege fœderis regem, ſe regnum

num eorum juste & ex fide administraturum. Norvegi, tanquam à Danis in electione Cristierni præteriti, Carolum Canuti sibi quoque regem faciunt. Sed mox major pars, seu facti pœniteret, seu à Danis ex decreto Halmstadiensi de arctiori horum regnorum unione aliter persvasa, Christiernum regem præponit. Plebs tamen, præsertim regno Suediæ vicinior, in fide Caroli manet, & Nidrosiam evocato solennia regni confert. Carolus duos regni præfectos ex Norvegico senatu Asslacum Turonis & Eduardum Muscam constituit: duos, ut mutuo contuitu magis in officio & fide essent. Sed cum crescente Caroli potentia simul invidia gliscebat, in nonnullis etiam metus servitutis sub rege duobus imperiis animum forsan elaturo. Arbogiam aceitis proceribus, nonnullos ex istis, inter quos erat Magnus Grecinius, Halmstadium ad conventum isthic indictum ablegat, cum libera agendi quæ è re regni essent facultate expressaque contestatione, ut uni parti ita satisfieret, ne alteri hoc esset fraudi. Quum ad dictum locum convenissent, rex Daniæ criminatur, *ruptam à Carolo unionis legem non solum in Suediæ, sed etiam Norvegiæ regno, Daniæ hæreditario, per vim & fraudem*, ut aiebat, *occupato*. Commonetque legatos, *ut hac de re & simul de lite inter duo regna ob jus Gothlandiæ decidenda, deque commoda belli avertendi pacisque stabiliendæ ratione cogitent.* Respondent legati: *Pace fida & perpetua nihil ipsis regnoque prius & optatius fore. Litem de Gothlandia judicio intra annum finiendo committi, è re videri. Si intra præfinitum tempus terminari non posset, in conventu Calmarienſi utrinque arbitri cognoscerent, & Gothlandiam certæ parti adjudicarent. Vt Carolus Norvegiæ jure Christierno velut hæreditario ejus Principi cederet, æquum videri. Quod si his actis Carolus subscribere nollet, se in Daniam ad custodiam reversuros.* Ferunt quidam annales Svetici, tres & fortè plures ex istis legatis in occulto & à plurium conscientia seducto loco clam agitasse consilia cum Danis, *ut alterutro regum Sueciæ vel Daniæ defuncto, superstes crearetur, vel interregnum esset, donec etiam alter obiisset. Interim respublica per regni senatum administraretur. Vtroque tandem vivis exemto, Halmstadii convenientes ex indigenis sibi regem sumerent, regni legibus obstringendum.* Inprimis actum est in secreto, *de Carolo regia sede movendo, tanqvam violatæ unionis reo, & nimis imperiosè*

severè que agente. ut arces & munitiones regni de sententia Senat[us] attribuerentur, quorum fidei placeret. ut codicilli conscriberentur regni senatorum manu & sigillis firmandi, in quibus obstringerent Carolum ad certas leges, quibus si subscribere recusaret, ab ejus fi[de] discederent, & regi Christierno regnum Suediæ dictis legibus defer[ri] rent. Hoc consilium quum Nicolaus Ionæ cuidam episco po sub jurata silentii fide detexisset, episcopus animo per plexus quid hîc sibi faciendum esset, tandem elegit resci dere potius juramentum Nicolao præstitum, quam fidem regi datam: in tanto præsertim negotio, quo regis salus & existimatio periclitaretur. Vbi conventum erat Arbogam, episcopus aperuit regi occulta machinationum adversus i[l]lum structarum. Rex admiratus, tam perfidè secum egisse, quo pro optimis amicis habuerat, & magnis sibi regnoque benefi ciis devinxerat. Vt tamen tantisper dissimularet, donec se ipsos fortè & molitiones suas architecti earum indicarent, præsul regem rogabat. Rex hoc fecit. In comitiis Arbogen sibus de gestis Halmstadii percunctatus, ubi ab oratoribus quæ vellent, accepit, inprimis de pace & controversiæ de Gothlandia finiendæ modo, rem in consultationem mittit & *num isthæc rata sint habenda. quod visum plerisque: quum de ea existimatione & libertate legatorum hîc agatur; ne, si ad irritum re cadat, fœdæ custodiæ in Dania ex pacto oratores mancipentur.* Se niores verò non dubitabant, *hæc suo periculo fecisse legatos, qui contra mandatum & in fraudem dignitatis publicæ & regiæ feci sent. Licet enim illis permissum esset è re consulere, tamen hac lege ne alterutri parti esset fraudi: ut erat regi cessio regni Norvegiæ.* Illa tamen rex, ne statim nudaret animum, cum reservatione sui juris, ex parte confirmabat. Posterius verò & occultius illud consilium, de quo supra, studio celabant oratores, do nec prius suæ securitati consuluissent. Rex etiam animum tegens, quasi hujus rei scenam planè ignoraret aut non intelligeret, interim singulorum erga se affectum callidè elu ciebat: si seipsos forte proderent. Tandem cum se consci sive odio adversus Carolum, sive securi suæ potentiæ & sa lutis, se satis manifestos fecissent, Carolus ira accensus, pa lam increpitare eos, *negotium regni malâ fide administrasse. Plagas sibi positas, quibus vel incautus ab inimicis includeretur, regnoque depelleretur. Sibi tamen repertam viam hasce plagas vel perrum pendi*

pendi, vel commodè se illis explicandi. Post ad conventum Calmarienſem ſibi addictos evocat novoque ſacramento obſtringit, præteritis ſuſpectis: quorum vires & animos ut minueret magis quam accenderet, modicè in eos animadvertere contentus erat. Prædia quibus abſtulerat, mox deprecantibus reſtituit; aliàs parcus in iis diſtribuendis. Nihil muniendo ſibi ac Principatui neceſſarium omittens, duo mille corporis cuſtodes adſciſcit. Arces ſuſpectis adimit, & in alios, quos ſibi magis fidos credebat, transfert. Nicolao Ionæ arcem Örebroenſem & mox Nicopenſem, Magno Greenio Aboenſem, quos pro principibus iſtius factionis habebat, aufert. Hoc indignè ferentes quidam magnatum, & ſibi ſimul metuentes, hinc anſam ad Chriſtiernum tranſeundi cepere, quorum præcipui erant Magnus Greenius, Benedictus Ionæ, Tycho epiſcopus Scarenſis, Guſtavus Olai, Guſtavus Laurentii. Comitia hac tempeſtate Vadſtenis habita ſunt, in quibus de jure Gothlandiæ inter duo regna Sveciæ & Daniæ, ſed nullo fructu diſceptabatur: quolibet regno ſuum jus tuente. Eodem modo poſtea Calmariæ. Chriſtiernus rex Daniæ quærens quomodo potentia Caroli tam vicina non nimis prope ſe invaleſceret, ubi juſtæ aperti belli cauſſæ deficiunt, abſque ullo præmiſſæ hoſtilitatis indicio, excurſionibus quocunque obtentu & populationibus variis atterere eam conatur. Carolus ad vim pellendam haud ſegnis, ingenti exercitu collecto, Scaniæ, Blekingiæ, & Hallandiæ vaſtitatem facit. Hac re magis laceſſitus Chriſtiernus cum infeſtis tam Danorum quam exterorum copiis Gothiam occidentalem invadit & diripit, Ladoſienſem portum & arcem occupat. Duo fratres prope Ladoſiam unum prædium inhabitantes, â Danis militibus pro certa pecuniæ ſumma prædii & fortunarum ſuarum incolumitatem paciſcuntur. Mox ſolutâ pecuniâ, nihilominus prædantur colonos inſolentes milites. Sed fratres cum aliquot ſociis eos inſequuti ad Cattungam, in inſidiis ſe locantes, ſeptuaginta circiter tranſeuntes occidione occidunt, & cadaveribus exſpoliatis damnum abunde reſarciunt. Hoc præludium erat majorum inſidiarum, quas Carolus Chriſtierno ex occidentali Gothia in orientalem contendenti paravit in nemore Holevedia, per quod illi cum exercitu tranſ- 1450. 1452.

eundum erat. Quamvis enim accepto nuncio de irruptione hostis etiam Holmiæ per mare imminentis, ad eam tutandam recurrisset; tamen â tergo reliquerat Ericum Nipertum qui justo cum exercitu hosti occurraret. Dum ergo Christiernus ad dictam silvam Holevediam accedit, insidias isthic veritus, præmittit levis armaturæ cohortes cum ducibus locorum gnaris viam prætentaturis. Sed hi non satis circumspectis latebris, insidiarum dolo circumventi, & trecenti cæsi sunt, reliquis captis. Hac hostium clade magis in spem erectus Carolus, ut occupata â Christierno Vestrogothiæ capitella quoque recuperaret, cognatum suum Tordonem Bondium, virum bello strenuum cum expedito peditum agmine istuc mittit. Hic ut hosti se subitò superfunderet, per avia silvarum & montium militem suum raptim ducit, noctuque hostem inopinatò opprimit, & ingenti prædâ partâ, Ludosiam recuperat. Opportunè Carolus fortunæ insistens cum suis copiis Bondio succurrit, & alias quasdam istius loci arces, Axevaldiam & Rombloburgum, profugis in Daniam Turone Turonis & Krummedicio earum custodibus, in fidem suam recipit & præsidiis munit. Boondius etiam istic limites firmat, castellis in Norvegia Billingburgo, Guldburgo & Danasorghio exstructis. Quosdam Norvegorum hoc impedire studentes & munitiones ejus tres mille militum à Christierno, duce Torberno Gastio, submissorum manu oppugnantes per trecentos suorum insidiis circumvenit & sternit. Ob hæc & alia merita regni Marscus, ut vocant, à rege creabatur. Sed postea noctu in lecto à suo ministro Iusto Boethii, injustissimo sicario, conducto ejus opera à Danis, ut quidam suspicantur, dum ad Danos perpetrato scelere transfugit, nefariè trucidatus est, indignaque morte periit. In conventu Holmensi reconciliatus est præsul ejusque socii cum rege Carolo. Licet isthac amicitiæ redintegratio non diu steterit, hærente in animo odii fomite. Monetæ domesticæ instauratio facta est, derogata æstimatione majori æquo peregrinæ. Officinæ monetariæ apertæ sunt Holmiæ, Aboæ, Sudercopiæ & Calmariæ. Ne deficeret isthic argentum, vetus institutum renovatum est de permutanda ab exoticis mercatoribus argentea libra pro minoribus numis ad æstimationem mercium qua-

1453.

quadraginta marcarum. Christiernus acie contra Suecos non multum lucratus, atque si sibi ipsi consentiant, haud faciles debellatu expertus; novum genus expugnandi reperit, non pugnare. Incolas enim regni, præsertim qui in limite habitabant, absque suorum discrimine & ullo cruore, vel adversus se invicem concitat, vel vario belli rumore miniisque è propinquo terret atque turbat; auxiliis contra Suecicis è longinquo, quoties opus esset, non absque magna difficultate & itineris labore in regni fines adductis. Atque sic in armis subinde colonos esse cogit; qui tamen armatum ex adverso hostem magis exspectabant, quam experiebantur. Haud alio equidem animo rex eos dictis modis ludebat, quam ut longo tædio perpetuæ belli formidinis, transitu ac receptu militum fatigati, opibusque exhausti, tandem ipsi nullo negotio in prædam concederent; aut fastidio rerum suarum, à Carolo ad ipsum deficerent, & ad communis fœderis legem redirent. Quam spem ei injiciebat præfectorum Caroli sævitia & inexplebilis avaritia, in agricolis pro lubitu vexatis, & pecuniis arte mala elicitis, aut vi exortis. Profusionem largitionum à priscis Suediæ regibus in sacros usus destinatarum cohibere tentabat; quod illa regni facultates non parum diminuerentur. Sed ea re non levem sibi invidiam apud sacrum ordinem creavit. Ita alienatis subditorum animis & quibusdam magnatum studio in Christiernum inclinatioribus, invitantem fortunam amplexus Christiernus, Daneholmiâ Scaniæ adversus irruptiones Svconum munita, jam seriò rem agit, Elfsburgum expugnat, Ölandiam per Greenium occupat, inferioris Suediæ magna parte suæ potestatis facta. Privatæ mox & publicæ machinationes etiam domi adversus Carolum oriuntur. In nuptiis Nicolai 1457.
Sturii, quas rex suis impensis faciebat, officinæ monetariæ præfectus, ab aliis conductus, an desperans solutionem ingentis æris alieni, quo regi ad quatuordecim mille selibras argenti obstrictus erat, eidem tendit vitæ insidias, communicato prius cum præsule consilio: quem sciebat regi infensum esse. Præsul tamen hîc odio sepositio & verecundiâ hospitalis mensæ, sicarium â cruento incepto deterret, monetque, si quid adversus regem moliendum sit, præstare palam in acie vel campo experiri, quam sacra nuptiarum & mensæ regis sanguine fœdare.

Mox dictis fidem ipsa re confirmavit. Quum enim pera[ctis] nuptiis præsul à rege petiisset resarciri sibi damnum navi[um] suarum in bello Danico amissarum, rex in iram verbis exi[it] atque ie ei quidquam debere negat. Mox tamen animo [se] dato, arbitris ex senatu rem diiudicandam committit. Q[uo] quum negotio discusso secundum præsulem pronuntiare[tur] indigno istud animo rex ferens, judices non ex æquo & bo[no], sed privato studio sententiam tulisse arguit. Inde offe[nsis] animis discedunt. Sed rerum prudentes hinc tumultu[s] mox erupturi semina prævidebant: qui nec diu abfuit. Du[m] enim Carolus expeditionem militarem in Gothiam edicit[at] recuperandum Ölandiam & alia à Danis occupata, præ[ce]conditum hactenus odium palam exserit; cujus has fere[nt] causas: *Pro indignissimo habebat, Carolum, quum ad[ul]regni administrator esset, in vincula conjecisse avum suum m[a]ternum; & præfectura insuper dimovisse*; de quo jam su[o] loco dictum. *Quum pater archiepiscopi Benedictus in comi[tio] Holmensibus, ubi agebatur de novi regis electione, trium regn[o]rum societatis legibus hic strictè standum esse ursisset; cont[ra] disceptasse Carolum, omnibusque modis laborasse, ut posthab[ito] fœderis istius ratione, sibi dignitas regia conferretur.* Eund[em] *patruo antistitis Nicolao ob suspicionem malæ administratæ l[e]gationis Halmstadiensis arcis Orebroensis præfecturam ademis[se]. Denique Carolum regia potestate insolenter & pro lubi[tu] ne uti.* Huc respexisse videtur Ericus Upsaliensis, v[ir] *præsulem se de omnibus, non absque rationum momentis, c[um] multis approbantibus, excusasse* scribit. Quamvis tame[n] ille postea aliter judicet. Postquam omnis multitudo [ex] regis edicto ad militiam evocanda esset, præsul paten[ti]bus literis de expeditione adversus hostem à rege spec[ta]amicitiæ impetratis astutè pro se utitur; & populum Up[sa]landicum, quem ad regem in Gothiam prægressum mi[t]tere jussus erat, aliosque sibi conciliatos & collectos ex oc[ca]sione & obtentui sumtis populi querelis de crudelitate & avaritia præfectorum Canuti, quam vindicaturus esse[t] contra istos præfectos, & ipsum tandem regem armat; u[t] rex postea exul in suis ad ordinem sacrum Upsaliensem liter[as] expostulat. Hîc etiam Christiernus secundas partes agit, & classe in Finnoniam per Magnum Greenium transmissa

VVibur-

VViburgum capit: ut sic binis regni limitibus ad Ölandiam & VViburgum occupatis, inter utrumque medios facilius comprehenderet. Archiepiscopus copiis ex Dalia & Vplandia coactis, præfectum Caroli Haqvinum Svenonis vi capit, & in arce Salestadia custodiæ tradit. Inde consilio cum suis communicato ædem Vpsaliensem ingressus, & sacram vestem indutus, in conspectu collegarum ad altare summum in genua procumbit, precesque fundit. Mox surgens, sacram vestem, omnibus stupore defixis, ponit, armis se devovet & personam militarem induit, negatque se prius exuturum votivum obligatumque virtuti militari habitum, quam turbatum à Carolo regni statum in tranquillū redegisset. Postridie codicillo ad valvas templi affixo, publicè fidem & obsequium Carolo renunciat, eumq; hostem proclamat. Hoc animo pertendit ad regias villas & prædia exspolianda, populumque in suam fidem adstringit. Hinc Enecopiam & Arhosiam ire pergit, ubi quoque civium animos, Caroli pertæsos, sibi obsequentes reddit. Carolus de his certior factus, ex orientali Gothia cum mille quadringentis eqvitum & trecentorum peditum agmine citato, Nicopiam & inde Strengnesiam advolat, spe præsulem improviso aggrediendi. Sed ille jam ad famam adventus ejus in expedito stans, haud cunctanter occurrit Carolo, ac prima luce eum cum suis Strengnesiæ occupat. Vbi in tumultuario congressu rex corpore vulnerato, sed animo magis saucius se in fugam illicò dabat. Præsul fugientem ê vestigio Holmiam insequitur, ut recenti clade perculsum ocyus debellet, & suo eum metu vincat; certè non spatium ad nova consilia viresq; instaurandas relinquat. Castra ad Holmiam ponit, & obsesso æquasque deditionis leges frustra offerenti magis magisque instat. Quum hic nequicquam opem exspectaret, nutantibus & discordibus civium animis, multis etiam in archiepiscopum ad motum fortunæ inclinantibus, præterquam quod tot potentium invidia sibi passim in regno omnia intuta atque infesta faceret, urgente fato abitum parat, & noctu clam thesauro regio Franciscanis credito, & quidquid potest præsentis pecuniæ rerumque migratu faciliorum in navem illato, præter omnium exspectationem, nono regni sui anno, Gedanum discedit. Casimirus rex Poloniæ, cum quo vetus ipsi consve-

tudo fuerat, hospitem perbenignè accipit, arcemque in confinio, ut quidam volunt, ad vitæ adminicula concedit. Non illud silentio prætermittendum, quod, quum Carolus Gedani in cœnobio Olivensi cum rege Polonorum Casimiro Latinè loquutus esset, quia Polonicè nesciebat; nec ipse rex per se vel aulicorum quemquam, nisi per monachum Latinè respondere posset, effecit Carolus, ut Casimirus pudore ex imperitia istius linguæ non tam sui quam ministrorum caussa victus (quem tamen pulcrè postea ultus est) Latinarum & humaniorum literarum studium suis, si provehi ad honores vellent, publico edicto mandaret. Ex eo tempore magis quam antea non solum plurimi ex vulgo degustare literas contenti fuere: quod hodieque frequens est in isto regno; sed civium quoq; & nobilium filiis Romanæ atq; prudentis eloquentiæ studium fuit insigne. Qvin & hodie in ista repub. iisdem gradibus ad primas dignitates adscenditur; & genere clari non alia ratione magis quam eruditione & meritis in patriam extolluntur. Sed â brevi excursu in viam. Stocholmenses comperto Caroli abitu urbem & mox arcem, cujus præfectus erat Olaus Drakius, præsuli dedunt. Fama hujus rei quotquot magnatum aut nobilium in Daniam ob domesticas tempestates concesserant, ab exilio in patriam revocavit, inprimis Benedictum episcopum Scarensem, Magnum Greenium, Turonem Turonis, Gustavum Olai, Gustavum Laurentii, aliosque: qui sub Christierni patrocinio hactenus latucrant, & nunc velut ad mitiorem auram evolabant.

CHRISTIERNVS I.

1457. Præsulis & quorundam procerum regni consiliis & studio, non universi senatus populique consensu, vivo adhuc Carolo ad Sueciæ regnum evocatus, absque cunctatione accedit, & his legibus Holmiæ inauguratur: *Vt regni jura & instituta conservet. Vt cuique suæ possessiones, ubicunque sitæ, salvæ sint. Vt ablata coronæ confestim restituantur. Vt jus Gothlandiæ Suedis integrum sit. Vt his de vectigalibus ad Bâhusiam dirimatur. Ne rex ad se ullo titulo transferat possessiones nobilium. Ne oppigneret aut quocunque modo alienet, vel regno efferat bona regni. Ne illegitima onera subditis imponat.* His scripto & juramenti fide firmatis, imperium accipit; & inde revertitur in Daniam. Postea huc regressus, imperium quidem

quidem bene administrare cæpit, sed in progressu inclinavit. Quippe post biennium, gravibus tributis Sueones oneravit, regni opes in suum usum corrasit, undecunque poterat, ex 14.v.
ærario, templis, cœnobiis. Thesauros quibus incumbebant Fratres prædicatores â rege Carolo sibi commissos, ab iisdem Christierno metu offensæ aut spe gratiæ detectos, septem vasis inclusos in Daniam contra datam fidem asportavit, magnaque ejus parte Holsatiæ Ducatum à ComiteScovvenburgensi Ottone & Gerhardo emit. Hac re non levi invidiæ populo esse cæpit, ut, quod opibus impleri non posset, eum vulgò *bulgam fundo carentem* appellarent. Quum rumor exivisset de Carolo Canuti, quod magnas in Borussia & Polonia copias colligeret, quas in Sueciam ad recuperandam amissam potestatē ducturus esset, suspecti veluti clam cum Carolo adversus Chri- 1462.
stiernum facientes, in vincula conjecti sunt, Claudius Ryttingius, regis Caroli Cancellarius, Nicolaus Petri, Orianus, Carsonius, Steno Benedicti & alii. Pars quæstionibus subjecti & ad necem torti: ut, quod ignari erant vel innoxii crimine, tamen faterentur. Pars aliis modis vexati, valetudinis suæ jacturam non absque civium dolore fecerunt. Postquam rex novum tributum præsulis, ut nonnulli volunt, consilio iterum imposuisset subditis, & mox inde in Finnoniam iret, archiepiscopum, qui regis absentis vicem obibat, jusserat illud per suos exigere. Sed archiepiscopus, plebem ea causa tumultuantem sedare an sibi conciliare quærens, seu ut evectionem opum extra regnum impediret, hoc tributum propria authoritate subditis remisit. Vnde regis offensam contraxit, ejusque proditor â Danis appellatus est. Accedebat quod delatoribus & inimicis frigidam suffundentibus, & odio in præsulem asperato, multorumque civium erga Carolum desiderio nondum exstincto Christiernus in se quoque metuebat, quod in Carolo ejecto expertus erat. Itaque præsul, frustra deprecante & fidem interponente Catillo Lincop. episcopo, ejus ex sorore nepote, â rege jussus est in Daniam abduci & vinculis tradi regiæ dignitatis author. Sed piæ mentes judicabant *hoc evidens* 1463.
pœnæ divinæ in præsulem exemplum: qui, quamvis cetera vir cordatus & generosus, tamen hic extra regiones officii sui temerè ruens, arma, qualia ipsi credita non essent, sua authoritate contra suum regem ambitioso, rebelli & ulciscendi cupido animo induisset.

Vbi ad rusticorum aures manavit, præsulem in custodiam esse abreptum, & quidem, ut vulgò fama ferebat, ob exoneratam à se gravi tributo multitudinem, illi in boreale suburbium Holmiæ armati confluunt, hanc injuriam vindicaturi; quidam insulam Spiritus S. dictam insident. Sed rex navibus interpositis eos secrevit, ut viribus divisis illos qui in insula hærebant, etsi strenuè pugnantes, illata cæde prosterneret, vitam paciscentibus parceret, cum conditione tributi nuper illis imperati sine morâ dependendi. Duces factionis ultimo supplicio affecit. At pontifex Romanus, Christierno interminatus est, ob archiepiscopi in vincula compacti injuriam & potestatem in tam venerabilem personam temerè à se, ut putabat, usurpatam, usu sacrorum interdicere. Rex negabat *se custodiæ inclusisse illum ut archiepiscopum, sed ut hominem de mundo, qui militaria ac civilia tractaret, & sacro se munere abdicasset, periuriique reus esset.* Totum negotium legato pontificis, episcopis vicinis & ordini sacro decidendum commissum est. Sed illi studio rem trahentes, tandem in suspenso reliquerunt. Itaque Catillus viâ pacis & intercessionis nequicquam tentatâ, cum propinquis & amicis suis de viâ per vim armatam expediundi custodia præsulis, aut injuriam persequendi agit: & de adjungenda sibi multitudine agresti, jam suopte ingenio ad ultionem prona. Omnibus idem volentibus, Catillus exercitum cogit, ejusque ductorem ad exemplum avunculi sui agens & voto se obligans, Holmiam adoritur, obsidet, capit. Mox ad Christiernum scribit, *si dimittat præsulem, se benevolis & obsequentibus subditis usurum; si minus, alia omnia experturum.* Verum hæc surdis auribus occinebantur. Ideo Catillus Dalecarlis & Helsingis ad suas partes adiunctis, castra ad Haraækerum figit: ubi Danis simulatâ fugâ in insidias tractis, dein manu cum illis in lacu glacie solido conserta, victor evadit. Ita Christiernus videns pleraque sibi improsperè cedere, cum classe sua in Daniam revertit. Ex una navium capta apulstre rapuerunt milites, & ad Holmiam in colle Brunconis trophæi loco erectum *Danorum braccam* per ludibrium appellarunt: quod tunc instar apulstris eorum braccæ pro istius temporis more forsan fluitantes & laxiores essent: aut quod ea appellatione laxum vexillum illis esset. Dum hæc ita processere,

literæ

literæ Caroli Canuti exsulis adferuntur, ad ordinem sacrum Vpsaliensem scriptæ, in quibus abitus sui caussas, cum expostulatione injuriarum sibi â præsule factarum prolixè exponit. Earum sententia hæc erat: *Qua ratione jam per quinquennium egerit præsul de se Carolo prodendo perdendoque. Quo nomine quum ipsum insimulasset, se supplicibus ad Deum manibus sanctè obtestatum esse, se integram fidem & amorem regi suo servaturum, nec unquam commissurum, ut rex ejiceretur regno, & Christiernus in ejus locum adsciseretur. Quin se malle ante pedes regis sanguinem suum profundere, quam permittere, ut ille regno deturbaretur. Ita se ut amico fidem habuisse, & ex sententia senatus patentes ei literas ad subditos de armis contra hostem Christiernum regem Daniæ capiendis dedisse: qua de re ulterius quoque populum erudire rogatus erat. Illum verò abusum istis literis, populum adversus regem concitasse, armâ contra ipsum expediviſſe, Holmiam arcte cinxisse. Regem tamen etiam cum vitæ suæ periculo se obtulisse amicæ compositioni & satisfactioni, si de fide publica, præsul ejusque socii sibi satisdare voluissent. Sed hoc denegato, nullum aliud remedium à fortuna & fide derelicto superfuisse, quam in exilium abire. Simulac verò præsul regem exterminasset, Christiernum contra datam fidem in regnum advocasse. Præsulem, omni reverentia exuta, ipsum ut tyrannum, proditorem, prædonem subditorum & hæreticum apud Pontificem & alios pessimè traduxisse, nullo alio quam populum à rege ad se avertendi animo. Se verò inusitato, ambitioso & sacra persona indigno titulo regni caput & administratorem, libertatis vindicem ac defensorem jactasse. Ceterum de suâ innocentiâ regem suam & bonorum conscientiam ipsorumque fidem appellare; imo toti mundo suam integritatem probaturum. Non posse tamen non se mirari, quî sodales præsulis tantam ejus insolentiam & ambitionem tulerint. Nisi præsulis & ipsorum promissis tantum fidei habuisset, se lege cum ipso acturum fuisse. Præter extremas autem injurias & contumelias, quibus regium nomen lacerarit, ne quidem sibi temperasse ab odio & immanitate adversus tenellos regis liberos, quos à suis cognatis, quibus commendati erant, abstractos sæva hyeme trans mare in exteras oras ejecerit, ut eo citius perderet. Regem tamen non tam domesticum, quam publicum malum dolere: dum in sui locum Christiernus suffectus patriam opibus, â se fidei Fratrum minorum in usum ac necessitatem regni commissis, exspoliet, Daniamque ditet. Hæc & plura*

plura hujusmodi incommoda impiis præsulis machinationibus acceptа ferenda esse. Eundem nuper quoque Catillum episcopum, & alios ex suis cognatis rebelles contra se, publica authoritate in regnum revocatos, excivisse. Cum tamen satis sciat, literis Pontificis in archivo, ecclesiæ Upsal. adservatis sacrorum usu prohiberi, quicunque legitimo magistratui & vero regi Suediæ obnitatur. Contrà quas tamen ex falsa relatione dispensationem pontificis postea impetrarit. Præterquam quod ipsi non ignotum sit, quid pœnæ lege Dei & patriæ hujusmodi perduellibus debeatur. De cetero rogat sacrum ordinem Upsal. cogitare de modo luendi damni, quod ipsorum fide pro præsule interposita passus sit, & Pontifici aperire tam injustas ejus molitiones, & tam indignum sacri muneris abusum. Ad ea respondere se ab illis exspectare. Illi respondent: *Præsulem nihil quicquam vel consilii vel operæ cum ipsis communicasse in his, quæ antea vel nuper in regem patrarit. Quod si feciſset, longè melius eventura omnia.* Tandem crescentibus inter proceres æmulationis studiis, & detrectantibus imperium Christierni Suedis: *quod contra juratam regni legem opes publicas extra regnum abstuliſset: quod per absentiam ejus raro, ut decebat, jus diceretur, & præfecti interim, ut vellent, non ut fas erat, cum subditis agerent: quod arcibus & officiis præfeciſset Danos; & alios exteros pro libidine dominantes, exclusis indigenis, tanquam improbæ in regem fidei essent.* Itaque in consilium itur de Carolo, qui desiderium sui iterum fecerat, in priorem honoris gradum restituendo, & Christierno ex dictis caussis abdicando. Clarissimus rerum Danicarum scriptor Meursius hîc notat, *eandem fuisse querelam de Christophoro Bavaro, quæ de Christierno primo erat; & hanc Suecis primam desciscendi caussam exstitisse;* mox ingenuè fatetur, *non pro cætera prudentia ab utroque rege factum. Quippe hanc regnorum legem esse, ut per proceres indigenas unumquodque gubernetur; & in fide se eorum acquiescere rex ostendat: si præficiat peregrinos, detrectare ferè obsequium solere cives: ac, si fidem in dubium vocet, ad perfidiam irritari.* Christierni igitur imperio abrogato, Gedanum mittuntur, qui Carolum ad pristinam dignitatis sedem revocent. Ita vertente fortuna evectus dejicitur, dejectus extollitur.

CARO-

CAROLVS CANVTI RESTITUTUS.

Post septem annorum exilium in regnum redit, fausti illorum qui à partibus ejus erant, vocibus exceptus, quibus reponit: *Ipsos satis meminisse se eorum legitimum regem, loco & fortuna non animo ab eis divisum, illorum accitu ex Borussia, ubi non malè ipsi fuerit, huc revertisse. Se eosdem, si in fide & obsequio perstent, in libertate & jure patrio pro virili tuaturum: nec sperare, secus unquam a se factum. Si quid ab præfectis provinciarum admissum sit, ejus culpam non sibi, tanquam imprudenti & invito, sed illis imputandam esse.* Rege urbem ingresso & renovato utrinque fidei juramento, præcipuus custos regii thesauri Christierno, ut ante memoratum, detecti & abrepti, Petrus Laurentii & monetarius, qui obæratus regi cædem in eum cogitarat, repentina morte exstincti sunt; ex sceleris conscientia, uti res erat, & supplicii metu. Nec liquido minus argumento, quam duro verbere excitam mentem authoris quasset cogitatum adversus Principem scelus, nedum ipsa re patratum. Christiernus accepto Carolum restitutum esse, mox archiepiscopum ex carcere dimittit: tanquam ideo sub custodiam dedisset, ut ignoscendi ei facultatem haberet, majorique ipsum gratia sibi devinciret. Certè tantum adversarium iterum opponi Carolo, suæ fortunæ peropportunum existimabat. Præsul enim infensior Carolo, priores in Christiernum affectus, quod mirum, retinuit an simulavit; & populum proceresque, quantum potuit, adversus Carolum ex adultiori majorique odio commovit. At Carolus plebem conciliabat sibi promissis & spe relaxationis tributi: quod quum rex promulgasset, præsul è suggestu contra publicè interdixit. Sanè populum in sua, ut administratoris regni & possessoris arcis Holmiæ potestate esse volebat. A sacro ordine Upsalienſi admonitus, ut missis civilibus negotiis, quod sui officii esset ageret: ita tutiori loco & tranquilliori conscientia fore, hoc salutare consilium sprevit; donec odio populi gravatus, in comitiis Holmensibus resignaret administrationem & arcem 1464.

Erico

Erico Axelii traderet. Quam tamen postea rei pœnitudine, sed frustra à se retractum ibat. Interim recrudescentibus non solum inter præsulem & regem, sed etiam ejus cognatos Stenonem & Nicolaum Sturios odiis, rex armis decidere litem intendit, Vpsaliamque cum copiis mittit Boethium Tyrium, qui præsulis ædes diripit. Hoc ultum venere amici præsulis Catillus episcopus, Ivarus Greenius, David Benedicti, Trotto Caroli, ac Boethium ad aciem lacessiverunt. Ille promtus congrediendi, prælium init; sed non paucis utrinque cæsis, æquâ fortunâ discessum est. Mox fide data visum est de pace tractare. Boethius hac re falsus, dum majorem partem copiarum Holmiam dimittit, Catillus contra publicæ fidei religionem eas invadit & sternit, vix fugâ dilapso Boethio; qui insuper sacris prohibetur à præsule, ob direptas suas ædes. Contra Carolus *hoc interdictum publico codicillo cassum & irritum pronuntiat, quod præsuli nulla sit potestas sacrorum commercio cuiquam interdicendi: quum ipse sacris à Pontifice prohibitus sit, quod legitimo magistratui se opposuerit.* Carolus autem respiciebat ad diploma pontificis in archivo collegii sacri Vplalienſis servatum, cujus mentionem quoque facit in literis ad idem collegium in exilio suo datis, & superius allatis. Eo diplomate sacris interdictum erat quibuscunque supremo magistratui regive Suediæ resistentibus. Inde expugnatione Holmiæ ab archiepiscopo & sociis nequicquam tentata, de pace seriò convenitur: *ut rex Carolus fiduciario jure acceptis arcibus Finnoniæ Aboensi & Raseburgensi cum Bothnia septentrionali, retentoque titulo regio, renunciet ipsius regni administrationi.* Rex belli sortem, quam improspero successu periclitatus erat, desperans, seu publicæ privatæque tranquillitatis studio cedere
1465. facilis, subscribit pacis legibus & regnum solenniter resignat.
1467. A biennio tamen Ericus Axelii ceterique proceres agitant de conciliatione Caroli & præsulis, ac illius dignitate redintegranda. Et quidem Carolus postridie S. Martini in regium locum restituitur, tradita sibi ab Erico Axelii arce Holmensi, & reconciliatur adversariis; non tamen satis præsuli; qui post mensem à restituto in regnum Carolo in Ölandia decessit. Carolus ubi populum civili justoque imperio regit, plerique ad obsequium rediere; præter Calmarienses, Ölandenses

denſes & paucos alios, qui adhuc à Chriſtierno ſtabant. Deinceps Halmſtadii â legatis Caroli & Chriſtierni de jure regni diſceptatum eſt. Hic ſibi Carolum regno cedere, ille verò jure vel per arbitros cum illo experiri voluit. Sed Chriſtiernus cauſſam ſuam velut liquidam contendens, foro arbitriſque ſubmittere nolebat. Ita infecto negotio diſceſſerunt. Sequenti anno Chriſtiernus non ex jure manu con- 1468.
ſertum, ſed armis regnum repetitum venit, parum tamen feliciter. Vnde mox revertitur in Daniam. Dum ille abeſt, Carolus Verendiam in Smalandia adhuc agnoſcentem Chriſtierni partes & Hallandiam depopulatur; Ivaro Axelii Tottio Hallandiæ præfecto tunc quoque in Caroli partes tranſeunte: quod affinitate ejus Chriſtierno ſuſpectus erat, aliàs quoque infenſus illi ob repulſam fratris in petitione epiſcopatus Othonienſis. Chriſtiernus verò prohibiturus plurium ad Carolum defectionem, inſequente vere redit, & copias Ivari arcibus Solvisburgo & Lillöenſi admovet, easque expugnat & demolitur. Quum Carolus Vadſtenas comitia indixiſſet, inimici ejus Ericus Nicolai, Ericus Caroli & Trotto ejus frater pluresque alii junctis copiis, uti inſidiatores viarum, ex evocatis Vadſtenas interceperunt Birgerum & ejus filium, Arvidum Trollium & Magdalenam Caroli filiam. Rex Holmiam reverſus, copias adverſus Ericum Caroli injuriæ plectendæ animo parat. At Ericus interea Arbogam, quæ cum Carolo adhuc ſtabat, diripuerat; & adjunctis ſibi vagis Chriſtierni copiis, inde Vpſaliam pergebat, civeſque in ſua verba adigebat: quod codicillis ad templi fores adfixis in publicum divulgat. Iiſdem codicillis appoſita item erant ſigilla Trottonis Caroli, Davidis Benedicti, Erici Nicolai aliorumque, qui â rege Carolo defecerant, eumque tanquam perjurum ſermonibus differebant; quaſi non juſto titulo poſſideret regnum, quod ſemel ejuraſſet. Nec id ſolum, ſed Ericus Caroli etiam cenſum à civibus tanquam ſibi ſubjectis exigit. Hanc ut inſolentiam reprimeret, rex copias adverſus eum per Claudium Olai mittit: qui conſerta cum eo prope pagum Knutabyenſem pugna victus captuſque eſt. Mox ubi ſuppetias advenit Steno Sturius cum exercitu in Sudermannia collecto, ejecit cingentes arcem Vpſalienſem, & inde movens in proximum territorium Fiedhundriam, obvium

obvium habuit Ericum Caroli. Rumor pervagatus est cast
Stenonis haud dubiè ab ejus hoste Erico dissem inatus, qua
proprii milites adversus ducem suum conspirarent. Sten
pronæ in re tam ancipiti & periculosâ, nec dum explorat
credulitatis, relicto exercitu suo in Daliam ad Nicolaum fra
trem evadit. Hoc astu Ericus, qui tot viribus se imparem
agnoscebat, eòque disparare copias hostiles vel ad se elicer
studebat, Sudermannos milites Stenonis absque ullo discri
mine damnoque in suas partes traducit, atque sibi jurato
domum dimittit. Vigesimo die post festum nativitati
Christi orta de adventuro ex Dalia Nicolao Sturio cum
magnâ manu famâ, non exiguam quoque Ericus adversus
eum comparat. Vbi propius accedentibus inferenda jam
erant signa, Ericus temerè adversus hostem in insidiis laten
tem excurrens funditur & in fugam vnà cum Trottone Ca
roli, Erico Nicolai, Iohanne Slavvecka aliisque convertitur.
Pars capti sunt, quorum principes erant Gödekenius Lupus,
Iustus & Nicolaus fratres, Norvegi: qui ad Carolum ab
Henrico episcopo Lincopensi missi rotæ supplicium ceu er
belles subierunt. Reliqui fuga Arhosiam elabentes, ut tu
tius & commodius iter haberent, fallaces literas, pros
perum scilicet eorum successum & victoriam nunciantes,
per Ostrogothiam sparsere. Quo commento deceptis in
colis, & rumore cladis celeritate abeuntium antecapto,
inoffenso transitu ac bene accepti Calmariam usque salvi
plerique pervenerunt. David tamen & Christiernus Bene
dicti Nicopiam ex fuga reducti, & ab Arvido Trollio in cu
stodiam isthic traditi sunt. David in carcere decessit. Chri
stiernus ad idoneam cautionem dimissus est. At rex Daniæ
Calmariam & Ölandiam adhuc in fide sua retinebat, uti
paulò ante dictum. Has Ivarus Axelii frustra oppugnare ag
gressus, quippe valido præsidio obtentas, inde se vertit in
Daniam, regem intra regni sui penetralia fortè improvidum
occupaturus. Sed is adventum ejus prædoctus, in campo
Herlingo ad Elingsburgum ei occurrit. Ibi commissa manu,
Ivarus cum suis fortiter dimicans, fortunam prælii satis anci
pitem fecit. Sed postremum inclinante illius acie, in fugam
pulsus, non levi strage cæditur. Fractos eâ clade Succos,
ne rex copiis promotis in totum porro regnum incurseret,

pacem

pacem petiisse, spe regni Suediæ ipsi factâ, Carolum se honesta aliqua transactione demoturos promisisse, tradunt annales Danici. Eam in rem mox Lubecam affuturos, qui cum plena potestate de communi omnium procerum sententia hoc negotium agerent. Sed hanc fuisse regis ludificationem â Suedis excogitatam, qua Christiernum à suis finibus amolirentur: ut eventus ostenderit. Hac contumelia accensus, postea cum expeditis copiis rediit, & quidem summa hieme ac itinere per aburptas rupes & angustos calles difficilimo, cives & agricolas inopinato adventu perculit. Qui in paludes ac silvas densissimas se abdentes, conferta arborum concæde sibi munitiones præstruxeruut, hostique aditum occluserunt. Christiernus eos ad Tivvediam usque silvam insequutus, sed malo hîc olim experto jam sapientior, præmissis speculatoribus insidias coram scrutatur. Attamen fortunæ tentandæ caussa munitiones eorum aggressi Dani, sed irrito conatu, acriter non semel repulsis haud exiguam stragem fecere Eâ rex & hiemis item asperitate pabulique penuria coactus est domum cum suis se recipere. His ita ex sententia gestis, Carolus rex senio vergente, & per tot ancipites rerum casus regnandi satur atque fessus, in morbum incidit. Dum vires animi permittunt, suprema disponit. Stenonem Sturium suum ex sorore nepotem, successorem, si ita proceribus videatur, designat, & regis nomen, ceu ea tempestate invidiosum, omittere, vim imperii usurpare jubet; tandemque Holmiæ in arce rebus humanis excedit. Princeps, præter regium corporis decus, 1470.
prudens, sagax & providus, gravi facundia & eruditione doctrinaque disciplinarum mathematicarum isto seculo in Principe rara, nec minus ad belli quam reip. usum accommodata. In bellis tamen timidior fuisse perhibetur, quam virum & Principem deceret. Nisi consilii fuerit; ut non minus circumspecte, quam fortiter ageret, nec præcipiti audacia secum remp. in discrimen raperet. Equidem si minus animi, tamen plus cautionis inerat. Ceterum adversorum intolerantiorem fuisse, arguat facilitas cedendi concussæ fortunæ: quam inter tam potentes æmulos, & tot machinationibus vexatus, magis formidabat, quàm ferebat. Ex ambitione, cujus insimulabatur, invidiam ita mitigavit: ut ab exilio re-

vocatus, & vix semestris rex, urgentibus adversariis, amplissima potestate decederet, modica regni parte contentus. Et suscipiendo gerere & deponendo recusare imperium, ut placeret fatis, ipsam etiam fortunam resignare magno animo paratus. Publicum odium, quo ob suam an præfectorum avaritiam laborabat, ita lenivit, ut profugus è regno magnam auri argentique vim, ingens & opportunum, quando usus esset, regno subsidium, uti ipse in sua ad ordinem sacrum Vpsal. epistola fatetur, apud Fratres prædicatores Holmiæ post se relinqueret; nisi Christiernus intervertisset. In regnum restitutus, priorum errorum vindicias à se ipse exigit, tales præfectos instituit, qui antecessorum delicta officio industria & fide emendarent.

STENO STVRIVS SENIOR

Gustavi filius ex Birgitta Caroli sorore natus, regno præficitur administrator ex avunculi sui designatione, & consen-
1471. tientibus plerorumque procerum populique animis. Nisi quod protervi quidam rustici adhuc alieniores videbantur, quos facili negotio, Germanicæ cereviſiæ donativo, in suas partes adduxit. A domestico prius hoste Erico Caroli ad Ladubyensem pagum non procul Vpsalia profligato patriam liberavit: ut tutius externum aggredi posset. Mox enim Christiernus cum decem millium exercitu ad vindicandum sibi Suediæ regnum aderat. Sed Steno promtis copiis, quas Nicolaus Sturius & Canutus Possius ductabant, ei intrepidus obviam procedit. Hostis montem Brunconis ad Stocholmiam occupat, & castris ad radices montis locatis, urbem arcte cingit oppugnatque. Steno dum viribus prævalidum sentit hostem, non minus consilio quam virtute pugnandum statuit; verbis & spe tenet Christiernum, donec consumerentur ejus commeatus, & Dalecarli subsidio accederent. Quibus mulac advenere, oppidanos à fronte regem adoriri, Dalecarlos à tergo eum premere jubet: ut ita medium inclusum intra angustias cogant. Ancipite diu prælio, tandem tamen Suecis fortiter dimicantibus victoria cessit. Sed & Christiernus instar gregarii militis strenuè pugnans, in adversum os sagittâ petitur, anterioribus aliquot dentibus excussis. Sagitta in faucibus tam pressè hæsit, ut ægrè nec absque vitæ ferm

ferme periculo evelli posset. Strata Danorum acie, multi cum duce Trottone Caroli ad cœnobium S. Claræ cæsi, plures in fugam versi captique sunt: inter quos præcipui fuere Claudius Ronavvius regni Daniæ Marescallus, Turo Turonis, Nicolaus Christierni & Andreas Friisius. Non pauci ponte, qui suburbium & Kæplingam insulam committebat, rupto, præcipites undis oppetierunt. Hanc fortunam & exigui temporis quietem mox excepit bellum Sueonum cum Russis, ob controversias de finibus excitatas. Cum Russi Finnoniam passim depopularentur, contra eos missus Ericus Axelii regni Marescallus, qui Caroli Canuti sororem in matrimonio habebat, illos debellavit, & arcem probè munitam in Savolaxia, castellum novum aliàs S. Olai arcem dictam, præsidium adversus hostes exstruxit. Postquam Stenoni ab armis aliquod otium contigit, patriæ statum diligenter accuravit; & præfectos tales in provinciis constituit, qui non solum ipsi injurias â subditis abstinerent, sed etiam alios inferre non paterentur, aut illatas rite vindicarent. Quum ipse propter publica negotia provincias omnes subinde obire non posset, in illis habebat suos oculos & aures, id est fidos inspectores & scrutatores, qui præfectorum & subditorum acta exquirerent, ac Stenoni clam bonaque fide referrent. Illos tamen cum judicio secretos & se invicem ignorantes audiebat, ulterius inquirendi magisque præcavendi mali, ut tunc rerum status erat, quam temerè suspicandi caussa. Tantum aberat, ut innoxiis noceret; ut contra noxios potius eos tutaretur. Quippe si credimus Iohanni Magno, sibi potius vitam, quam colono unam ovem contra fas auferri permisisset. Ex quatuor professorum collegio, aucto plurium doctorum numero, Academia Upsaliæ, curâ Iacobi archiepiscopi, auspiciis Stenonis Sturii surrexit, & iisdem privilegiis, quibus Academia Bononiensis, â Sixto quarto pontifice donata est. Christierno I. rege Daniæ rebus humanis excedente, comitia Halmstadium indicta sunt: in quibus de renovando trium regnorum fœdere & communis regis electione consultaretur. At Steno morbi sive veri sive simulati excusatione, eò non venit, quod nuper imperio præfectus, tam subitò privatus, ut suspicabatur, esse nolebat; & quæ fuerunt aliæ caussæ, suo loco dicendæ. Bien-

1477.

1481.

nio post Calmariæ iterum comitia fuere : quibus se Steno sistebat. In his inter trium borealium regnorum proceres convenit de istorum regnorum imperio Iohanni tradendo, renovatis legibus unionis, in quas juraret. Illarum hæc præcipua capita fuere : *Vt religio & ecclesiarum privilegia ac immunitates sartæ tectæ serveneur. Vt administratio trium regnorum secundum leges singulorum & mores majorum instituatur. Vt nulli exteri in ordinem senatorum regni recipiantur. Nec ditiones, arces & feuda per extraneos, sed solos indigenas regantur. Ne ulla possessio aut prædium regni absque senatus regni consensu ulli oppigneretur, alienetur vel imminuatur. Vt nemini literæ liberi commeatus denegentur, salvo tamen jure vectigalium. Vt beneficia ecclesiastica & paræciæ nulli nisi indigenis atque idoneis committantur. Omne æs alienum à patre Christierno contractum tribus his regnis borealibus exsolvat. De omnibus illatis damnis ex æquo satisfaciat. Ius de Gothlandia, Scârdalia & Swartdönio cum Suedis jure vel ab arbitris decidatur. Trium regnorum, Iohannis matris Dorotheæ, & fratris Friderici nomine, inter regem, Stenonem & Nicolaum Sturios, Ivarum Axelii præteritarum offensionum oblivio perpetua sit. Nulli vis aut injuria, quoad vitam, famam, corpus aut fortunas inferatur, sed jure cum ipso agatur. Nullus in turres aliumve carcerem coniiciatur, nisi in eo regno, ubi delictum admisit, legitimè convictus sit. Dignatio & existimatio regni senatus à rege illibata servabitur. Nulli quemcunque ex senatu calumnianti aut deferenti fidem habebit rex, nisi deferens ad probationem urgeatur. Nulli ex senatu rex probrum dicet facietve, nisi convicto. Nulla tributa vel exactiones novas, nisi de senatorum sententia, secundum regni leges imperabit. Omnia vectigalia in argentea moneta solvi curabit. Nulla edicta promulgabit, nec promulgata relaxabit absque majoris partis senatus consensu. Iudicium in provinciis aut oppidis legitimum tramitem atque ordinem suis edictis non impediet. Ecclesiasticos se civilibus immiscere aut politicos ecclesiasticis negotiis, non patietur. Nullum bellum absque communi trium regnorum assensu movebit; nec militem externum in regna adducet, nisi ex necessitate & consensu senatus. Devictæ ditiones, urbes aut arces cedent cujuslibet regni victori, sed alia mobilia viritim utrinque dividentur.*

dentur. Non emet rex aut pignori capiet pro se aut suis hæredibus bona soli propria & hæreditaria nobilium. De rebus naufragis non ex arbitrio, sed secundum cujuslibet regni leges jus dicetur. Consules, senatum, syndicos & publicanos urbium non nisi ex indigenis rex eligi permittet. Regni thesauros, dilapidata & reditus regno non evehet. Rescripta contra rescripta, aut literas regias contra easdem non dabit. Unum annum in Dania, alterum in Suecia, tertium in Norvegia aget. Fide publica abibit & redibit. Usque dum commoratur in regno, Marescallum, Cancellarium & magistrum aulæ ex regni illius indigenis capiet. Aulicos ministros & alios communes famulos, non Episcopis, cœnobiis & vasallis alendos, aliave onera imponet. Exteris civitatibus privilegia nulla confirmabit, aut nova dabit, absque senatus illius regni consilio. Academias in singulis regnis fovebit, & in suo vigore ac immunitatibus conservabit. Absente rege, quatuor ex illius regni senatu supremam juris administrationem exercebunt. In regno Suediæ quatuor senatoribus, duobus ex ordine ecclesiastico & duobus ex politico omnium ejus regni arcium præfecturæ committentur. Iidem convocandi senatus, & interregni tempore gubernandi regni facultatem habebunt. Injuste suis bonis spoliati restituentur. Pro amissis in bello literis publicis rex novas de senatus regni consilio substituet. Quotannis ex singulis regnis tres, Episcopus & duo equites S. Olaï die convenient, qui de regnorum concordia tuenda consultent, & an hæc capita ritè serventur, disquirant. Proscripti ex uno regno justis de causis, in aliud non recipientur. Cuilibet prædia sua & arces pro arbitrio munire integrum erit. Nec illis vi aut clam privabitur. A rege eo adventante, priusquam intret, cautionem peti, ægrè non feret. In regis offensum incidentes hospitio accipere liceat, donec tuti in judicium veniant. Reliqua hic brevitatis studio omissa, quædam singularia de statu regni Norvegici continebant. Quod si rex adversus hæc capita quicquam per se vel alios admiserit, universo regnorum senatu, præsulibus, equitibus, nobilibus, civibus & plebi, incolumi existimatione & juramenti fide, regi impune reniti licebit. Rigenses fœdus iniverunt cum Stenone contra ordinis Teu- 1485.
tonici magistros. Steno copias submisit Rigensibus, duce Nicolao Erici. Inde Russis, Livonorum quoque hostibus, capta occasio non solum Livoniam sed & Finnoniam invadendi

dendi. Sed Steno & dicti magistri composita pace, commu-
nem sibi hostem fecere Russum, junctisque copiis in eum
iverunt. Quamvis Russum, Iohannis regis Daniæ confœ-
deratum, ab eo contra Stenonem magis incitatum constet,
quod ipsum ab inauguratione regni Suedici distineret, ob-
tentu conditionum ab ipso non impletarum: præsertim de
exsolvendo patris ære alieno, de Gothlandiæ controversia
componenda & ut ea rediret ad regnum Sueciæ. Quum
verò Sueci duos potentes hostes, ab oriente Russum, ab oc-
casu Danum, nacti essent, multi ex nobilitate Iohannis re-
gis Daniæ eligendi authores fuere: ut ille vel Moschum
placaret, vel uni hosti magis pares essent. At inter dissi-
dentes ea de re nondum satis convenire poterat, maxime dissen-
tiente Stenone regni præfecto; qui licet initio visus in Io-
hannis electionem consentire, tamen eam in longum ob-
tentu paulò ante memorato protraxit. Vera autem causa erat
non tam ambitio ejus & quod ipse regnum adeò appeteret,
ut nonnulli volunt: quippe qui in administratoris titulo &
honore adquiescebat, ipsamque administrationem, si ita pla-
ceret ordinibus, certis legibus resignare paratus erat & posse
quoque resignavit; sed quod regi Iohanni parum fideret, &
suæ securirati ab ipso timeret: cui memoria injuriæ ob adem-
tum patri Christierno regnum Sueticum, & Carolum Canu-
Stenonis avunculū ei suffectum, adhuc altè animo insidebat.
Præter hoc si potestate exarmaretur Steno; satis prævidebat,
se æmulorum & inimicorum, quos tam intra quam extra
patriam non paucos habebat, potentiæ & ultioni opportu-
niorem fore. Proinde Iohannes vi & armis extorquendi
consilium capit, quod sibi debitum ob moram & quæsitas
1486. dilationes negari videretur. Quum verò satis intelligeret,
quantum esset momentum in occupatione Gothlandiæ Sue-
dis proximæ ad excursiones in eos, & tutum receptum; &
Ivarum Axelii, qui ejus præfecturam adhuc tenebat, su-
spectum haberet, tanquam Stenoni affini suo addictiorem,
eoque veritus ne eam Suecis traderet; cum Ivaro agitare cœ-
pit de ista insula sibi permittenda. Egit itidem cum eo Ste-
no de eadem insula tanquam Suediæ debita & sede belli ad-
versus Danos eligenda; de Finlandia & pluribus præfectu-
ris, quas tunc obtinebat Ivarus, pro aliis Suediæ provinciis

&

& arcibus permutandis. Finlandiam adjutantibus amicis, quamvis ægre ab eo impetrabat; Gothlandiam non poterat: cujus possessionem à morte Olai fratris jure pignoris pro ingenti vi pecuniæ Christierno ab Olao mutuo datæ, ut in vita Caroli Canuti ante dictum, sibi vendicare Ivarus præ se ferebat. Steno illum Calmariam ad colloquium evocat. Sed 1487.
ille morbum simulans, haud accessit. Altera vice vocatus idem prætexit. Steno trajiciens in Ölandiam, ad eum mittit Achatium Iohannis & Arvidum Trollium, qui hominem rectius erudirent & permovere tentarent. Sed ille nihil pacati respondet, ad vim propulsandam, si ita opus foret, accinctus. Quin istic quosdam ministrorum Stenonis oberrantium capere cœpit. Vnde Steno ipsum Borcholmii tunc hærentem, obsidione circumvenire conatus est. Sed ille præsidio ad tuendam arcem relicto, scapha clam se subduxit in Gothlandiam, eamque mox Iohanni regi eò cum copiis accedenti tradidit, in speciem quasi armis adactus, sed revera pro magna vi pecuniæ, ut annales Suedici habent. Illa pecunia à Iohanne ei persoluta videtur, quam Christiernus ante fratri Ivari debuerat. Rex Iohannes Ivaro deinde substituit Iohannem Holgeri præfectum. In VVestrogothia seditio adversus Stenonem mota, octo seditionis capitum pœna consiluit. Dum Steno Borcholmium Oelandiæ arcem obsidione cingit, obsessis suppetias fert Iohannes. At Steno specie colloquii ac spe facta properandæ inaugurationis regiæ dimovet regem, & ab Ivaro, etiam rege arbitro, Ölandiam recipit: quam postea ob vinculum affinitatis ei fiduciario jure Steno usque ad vitæ terminum restituisse fertur. Rex ab Stenone se delusum cernens, scribit ad senatum regni Suediæ monetque, *ut in fide persistant, electionemque sui tandem aliquando ratam esse jubeant atque exsequantur: si periuri pœnam apud Deum, ac perfidiæ notam apud posteros effugere velint.* Nihilominus res de anno in annum ducta est, partim arte Stenonis, partim studio populi erga ipsum: quippe regnum ea humanitate & justitia administrabat, ut populus diu regem haud desideraret. Vbi Steno in expeditione adversus Russos erat, accepit literas ab Innocentio pontifice: quibus 1488.
jubetur reginæ Dorotheæ Iohannis matri sine mora restituere Orebroam, ei dotis nomine promissam. ni faciat, sacris

prohibitum iri. Ille verò fulmen pontificis parum moratus, suos Romam ad se purgandum mittit. Eodem tempore Telgis repetitum edictum de certa vectigalis parte in argenteis numis à peregrinis mercatoribus solvenda: unde monetæ solidæ major suppeteret copia. Biennio post Suedi fœdus cum
1490. Lubecensibus & aliis civitatibus Vandalicis fecerunt: *ut commercia utrinque tuta commearent, sibique fidam eam gentem, si quid Iohannes moturus esset, haberent. nec ut una pars inconsultis confœderatis pacem cum rege iniret.* Steno tunc administratione regni decedere tentabat, invidiæ procerum declinandæ, regique placando. Sed obnitebantur subditi, cum dimittere
1494. recusantes. Annis sequentibus actum Calmariæ de Iohan-
1495. nis regis, cui non semel fidem dederant, inauguratione tandem per agenda: qui eo fine legatos plenis cum mandatis præmisit. Ipse cum armata octodecim navium classe subsequutus: quæ faceret, si legati, quod volebat, obtinere non possent. Sed una navium in freto Calmariensi pulveris nitrati receptaculo casu an culpâ inflammato sublime evibratur & disperditur. Sequenti nocte tota classis sæva tempestate dissipatur. Regiam supellectilem, literas & diplomata ex Suedia in Daniam traducta, aliaque magno ni comitiis Calmariensibus usui regi futura navis vehens, submersa periit. Vbi rex cum suis Calmariam accedit, absunt Steno. Quum adventum ejus amplius mensem præstolati essent, literas mittit, quibus significat, *per se non stare, quominus rex pacem inter regna inire velit, aut bellum eligere. Nihil se hîc præscriptum velle.* Ex hoc ambiguo responso rex colligit, Stenonem studio coronationem ejus trahere. Proinde solvit comitia, & adjumentis belli naufragio perditis, infecta re revertitur in Daniam. Isthic novum meditans bellum, ut spacium instaurandi vires, & pauciores hostes haberet, trium [triginta habent Danici scriptores] annorum inducias offert Stenoni, si â fœdere Vandalicarum civitatum recedat. Steno non passus hoc virium suarum stabilimentum tantillo pacto subrui; ut tamen aliquid remisisse videatur, unius anni inducias admittit. Interim Russi, ut Iohanni regi Daniæ confœderato, ab illo antea in nostrates concitato suppetias ferrent, ingenti cum manu Finnoniam irruentes, VVisburgensem arcem

arcem obsident. Et jam unam ejus turrim aut propugnaculum occuparant, scalisque appositis in muros evadebant. Sed Canutus Possius Suetici exercitus dux, etsi minoribus copiis, obsidionem animosè sustinuit. Incensa turri, quotquot eam insidebant, flammis ultricibus perdidit. Qua & ceteri muros oppugnantes territi, partim in fugam versi, partim internecioni dati sunt, & quidem ad novem millia. Nihilominus mense proximo Februario reversi, in Careliam & Savolaxiam irruptionem fecerunt. quum omnia rapinis ac incendio compleviſſent, cæsis insuper in utraque provincia septem millibus hominum, eadem celeritate, quâ venerant, terga dabant. Steno cum delecto majori agmine in Finnoniam regressus, ut jam se recepisse Russos accepit, relictis in eadem suis copiis, istius belli curam delegat Suantoni Nicolai, Canuto Possio, Erico Trollio, & Stenoni Turonis; illisque majoris auxilii fide facta, revertit in Suediam. At illi auxiliarem militem â Stenone nequicquam opperientes, consilium capiunt de Russis, quod opportunitas alliceret, præsenti agmine persequendis. Eorum itaque oras ad novam usque Narviam peragrantes, arcem Ivanogorodiam intra sex mensium spatium expugnant, magnaque ibi præda facta trecentisque captis, in Suediam abitum hieme ingruente parant. 1496. Dum in hoc sunt, advenit Steno cum copiis auxiliaribus, & compertis, quæ gesserant, iterum in Russos movere jubet: ut fortunam persequantur. At Suanto ob temporis injuriam abitum urget. Steno rei imperfectæ culpam in Suantonis discessum, tanquam parum ex usu publico festinatum confert, eumque fugitivi convitio incessit: quod ante patratum bellum magis fugientis quam discedentis speciem præberet. Hinc tanta dissidia inter utrumque exarserunt, ut vix procerum authoritate extingui possent. Quanquam jam ante quædam inter illos privata simultas oborta fuerat, ob divisam haud ex æquis partibus hæreditatem, & quod alter alteri Stegeburgo cedere nolebat. Sed, ut sæpè inimicitiæ, ex tenui principio natæ, ira rixæque materia glisscentibus, in acrem animorum contentionem eruperunt. Quæ discordia hostibus commodo fuisset, nisi in tempore ab Hemmingo Gaddo conciliatore sopita esset. Post hæc

1497. expetebant proceres, ut Steno victus consensu senatus, ultrò cederet administratione regni, & imperium traduceret in Iohannem. *Regnum diu rege caruisse, tandem opus esse capite, quod majori cum authoritate hostium viribus opponi & penetrare validius posset. Pius satis inani spe ductum fuisse Iohannem: quem præstitisset aut non adscere regem, aut ex lege unionis adscitum tot irritis promissionibus haud ludificari. Stenonem multa suo arbitrio non de sententia senatus, ut ex fide juramenti debebat, egisse. Id testatum facere dissidium, quod per se cum cruciferis fovisset: unde Russus occasionem invadendi Finnoniam & Livoniam arripuisset: & quod inconsulto senatu Oelandiam & Borcholmium, pro quibus recipiendis magni sumtus facti essent, Ivaro Axelii tradidisset*, quæque alia aggerebantur. Ille, ut potuit, se excusavit, conquestus *hanc gratiam sibi pro tantis laboribus, quos patriæ bono sustinuisset, referri. Se tamen, quia ita placeret, partium esse imperium deponere, sed in præsentia universi senatus & ordinum, velut ab omnibus proceribus populoque accepisset. Cum quibus item multa communicanda haberet; quæ quum in rem regni forent, omnium interesset haud ignorare.* Sed hæc studio cunctationis proferebat, ut tempus ex Finnonia domum militem revocandi seque communiendi superesset. Quum istæc cunctatio bilem moveret Iohanni, armata classe redit in Suediam & Calmariam gravi obsidio premens, ad deditionem adigit, & inde Borcholmium Oelandiæ arcem. Rex lætus se pedem jam demum in vestibulo & propugnaculis regni fixisse, de cetero successu non desperat. Steno verò sibi plebem adjungit, quæ plus posset aliis. Antistes Upsaliensis Iacobus non semel scripsit ad Stenonem monuitque, *ut se componeret ad procerum voluntatem & amicitiam, cederetque tempori. Non esse quod adeò fidat plebi vel rusticis, memor patrii proverbii: Si plebi detur aversos conciliare dominos aut superiores, vel omnes æquaturam, vel ad infima redacturam omnes.* Quin interdictum sacrorum, & ab officio remotionem ei minatum esse præsulem, nisi ultrò pareret, quidam perhibent, quum potestatem quoque in civilibus, non sacris solum à Pontifice accepisset. His Steno offensus, & quod Iohanni regi studere videretur antistes, ejus prædium Biscopstunam diripere suis negocium dat. Ipse circa festum S. Iohannis adoritur arcem

ejus

ejus Stekam : quam tamen præsul, de animo Stenonis certior factus, jam præmuniverat. Idem Orebroenses oppugnans in tantum eos discrimen conjecit, ut regis Iohannis opem implorarent. Et ille quidem laborantibus succurrit; sed Steno missa hac obsidione Holmiam properat, ut Iohannem præveniret : quem expugnata per Norvegos valida arce Elfsburgo, jam Holmiam recta tendere intellexerat. Vbi propius rex accessit, terra marique urget Holmiam, & per velites suos subinde ad prælium lacessit Stenonem. Verum ille se pugnæ imparem agnoscens, Dalecarlorum subsidia exspectat. Quod quum regi innotuisset, ê re visum, diluculo ante solis ortum silentio procedere, atque militem in insidiis locare : ut incautum & separatum hostem, antequam se cum Stenone conjungat, facilius opprimere possit. Advenientibus Dalecarlorum auxiliis non procul Holmia ad pontem quem Rotebroo vocant, rex occurrit. Vbi quanto impetu Dani feruntur in hostem, tanta virtute se defendunt Dalecarli. In primo conflictu jaculis non directè sed in altum emissis, hostem tamen non fallente ictu ferientibus, ita sauciant Danos, ut pars excedere acie cogerentur, pars in eadem caderent. Nec illis quicquam ad virtutem defuit, ut ipsi Danici scriptores fatentur, præter solum equitatum : quo si valuissent, haud dubiè victores evasissent. Sed Dani equitatu præstantes, impetum in transversa ac nuda nostrorum latera fecerunt, & ordinibus turbatis, qui proximus est ad victoriam gradus, universam aciem profligarunt; ita ut pauci evaderent. Alterum in suburbio boreali prælium non magis prosperum Stenoni fuit. Qui hac clade affectus, nondum tamen animo succumbebat, fortunam reparaturus. Ceterum perpellentibus oppidanis, ad regem de colloquio mittit. Rex moderatus victoriæ suæ, & ut faciliori negocio urbem in deditionem acciperet, locum colloquio fide publica dedit. Admisso Stenoni rex præter alia dixisse fertur : *Non opus fuisse tanto cruore, si hac mente citius ad se venisset. Iniquum verò se & posteritatis genio injurium voluntatis suæ decretum à morte rediturum, si rusticos sibi adjunctos, quos natura voluerit esse servos & obnoxios, ipse faceret dominos, contra ea dominos ad rusticorum sortem redigeret.* Sed Steno, quum, ut quidam ferunt, Iohannes post Calmariam & Oelandiam in deditionem

nem acceptas â Nicolao Boethii atque Arvido Trollio nomine populi iterum rex Sveciæ declaratus esset, eundem cum proceribus agnoscit regem, & sancita præteritorum oblivione, eum intra mænia & urbem recipit.

IOHANNES II.

Christierni primi filius, rex Daniæ, solennibus auspiciis etiam coronâ regni Sueciæ â Iacobo præsule Vpsalienſi, post
1497. quatuordecim annorum moram, insignitur. Mox præsul Stenonem damni suis possessionibus ab ejus milite & injuriarum sibi ab eo illatarum postulabat. Cui Steno aliquot prædia in detrimenti pensationem offert. Non pauci ex plebe antea illum adhuc integrâ fortunâ adeò colentes, nunc ab eodem potestate & fortuna minuto unà cum præsule actorum rationem exposcebant; etiam dira comminati; nisi Conradus episcopus Stregnensis, cui Steno tamen parum fidebat, intercessisset. Steno hæc futura dudum animo præcipiens, nec minus ingenium vulgi doctus, ad quamcunque sortis auram studia sua circumagentis, ut sibi tutius consuleret, jam ante inaugurationem cum rege egerat, uti ipsum immunem à gesti sui muneris ratione cuiquam reddenda pronunciaret. Et rex sibi Stenonem magis devinciendi caussa, volens hoc ei concessit ac decrevit. Archiepiscopus tamen sociique ejus â Pontifice istius decreti antiquationem post quadriennium, ut suo loco dicetur, obtinuerunt. A coronatione rex proceres splendidissimo convivio excipit, variis insuper ludis & spectaculis editis. Dimissis hospitibus ex circumstantibus quæsivit, *num quid convivio defuisset.* Reliquis silentium tenentibus, unus adulatorum respondit: *Quum omnia lautissimè apparata essent, unum duntaxat defuisse, nimirum ſpiculatorem, qui perfidos gladio feriret: ut reliqui exemplo territi fidem ſervare discerent.* Rex *illum cum hoc tam atroci conſilio in malam rem abire* jussit. *Nec enim se commissurum, ut tanto flagitio conſcientiam ſuam maculet, aut ab illa immanitate imperiū auſpicetur.* Et cum dicto surgens in conclave abit, ergaque hominem specie libertatis prava svadentem minus propitia deinceps voluntate fuit. *Vox egregia,* ait Iohannis regis vitæ notus scriptor, *& præclaro adeo*

rege

rege certè digna. Sed indignus Steno erat toties perfidus, cum quo ea lenitate ageretur. Num verò perfidus fuerit, qui ante Iohannem regem jam regni princeps à subditis factus erat, & post regem ab iisdem electum in imperio retentus, regi non negavit, sed distulit imperium ex populi arbitratu aliisque caussis supra dictis, alii judicent. Equidem monitus de deponendo imperio, sic ipse se excusat, ut est apud eundem authorem: *Se non tantum à proceribus, verum etiam à plebe principatum accepisse: nec si maximè vellet: eum illa invita abdicare posse.* Sequenti anno in- 1498.
eunte in Daniam abiit Iohannes, & proximo anno huc rediit 1499.
cum uxore filioque. Vxor ejus quoque regni corona ornatur & filius ejus Christiernus in comitiis Holmensibus tertio die Pentecostes rex Suediæ dicitur; regni vexillo ipsi ex veteri consuetudine tradito, & fide literis pub. firmata à præsule Iacobo, Stenone Sturio, Erico Iohannis, Gustavi I. parre, Svantone Nicolai aliisque quibusdam proceribus: cum expressa cautione, *ut, si quis adversus regem Iohannem, aut filium ejus rebellis esset, existimatione, favore regio, immunitatibus fortunisque privaretur.* Inde rex ad infelix illud bellum Dithmarsicum, ab aliis, in primis Meursio accuratè descriptum, se confert; reip. summam in sua absentia proceribus & præcipue Stenoni commendat. Quum à bello Dithmarsico recens in regnum rediisset, ex consilio Stenonis, ne regno tunc gravi fame afflicto, majori oneri esset, exiguo comitatu stipatus acce- 1501.
dit. Steno honoris caussa ad regni limitem ei occurrit. Regi scisciranti, *quo loco res regni essent*, respondet: *in provinciis omnia pacata esse, nihilominus præsentiam regis maximè desiderari, tam bello, quod regno cum Russis intercedebat, regia authoritate vel tollendo vel administrando, quum aliis difficultatibus, quæ contra regni leges irrepserant, regia cura sanandis. Sed & dissidio componendo, quod inter se & præsulem aliosque proceres ortum esset ex impetrata per ipsos antiquatione Pontificia decreti regii de non exigenda ratione gubernationis à Stenone gestæ.* Dum autem rex iter, quod per provincias faciebat, atque tempus variis sermonibus fallit, cum Stenone & nobilibus, qui se plures ei ad comitandum ex officio regem adjunxerant, crebrius quam cum suis verba sociare & familiarius agere invidis visus est. Qui, quum Stenonem jam ante occulto odio infectarentur, ut fidem regi suam & de salute

ipsius

ipsius curam præsenti documento probarent, cum in graves insidiarum regis vitæ structarum suspicionem rapiunt, ab iisque sibi cavere regem monent. Rex initio de Stenone vellut compertæ integritatis viro, fidem illis non habere. Sed dum sanctè contestantur, & criminationi suæ fidem quærunt: *quodnegi author fuisset cum parvo satellitio regnum ingressi diundi, ut imparatum opprimeret: quod literis quoquo versum missis amicos & cives ad arma concitasset*, & plura hujusmodi: *quæ denique prava ejus consilia se ipsa brevi proditura essent*; rex tandem in suspicionem pronior, aliâ viâ Holmiam ocyus devertere. Steno etiamsi regem alio erga se quam antea animo esse animadvertit, tamen dissimulat, eique Holmiam comes it. Sed postrema nocte, non impetrata regis venia aut eo salutato, à comitatu ejus clam se subtrahit. Iohannes Holmiam ad se proceres vocat. Illi frequentes adsunt, præter Stenonem: qui tamen sub fide publica venire non detrectat. Eam antequam Iohannes ipsi daret, suam de Stenone suspicionem senatui aperit, *cunctosque se iudices laturum* significat, *si quid contra regni leges, privilegia & instituta fecerit*. Senatu debita obseqvii studia regi offerente roganteque, *prius audiri coram Stenonem, quam reus agatur*, rex annuit & datis ipsi salvi commeatus literis atque obside adesse jubet. Ille cum Hemmingo Gaddo, Suantone Nicolai, Canuto Alsonio aliisque accedit, factaque dicendi potestate, inprimis suspicionem insidiarum, in quam ab amicis apud regem adductus erat, amolitur, deinde *ingratiis quidem regis comitatu clam excessisse se* fatetur, *non tamen animo machinandi quicquam adversus regem, aut ullius flagitii sibi conscio; sed securitatis suæ causa paulum secessisse, donec à tanta suspicione idoneis argumentis se purgare, & innocentiam suam testatam facere posset. Cuius rei cum modò in tam frequenti senatu & tot defensionis suæ testibus, ipsi copia data sit, se ex animo Deo & regi gratias habere. Si secessu suo regem imprudens offenderit, id se impense deprecari.* Dehinc innocentiâ sua validis fidei faciendæ momentis ac testimoniis probatâ, *non in sua potestate sed æmulorum atque inimicorum arbitrio esse* ostendit, *quid de se aut cogitare aut calumniari velint. Satis tamen sibi esse conscium, se tam à culpa, quam scelere, cujus insimuletur, alienum esse. Quin se pro regis existimatione & incolumitate tuenda quidvis subiturum. Ceterum procu-*

ribus

ribus unum molestiæ ac dolori esse, quod rex Calmarienſi pacto per omnia non ſtet ſet. Hic interpellante rege & rogante, qua in re id ruptum exiſtimaret, reſpondit: arces regni & provincias indigenarum fidei demandandas, Danis aut Germanis commiſſas eſſe, qui pro lubitu quidvis in nobiles & plebem ſtatuant, idque ſubjectis aliquot documentis probat, & inter hæc Iohannis Falſteri præfecti Oerebroenſis actionibus, qui nobilem Haraldum Plettingum prætorem in Norskoga, injuriâ, certè magis ex odio quam merito, infami crucis ſupplicio ſubjeciſſet. Præterea ipſhæc opes regni abductas, aliaque nonnulla contra fidem à rege datam admiſſa. Quæ ſi emendentur, nihil omnino ſe ceteroſque regni proceres omiſſuros, quod ad regis dignitatem & ſalutem faciat. Ad hæc quum à rege reſponſum haut ex ſententia accepiſſent, iterum Vadſtenis convenerunt. Vbi collatis in commune conſiliis, decernitur ad regem literas dare, de conſultationum ad difficultates tollendas inſtitutarum tela ſolis verbis ducta, & à rege ex meris ſuſpicionibus abrupta, atque omni ſpe emendationis irrita. Præterquam quod ditiones ante Stenoni conceſsas, periculoſum ratus, ut miniſter regis opes æquaret, etiam dignitates & beneficia Sueonibus concedi ſueta, Danis conceſsiſſet. Argentum & aurum in Daniam exportaſſet, nec in regni uſum ex lege publica adſervaſſet. Quod in perpetuo fœdere cum Ruſsis Suedorum hoſtibus, partem Careliæ, Savolaxiam, Aegrepiam & Ieſchiam in Ruſsorum poſſeſsionem contra unionis leges tranſtuliſſet, eosque ad bellum contra Suecos incitaſſet. Quod Gothlandiam non reſtituiſſet, patris debitum non expunxiſſet, aliaque nonnulla ex fide non ſervaſſet. Proinde ex pacto Calmarienſi, ſub exiſtimationis & juramenti vinculo ſe obligari, ut ab unione regisque obſequio digrediantur. Vt contra præfectorum exterorum ſævam dominationem, cum jure non poſſint, vi & armis ſe tueantur. His acceptis literis rex graviter animo commovetur; ſed quum armis contra movendis in præſens ſe non ſatis inſtructum ſentiret, cives ad integritatem & fidem ſibi juratam, nulla machinatione labefactandam, aut rebellione frangendam hortatur, reginam, ut ſuæ in ipſos fidei pignus, gravidam in arce juſtis cum præſidiis relinquit. Ille verò belli virium colligendarum cauſſa in Daniam abit. Interim Steno denuò regni ſimulque belli domeſtici adminiſtrator conſtitutus, arces regni, quas præfecti Dani tenebant, & inter primas Oerebroenſem, cui 1502.

præfe-

præfectus erat Iohannes Falsterus, quem captum Arbogam misit, ubi â Plettingi hæredibus, ob crimen supra relatum trucidatus est. Postridie Michaelis Holmiam movet, eamque circumquaque obsidet. Regius exercitus urbe effusus adversus Stenonem, bis in suburbiis cæsus, & in urbem repulsus est. Dum verò Steno acriter expugnationem urbi urget, duo ex senatu ad eum emittuntur, qui cum illo deditionem paciscuntur. Eâ re explorata, regii milites faces tecti immittunt: ut quia integram tueri non datur, excisam hosti relinquant urbem. Cives repentina trepidatione, raptique confestim armis in forum concurrunt: mox incendio crescente, portas urbis petunt, iisque apertis Stenonem cum armata manu foris stantem intromittunt. Ille urbem ingressus, præsidia locis opportunis disponit, & cives ad incendium exstinguendum convocat. Sic urbe potitus, arcem & in ea reginam, omni commeatu intercluso arcta obsidione infestat. Rex in Dania de his certior factus, conjugi suæ libenter sucurrisset; sed cum appetente hieme, classis expeditione, qua inprimis opus erat, prohiberetur, literis Stenonem & socios monet, *ut armis positis, in fide esse velint, & cum eis justè actarum; & si quid ab ejus præfectis contra leges commissum sit, ex voto emendaturum; omniaque unionis capita fideliter exsequuturum.* Ceterum illi *nudis dictis, si facta non respondeant, fidem habituros* negant. Equidem mirum est, regem aliquot antecessorum ex eadem caussa imperio motorum exemplis non monitum in tempore medicinam huic malo fecisse, quod par ipsi fatum minabatur. Nec in mentem venisse, quo major ipsi legum regni in quas jurarat, & boni publici cura esset, eo stabilius imperii fundamentum, & nomen ejus illustrius fore. Sed rex ingenio probus ab improbis aliquot consultoribus, quibus aures faciles præbebat, in transversum actus est. Interim Steno obsidioni arcis & reginæ instat, quæ supra gravem foris hostem, etiam intus fame oppugnabatur. Quippe præter carnem equinam & unam suem, nihil eduliorum obsessis reliquum erat. Illam regina certis dierum intervallis in mœnia produci, vinculis constringi, & cultrum tanquam modò ingulandæ admoveri jussit. Ita crebro suis & intenso grunnitu ciulatuque obsessi fidem haud deficientis commeatus adsequuti sunt; & hostibus hoc astu declusis

lusis, paulò minus annos duos obsidionem tolerarunt. Tandem absumto commeatu, & præsidio morbis aut inedia confecto, ut ex mille vix octoginta supererent, regina se cum arce in fidem Stenonis dedere coacta est. Captiva, ut erat fœmina religiosa, postea in cœnobium S. Birgittæ deduci rogavit, ibique ultra annum remansit. Circa idem tempus, die S. Laurentii Steno Holmiam, ut magis respiraret, & quia majus regno subsidium quam minora oppida præstare consueviſſet, statum maris orientalis emporium fecit, vel jus stapulæ, uti vulgò vocant, ei concessit. Unde minora oppida præcipuè Gregrundia, Osthammeria, Geralia, Vlzbyum & Raumoum, interdicta illis in peregrinas oras navigatione, merces suas Holmiæ deponebant. Hoc jus stapulæ à posterioribus regibus, his & aliis oppidis pro rerum & temporum usu vel relaxatum vel restrictum est. Dum verò Iohannes auxilia arci, quam ignorabat traditam, & coniugi liberandis parat, Steno fortuna usus, etiam Norvegos à Christierno I. ob fidem olim Carolo Canuti Sueciæ regi juratam duriter habitos, ad defectionem literis nuntiisq; in spem pristinæ libertatis instigat. Cujus dulci nomine delenitiquidem, non tamen fidei mutandæ præcipites, per Canutum Adolphi petunt à Iohanne restitutionem privilegiorum sibi superioribus annis ademtorum. Rex, quid à Stenone agitatum esset, & quò eorum animi inclinarent, edoctus, Iohannem Ebbonis præsulem Roschildensem & Henricum Krummedicium ad Norvegos in obsequio continendos mittit. Hi classe eò profecti, Canutum ex arce Aggershusiana ad se fide publica in navem evocant. Vbi quum altercationibus de fluxa Canuti fide utrinque inflammati excandiissent, incertum an jussu regis, Canutum interficiunt. Christiernus autem regis filius inde cum aliquot signis militum à patre in Norvegiam emissus, defectionem molientes cohibet, tumultus duce Hermalao Hudfadio roræ pœna adfecto. Sed & Canutus Caroli Norvegis à Stenone subsidio missus in acie occubuit. Sic illi, succisis rebellionis nervis, arma posuerunt & ad fidem redierunt, Christierno rege postea recepto; qui ad priorem libertatem adspirantibus, quod reliquum ejus erat, penitus eripuit. Quum verò ante triduum deditio arcis Holmiensis facta esset, rex cum sua

classe seriùs auxilio suis venit. Itaque cum dolore & fremi
tarditatem suam & adversos ventos culpans, nuntium
senatum regni tunc præsentem de colloquio mittit. Sed
velut ab hoste missus, reiectus est. Rex animo frende
speique irritus, Daniam repetit, certus tamen cum amp
oribus copiis redire. Ceterum ut Vandalicas urbes à co
junctione virium cum Suedis, quam parari intellexerat, ave
teret, Iohannem Calvum ecclesiæ Orthonienſis in Dania a
tistitem, & duos ex nobilitate alios Lubecam ablegat, q
nomine regis Senatui exponant, *quam perfidè Steno cum soci
præter attentatas sibi insidias, arma contra ipsum gesserit, u
Stocholmia, arce, regina captis. Nec satis habuerit per se fide
violare, sed & Norvegos ad rebellionem conciverit. Quibus moto
non possit non armis rebelles in ordinem redigere, & suis in tem
præsenti discrimine opitulari. Se igitur desiderare, ut Lubeca, c
teræque fœderatæ urbes tantisper quiescere, nec in Sueciam arma
commeatum aliaque bello necessaria importare velint. Immun
tes civitatibus â rege non ad oppugnandum regnum, sed ad debit
ei honorem habendum, & quum opus fuerit, operam & offic
adversus hostem præstanda datas esse. Quod si ejus amicitiæ
largiti fuerint, gratiam ejus sibi vicissim demerituros: nec se e
quam prætermissurum, quod ad eorum utilitatem & existimatio
pertinere videret. Si secus faciant, se illos quoque loco hostiu
habiturum.* Ad quæ Lubecenses: *Sibi ægrè esse, regem tam
molestiis & pertinacia procerum Suediæ exagitari. Sed quam
merces suas, magnam partem facultatum & negociationis socios
regno Sueciæ passim habeant, non absque ingenti fortunarum ja
rum dispendio, istius loci commerciis abstinere posse. Se ne
tri parti addictos, ob regum discordiam, libero commercio
& navigationis usu, jure gentium recepto, priscisque privi
giis arceri, contra jus & fas fore. Orare igitur, ut regis cl
gratia sibi in posterum quoque jure suo frui liceat.* Iohannes h
fruſtra se niti intelligens, emissa in mare Balthicum arm
classe, naves Lubecensium & sociorum onerarias, in Su
diam vela dantes intercipit. qui dum eas sibi restitui, a
æstimationem earum refundi fruſtra contendunt, cives
mis injuriam ulciscendam clamant. At Senatus hîc mod
tior & cautior, antequam alea belli jaciatur, conciliatio
viam ingredi tutius duxit. Sed quum tentata compositio
pa

nihil placidi à rege responderetur, tandem bellum apparare. Nec Iohannes in eo cessat. Exercitu enim in oras Suediæ per Christiernum F. misso, Ludosiam urbem expugnat, diripit & igne injecto in cineres redigit. Hinc Elfsburgum & Örestenium arces vicinas adoritur. Quas præfectus Ericus Erici, sustinendæ obsidioni diffidens deserit, & discrimini se subducit; quod ipsi malè postea expetiit. Christiernus præsidiariis capite destitutis & deditionem incolumi vita pactis, ventam, terroris in reliquos caussa, negavit. Hac rerum angustia obsessi noctu clam nuntium ad Stenonem mittunt, ut ad extrema redactis properè succurrat. Ille ad liberandum in præsenti periculo versantes, & reliquos hostium metu perculsos erigendum, justam peditum equitumque manum duce Achatio Iohannis Ostrogothiæ præside subsidio mittit. Hic per avios saltus & rupes, & quidem aëre nebuloso, Danis nullum alium hostem adfuturum suspicantibus, iter properat. Mox appropinquans hostium castris, dum cum suis deliberat, quâ parte commodius irruptio facienda sit, eminus rusticum quendam equos pascentem conspicit, eumque missis aliquot equitibus ad se duci jubet: si quid forte de castrorum Danicorum formâ statuque se docere possit. Is verò metu elapsus ad Danos, percunctantibus tam citatæ fugæ caussam, armorum vim haud exiguam proximè abesse confirmat. Et jam ad ipsa castra erant Suedi, qui absque mora collem adsitum, & ob modò digressas inde excubias præsidio nudatum occurrant: unde facilis non solum castrorum hostilium inspectio, sed etiam telorum in eadem trajectus patebat. Achatius tacitam in castris solitudinem advertens, plerisque adhuc, ut diluculo, dormientibus, si silentio invasisset hostem, in manu sua victoriam habuisset. Sed ille nescius, arcem hosti pridie traditam, classicum cani jubet: ut ostenderet se manifesta virtute; quæ tamen ejus animo, quam isti loco & tempori magis conveniebat; haud insidiis hostem petiturum. Atque prima in castra irruptione magnam cladem incautis & improviso ejus adventu territis intulit. Quum ad sonitum tubæ strepitumque armorum, signis derepente sublatis concurrerent hostes, facto agmine irruunt in Sueones eosque castris pellunt. Christiernus autem fœdè victoriam exercuit, sive quod arcium præsidia, spe ultimâ, pertinaciter restitussent, sive

jam in adolescentiori ætate lupinam exerens naturam, g
gvine delectaretur, omnibus ad unum internecione dele
utramque arcem incendio dedit. Eodem tempore Otho
dius, Bahusæ Norvegianæ arcis præses, castellum Olsb
gum, à Suedis ad defensionem vicini agri exstructum ac p
sidio munitum, astu quodam cepit. Haud ignarus, mi
præsidiarios eâ nocte, quæ ferias natalitias Servatoris
stri antecedit, largius se poculis invitare, suos ille sub prim
noctis vigiliam secum armatos exire, atque occasioni im
nere jubet. Eosdem interulas lineas, quibus se suosque
hostibus internoscerent, vesti superinducere mandat.
cum milite intempesta nocte egressus, per exstantem alt
vem magna cum difficultate ad arcem enititur. Vbi p
quam in muris nullas excubias animadvertit, omnibus i
commessationi & hilaritati deditis, silentio pergens,
versos vino aut somno gravatos facile opprimit. Arcis p
fectus vix fugâ in turrim dilapsus, eam non segniter in
sterum diem defendit: quo nullâ spe subventionis a
gente, hosti eam tradit. Ostrogothi verò milites Eric
Erici, de quo paulo ante memoratum, tanquam proditæ
cis Elfsburgi reum, Achatio eum humi prostratum neq
quam à manibus irruentium corpore & precibus protege
truculenter conciderunt. Lubecenses à Iohanne rege Dan
hostes pronunciati nunc seriò rem agunt, & sex navium c
sem bene instructam Suecis auxilio submittunt. Omni
jam ad arma destinatis commodùm in Germaniam adv
Raimundus Cardinalis ab Alexandro sexto pontifice le
tus. Qui dissidentes ad intestinam concordiam, & a
adversus communem Christiani nominis hostem Turc
capienda exhortatur. Eadem occasione Lubecam acc
animo componendi motus bellicos inter regem Dani
Lubecam. Intervenientibus regiis arbitris, rem initio m
gno tumultu agitatam tandem eò perduxit, ut Lubec
ses se à pace non alienos ostenderent, si â rege Daniæ p
sationem damni reciperent; & inter Sueones ac Danos q
que transigi posset. Conventum itaque his conditioni
Vt rex pro damnis illatis octo millia aureorum illis penderet, n
& merces ablatas restitueret. Privilegiorum jura illis salva re
queret; si ab ope Suedis ferenda abstinerent. Cardinalis & Sena
mi

mitterent in Suediam, ad reginam custodia liberandam & de controversia inter Sueones & Danos Sundii componenda. Suedi â legato de reginæ liberatione compellati, eam ultrò absque pretio dimittunt: cum armatis, non imbellibus & captivis, nec auro sed ferro bellū gerere docti. Steno ipse reginam officii causſa ad fines regni prosequitur, quæ postea à Christierno F. excepta, Hafniam comitata est. Steno ubi à Daniæ limite Ienecopiam revertitur, idibus Decemb. subita morte decessit, non absq; veneni suspicione ab inimicis dati. qui tamē meliori fato dignus erat, nulli superiorū regū belli artibus patrięq; studio secūdus. 1503.

SVANTO STVRIVS

Nicolai F. ante regni Marescallus, ut vocant, defuncto Stenoni successor sumitur: quum non leviter ea de re in Senatu concertatum esset. Quidam Iohannem regno restituendum, plures novum administratorem eligendum urgebant: & horum sententia valuit. Itaque Svanto conspicua vitæ morumque integritate populo charus, & Russicis expeditionibus victoriisque nobilis, regni curator dictus est. Ille, ut erat dignum isto munere, nihil cunctatur patriam tranquillare, & Danici belli reliqvias conficere. Hoc animo Calmariam adhuc Danico præsidio obtentam & Borcholmium per Stenmingum Gaddum, istius loci militum ducem obsidere cœpit. Iste Gaddus erat ecclesiæ Lincopensis antistes designatus, vir eruditus, fidus patriæ civis & acer propugnator, malorumque aculeus; sed infidus gregis sui desertor, pascendo non pugnare constitutus. Quamvis autem patriæ libertatuendæ amor, odiumque hostis hæc arma induere videretur, tamen sacro muneri non erant temerè contra Dei ordinationem miscenda: aut sacrum pedum gladio pro cujusvis arbitrio permutandum. Quod jam in exemplum illa ætate, sed pravum, Deo & sanæ conscientiæ inimicum iverat. Svanto in Hallandiā & Scaniam cum copiis suis impressionem facit. Gaddus urbe Calmaria quidem potitus est, sed arcem Iohannes adhuc in sua potestate tenebat. Qui cum militibus & classe eò contendens urbem denuò recipit, & consulem Sueticum nonnullos perduellionis accusatos capitis supplicio affecit. Inde comitiis trium regnorum Calmariam ad legationem Sueticorum postulationem indictis: ut controversiæ 1504. 1505.

inter illos vel arbitrio incorruptorum Principum, vel
deciderentur; rex cum legato Iacobi IV. regis Scotiæ,
sorore nepotis, cum Daniæ & Norvegiæ senatoribus,
legatis Ioachimi Electoris Brandeburgici generi sui, Duc
Megapolitanorum & Vandalicarum civitatum adest. S
verò ipsi, animis à se invicem dissidentes, abfuerunt. I
ratâ vice vocati, non tamen venere. Idcirco præsentes p
nunciarunt: *Suedos velut judicium contumaciter eludentes,*
primis Svantonem aliosque procerum, qui literis, quibus reg
dem suam obligarant, subscripsissent, tanquam perduelles fo
& bonorum omnium damnari. Hanc sententiam etiam M
milianus Cæsar solenni diplomate confirmare rogatus, e
dem ex imperio anno sequenti proscripsit. Rex Daniæ I
hannes sententiam suam typis publicatam inde exsequi cæ
& bona damnatorum omnia, quæ in Norvegia habeba
fisco addixit. Diploma quoque Cæsaris per Vandalicas c
tates sparsit & interdixit commerciis ac stipendiis regno S
1506. ciæ faciendis, si posthac privilegiis suis in Dania frui vel
Verum Sueci hanc sententiam tanquam vitio latam haud
ceptarunt, *quippe in absentes & non auditos pronunciatam,*
quamvis in jus vocati, quum tamen desideraissent caussæ su
extraneos & ab studiis partium alienos, nacti regi Daniæ com
ctos, eosdemque accusatores & judices, tutius abfuerint, qua
ut præsentes sub illis judicibus haud obnoxiè caderent. Evibra
in illos Imperatoris edicti fulmen nihil quoque ponderis habere, qua
promulgatum ab illo, qui non dextrè de re ipsa informatus esse
nec adversam partem audivisset: &, quod caput esset, qui n
juris aut imperii in Suedos haberet. Se verò ut perduellionis
majestatis reos falsò postulari ac traduci: quum in fine trium
norum fœderis conceptis verbis proceribus regni, si rex pa
non steterit, ipsi salva omnium existimatione & vita, adv
1507. *sari, & à fide ejus recedere permittatur.* At Lubecenses irrita
à se Megapolitanis[a], ubi se duplici bello non sufficere vide
pacem ineunt cum rege Daniæ his legibus: *Vt naves cum mer*
bus ademtis rex illis restituat. Privilegia in regno Daniæ confirmet
instauret. Vt Suediæ nihil ad continuandum bellum submittam.
Suedicas naves merceque in suos portus non admittant, aut adm
manus iniiciant. Quum supra has conditiones polliciti essent
effecturos, ut huic paci quoque subscriberent eorum con
dera

derati Gedanenſes, Revalienſes & Rigenſes, tamen operam luſere: quum illi recuſarent id approbare, quod Lubecenſes ſeorſim reliquis inconſultis in rem ſuam pacti eſſent. Rex Iohannes hæc pacis cum Lubecenſibus factæ capita ad ſenatum regni Suediæ mittit: ut eos ſpe ſubſidiorum Lubecenſium dejectos, ad ſuæ ſecuritati conſulendum, ad officium & obedientiam revocaret, promiſſâ illis admiſſorum veniâ & promtâ regii favoris copiâ. Res à ſenatu in conſultationem deducitur, & quum pleriq; præſules atque aliquot proceres, qui in partibus Danicis erant, tam benevolam regis erga ſe propenſionem & periculum adverſæ parti totique patriæ jam Lubecenſium ope deſtitutis impendens, haud negligenda exiſtimarent, viſum eſt mittere legatos in Daniam qui authoritate publica honeſtam redintegrandæ amicitiæ rationem quærerent. Interim Lubecenſes, compendii & emolumenti ſui cauſſa, quod emporiis pro publicæ felicitatis ſcopo ferme eſſe ſolet, contra pacta Iohanni data, Suedorum naves in ſuos portus clam non ſolum recipiunt, ſed etiam ſubſidio, commeatu & apparatu bellico eos adiutant. Ita reparatis viribus Svanto in Blekingiam irruptionem facit, arcem Lyckam expugnat diripitque; & cum præda in Suediam remeat. Hîc in promtu ultionis argumentum regi Daniæ, cujus auſpiciis in Finlandiam Severinus Norbyus irruit, Caſtelholmum expugnat & incendit. Stenonem Turonis cum uxore ſua captum in Daniam non abſque alia divite præda rapit. Cumulatis hoc modo belli malis, placuit illis levandis inducias pacifci, & ex priori decreto cum Iohanne per ſuos legatos pacis negocium agere. Sed quum illi dicto die non adeſſent, rex ſibi ab illis imponi credens, in VVeſtrogothiam excurrit atque Nyloſiam devaſtat. Nec minus in Scania & Blekingia Svanto graſſatur: urbem Huenam & adiacentia nobilium prædia exſpoliat. Sic enim provocatorum armorum fata ſe habent, ut damna damnis, & ſæpe abſque modo ac menſura, ni major vis ſiſtat, rependantur. Anno ſeqventi tandem Haſniam legati Suetici advenere, de pace acturi. 1508.

His benigne à rege exceptis, poſt varias conſultationes ſtetit ſententia, *de rege recipiendo aut filio ejus Christierno, quem Holmiæ ante aliquot annos jam regem designassent. Aut si neutrum horum placeret, tredecim millia ſe-*

librarum argenti quotannis regi penderent, donec lis de jure regni finiretur: salva interim administratione regni gubernatori & senatui & Calmaria atque Oelandia regiæ potestati relictis. Vt immunes in mari & regni Daniæ portibus navigarent, Lubecensium tamen commerciis abstinerent. Vbi verò legati domum redierunt, novis dissensionibus expressæ in pactis pecuniæ solutio interturbata est: quod extra mandati leges eam summam legati simpliciter approbassent. Quam tamen jussi essent ea conditione promittere, si rex solutione ejus præstita, statim Calmariam, Oelandiam & Borcholmium Suedis restitueret. Itaque hæc pax non diu perstitit. Ecquid mirum, si malè facta gratia facile rescinderetur? Quum ergo bellum recrudesceret,

1509. & quidem gravius quam ante, Lubeca & reliquæ Vandalicæ civitates fœdus cum Suedis occultè renovarunt. Quod his ego gratius fuit, quo magis mari à Iohanne rege quam terra petebantur. Lubecenses verò expostulant, *contra pacta conventa ipsorum naves & merces à Danis interceptas esse. Sibi proinde vetitio verti non posse, si illorum exemplo præmoniti pacta quoque non servent.* Quum igitur octo naves Revaliam ad exportandum inde Suecicas merces emisissent, rex Iohannes classem viginti quatuor navium armat: quam in ipsius Lubecæ conspectu ad Dravi ostium excubare jubet, ad prohibendum Lubecenses libero maris usu. Hîc non parum indignati Lubecenses, hoc suis commerciis & navigationi frenum in ipsis urbis oculis imponi, injuriæ ulciscendæ omnes Danos tunc Lubecæ deprehensos unà cum mercibus attinent. Pari affectu Dani Lubecenses in suo regno tractant, suosque commercio cum Lubecensibus sub pœna capitis interdicunt. Ex navibus eorum Revaliâ domum redeuntibus & in Danicas inopinatò incidentibus, unam, quæ erat prætoria, capiunt. Cujus depræda-tioni dum avidius incumbunt, reliquæ septem incolumes dilabuntur. Ne quid hostile intactum rex relinqueret, aperit insuper mare piratis, concessa facultate prædationis in Lubecenses & eorum fœderatos. Ad hanc aliena rapiendi licentiam prædones tanta multitudine confluunt, ut iter non solum Lubecensibus aliisque Vandalicis civitatibus, sed & Suecis intercluderent aut infestum facerent. Præter istam maris pestem, rex etiam classem in Finnoniam expedit, quæ urbi Aboensi & vicinis oris vastitatem inferret. Contra Lubecenses cum

ſociis civitatibus, excepta Hamburga (quæ, dum alii ſunt in motu, interim quieſcens, octennis pacis beneficio auream meſſem ex commerciis domum reportat) octodecim naves, ſale, panno & inſtrumentis bellicis onuſtas in Suediam emittunt, quæ in tranſitu Langelandiam, Möniam, Bornholmium & Gothlandiam populantur. Hæ Suedos in magna tunc difficultate verſantes ita refecerunt, ut fœdere cum Lubecenſibus iterato, omnia Hafniæ pacta, tanquam invitis gubernatore & ſenatu ab epiſcopis & proceribus nonnullis Daniæ regno faventibus facta, Iohanni reſignarent. Inde terra non minus quā mari hoſtem aggreſſuri, Achatium Iohannis virum acrem & ſtrenuum in Hallandiam cum ſeptingentis equitibus mittunt. Sed ille fraude ſpeculatoris Tordonis ſibi jam pridem ex proditione rerum Scaniæ cogniti, eoque majorem fidem mereri viſi deceptus, & animoſius quam cautius in hoſtem loco & viribus ſuperiorem invectus; à Laurentio Forſtio, vel ut quidam vocant, Froſtio, agmen Danicum ſub Tychone Krabbio ducente cæſus occubuit. Quidam volunt proprium ejus miniſtrum fuiſſe, qui primum ei ictum inflixerit. Duce cæſo cæteri perculſi diſſipantur, ſignis aliquot amiſſis & ad regem delatis. Hanc fortis viri jacturam poſtea ſublevavit pax Ruſ- 1510.
ſorum: qui commodùm inter tam graves belli tempeſtates per ſuos legatos ſexaginta annorum inducias cum regno Suediæ pacti ſunt. Ita minus hoſtium, plus virium ſuperfuit. Lubecenſes aucto claſſis numero, viginti ſex naves armant, quibus ſe jungentes novem benè inſtructæ Suedorum, Lalandiam aliaſque vicinas inſulas diripiunt. Inde in ſinum Calmarienſem ſe recipientes, jam aliquot annos obſidentibus urbem ſuccurrunt, arcemque regni clavem, quam tredecim annos jam tenuerat rex Daniæ, felici fato recuperant. Borcholmium Oelandiæ arcem poſt quinque menſium obſidionem fame expugnant. Quum hoc bellum inter Suedos, Danos, Lubecenſes & reliquas civitates Vandalicas in octo jam annos protractum eſſet, tandem Lubecenſes eorumque ſocii feſſi bello, & commeatus atque commerciorum anguſtia ob mare undique navibus hoſtilibus obſeptum, pacem cum rege Daniæ, præteritis Suedis, ineunt. Quamvis etiam pacis pactio in- 1511.
ter Suediæ & Daniæ regna tentaretur, tamen ille conatus utrumque fruſtra habuit: dum Iohannes non aliis quam di-

ctis ab ipso legibus pacem volebat. Suedi verò eo minus fidei ipsi tribuendum credebant, quo minus priora pacta servas-
1512. set. Proximo qui sequebatur anno Suanto diem suum Arhusiæ obiit; ibiqui funus ei quanto poterant honore fecerunt: quum octo annos regnum fideliter administrasset, non solum bellica laude, sed & pietatis studio, quod pacem & arma secunda facit, aliisque animi bonis Principe dignis clarissimus & cum paucis comparandus. Aula ejus magis ad decoram gravitatem, quam nimium splendorem & inania rerum composita erat. Ingenio quidem humanus erat, sed quoties irritabatur, aut segnes dictis increpabat, tonare non loqui visus est; quandoque nec manui temperabat. Mox ubi iracundiæ calor tepuerat, animum ad mitiora more generosarum mentium vertit, offensionem etiam muneribus expiando. Vt tanti esset ab eo objurgari ministros: qui, post motum animo discussum, in se serenum & beneficum dominum experiebantur. Inprimis ingenuæ istius virtutis veritatis amans erat; citra fucum quod sentiret, effatus. Mendacium & calumniam magis quam hostes suos odio habebat. Nec immeritò: quum hæc vitia per occultas & insidiosas molitiones nocentius, quam vis aperta, grassentur. Si quis absentem ad se deferret, non protinus ei fidem habebat, sed delatum coram sisti jubebat: ut calumniator, quæ à tergo in illum quocunque sensu vel affectu dixisset, in os præsenti probaret, aut ipse manifestus teneretur. Qua re promtus innocentiæ patronus, & maledici oris justus ultor, efficiebat, ut calumniæ monstrum hujus debellatoris metu minus auderet. Quis enim eò dementiæ temerè procedat, ut de eo alterum deferat, cujus si fidem facere non possit, ipse reus habeatur? ita & princeps & subditi tranquillius agebant. Suanto verò suum nomen ad posteritatem insigne vel hoc solo feciſſet, nisi majora ejus in patriam merita exstarent.

STENO STVRIVS JUNIOR

1512. Suantonis filius, post graves procerum disceptationes à majori senatus parte regni gubernator eligitur. Quidam volebant

lebant Iohannem regem Daniæ, cui sacramento dixerant, vel eo vivis excedente, Christiernum ejus filium. Alii in Ericum Trollium propensi erant, non tam quod genere, quam quod morum gravitate, doctrina & rerum usu præstaret. Sed illi exsangvis senectus laboribus imperii militiæque non satis idonea; magis tamen Danicarum partium studium apud populum impedimento erat: qui Stenonem à factionibus Danicis alienum, patriæ amantem, apud plerosque ob paterna merita gratiosum, & in quo major ætatis animique vigor esset, antehabuit. Non diu post Stenonis electionem Iohannes rex Daniæ Oleburgi in Cimbriæ oppido decessit. 1513.
Princeps regiarum virtutum laude conspicuus; nec minus Suedis quam Danis acceptus fuisset, si regni legum in indigenis potius quam exteris ornandis & præfectis dominationis impotentibus coercendis observantior fuisset. A Pontifice Romano Leone decimo legatus Iohannes Angelus Arcemboldus in has oras Boreales venit, indulgentiarum cauponariam exercens: quæ tam locuples & felix isti Pontifici fuit, ut ultra decies centena millia aureorum ex regnis aquilonaribus Romam corraderet; quæ Christiernus II. per oratores suos frustra repetiit. Cum Arcemboldo autem Christiernus secundus rex Daniæ, postquam isthac transiisset, egerat, ut inter se & Stenonem de regni jure litem dirimeret. Eidem in occulto & sub fide silentii, amicorum & factiosorum quos in Suedia habebat, operam fidemque prædicavit. Legatus pontificius ut in Suediam accessit, fidem Christierno datam fallens, silentium non præstitit, sed factiosorum nomina & consilia Stenoni edidit; occultare commissa nescius, an corruptus ingenti ejus largitione. Quippe præter pretiosarum pellium aliaque munera, laminam puri argenti mensæ rotundæ magnitudinem æquantis ipsi Steno dono dedit. Etenim auri argentique studium sæpe homines falsos fieri cogit, etiam sanctitatis opinione conspicuos. Ceterum consiliis Gustavi Trollii, & factionis sociorum in Christiernum pronorum detectis, hæc gravis intra patriam tumultus & intestinorum dissidiorum prima occasio fuit. Cujus mali principium erat: quod Steno junior Erico Trollio magnæ existimationis seni prælatus esset. Hanc patris repulsam indigne accipere Gustavum filium, haud obscure præ se ferebat: 1515. 1516.

bat: dum Româ redux, à pontifice præsulis dignitate decoratus, Stenonis ipsi in promontoriis Stocholmensibus honoris caussa occursantis congressum subterfugit, & ad Biscopstunam navi exscendens, terrestri itinere Vpsaliam contendit. Præterquam quod ante annum jam Lubecæ cum Christierni Daniæ regis amicis, & postea per literas & clandestina cũ nobilibus Danis in arce Stekiana consilia, de tradendo ipsi regno agitarat. Steno ad comitia Telgensia antistitem Gustavum ejutque socios vocat, ut sibi tanquam gubernatori regni fidem jurent. Sed illi vocationi non parent. Steno solutis comitiis, ut regni statum, quo ad posset, in tuto collocaret, arce Nicopensi occulto ingressu occupata, præfectum ejus Stenonem Christierni conjurationis suspectum apprehendit, & Stocholmiæ in custodiam tradit. Ille ingenuè profitetur, antistitem cum suis meditari & conferre consilia, de evocando in regnum Christierno. Steno dubius quoque fidei Petri Turonis, qui custodiam arcis Holmiæ tenebat, eam ab ipso ad Iohannem Arnoldi transfert. In nundinis autem Arhosiensibus plebi exponit machinationes præsulis: quomodo se ipsi opponeret, atque invitis regni ordinibus Christiernum pellicere in regnum niteretur. Præsul quidem scriptis ad populum literis se purgabat, arbitros inter se & Stenonem capiens episcopos & senatum Holmensem. Sed hoc dicis tantum caussa faciebat, moras ex composito ducens, donec Christiernus in Suediam adveniret. Qui quamvis absens, tamen animo pravo præsens, odiis & factionibus distrahebat cives: ut facilius sibi subjiceret, quos discordia civilis à se invicem alienos feciset. In hanc rem familiâ, opibus & ingenio eminentium in hoc regno utebatur, & præcipui instrumenti Gustavi Trollii: qui terrenas curas secta & ore, nondum animo abdicarat, publici status turbator. Episcopi & nonnulli procerum conati sunt publicæ tranquillitatis caussa præsulem cum Stenone in concordiam redigere: sed incassum laborarunt, quum præsul ad omnia immotus, à proposito abire nollet: qua animi obstinatione sibi & reipubl. malum peperit. Steno vires sumere videns conjurationem, ut profectibus ejus pro viribus obstaret, Ericum Trollium Gustavi patrem ejusque socios capi & custodiæ tradi jubet. Gustavum in arce sua Stekensi obsidione cingit. Interim Christiernus, his cognitis, Stenonis navem,

centum

centum & viginti amphorarum capacem sale, panno & armis onustam in portu Lubecensi intercipi & Hafniam adduci jussit. His violentis & hostilibus actionibus inducia inter Suedos & Danos ruptæ, bellumque redintegratum est. Durante arcis Stekianæ obsidione, Steno non semel ad præsulem misit de pace vel reconciliatione. Sed præsul eam recusavit, opperiens auxilia Danica, à se & Danicarum partium sociis evocata; quæ etiam sub Augustum, cum quatuor millibus armatorum classe 1517.
ducibus Ioachimo Trollio, Severino Norbyo & Carolo Canuti advenerunt. Quum ad prædium regium VVedelæ prope Holmiam exscensionem facerent, animo subveniendi obsesso antistiti, Steno se illis cum copiis suis objectavit, & hostem cæsum in Daniam repulit. Præsul, ut ex captivis quid rei gestū esset accepit, animo cadit, & diffisus rebus suis, de arce dedenda, cum pactione salutis suæ, ad Stenonem mittit. Antequam verò in colloquium cum ipso descenderet, obsidem in fidei pignus Gustavum Erici desiderat; quem etiam accepit. Sed suis in arce dederat in mandatis, ut, si non tutus ipsi daretur reditus in arcē, Gustavum extra muros suspenderent. Admissus ad colloquium, *quascunque leges sibi victor dicat se accepturum*, ait, *& ad ecclesiam suam reversurum*. Proceres *ipsum verò hæc consilia capere* respondent, *tot insontium sanguine ejus culpa profuso; nec tanti cruoris reum præsulis munere dignum esse*. Is verò, *quod utroque gladio sit armatus sacro & civili, se reum sanguinis haberi posse negat, etsi plures in bello occumbant*; quasi professio ejus à percussione & sanguinis effusione non esset aliena. Steno quidem obsidionem solvit, sed negotium præsulis procerum cognitioni judicioque committit: ne videretur ipse sibi contra adversarium pariter & cognatum velle jus dicere. Fide pub. ad dicendam caussam à proceribus vocatus præsul adest, auditur; & post maturam rei discussionem damnatur quidem ex lege patria perduellionis, ut qui secundū juris rigorem reus capitis & fortunarū sit: dum remp. turbarit, & hostilia in patriā arma irritaverit & attraxerit. Æquitate tamen temperatur sententia, ut incolumi vita bonisq; sacra dignitate moveatur, & in paternis possessionibus privatus agat. Arx vero Stekiana, unde toties regno noxa illata sit, ad solū usq; diruatur, nec unquam reficiatur. Si Pontifex quidquam contra moliri velit, se id junctis animis & viribus prohibituros. Hoc edictum in tabulas relatum,

relatum, à pleriſque proceribus ſubſcriptum & exſequutioni demandatum eſt. Ejus rei fama quum ad Chriſtiernum perveniſſet, conſilium dedit Guſtavo, ut tam inſignis injuriæ, uti haberi volebat, querelam ad Pontificis tribunal deferret, & juſtæ ultioni permitteret. Pontifex *de reſtituendo in integrum præſule, & reſarciendo omni damno ipſi illato; de Suedis tanquam ſacræ ſedi, ſummo regni præſuli ac eccleſiæ rebellibus igne & ferro perſequendis* ſententiam tulit, ejuſque exſequutionem regi Chriſtierno commiſit. Rex per ſe ad eos exſcindendum paratiſſimus, quippe qui ſe imperio per Stenonis electionem & gubernationem indignè excluſum arbitrabatur; accepta hac facultate, magis inflammatur, & cum novis copiis in Suediam movet; caſtrisque in ſuburbio auſtrali collocatis, Holmiam obſidet. Cives intrepidè ſuſtinent obſidionem, & duce Stenone ſæpius excurſione facta, ita carpunt cæduntque hoſtiles copias, occluſo etiam commeatu, ut rex urbis oppugnationem jam per aliquot menſes tractam intermittere & exercitum in naves revocare cogeretur, in Daniam retro pedem laturus. Quum autem reflante vento progredi non poſſet, & jam per trimeſtre in portu hæſiſſet, magnâ commeatus penuriâ laborare cæpit. Inde rerum ferme deſperatione ad artes ſuas redit, & inducias à Stenone petit. Steno, ut excelſi animi princeps, non ſolum armis ſed & beneficiis hoſtem, ſi ex fide ageret, ſuperare promtus erat. Quippe armis poſitis, tantum abeſt ut hoſtiliter eum habeat, ut etiam ingentem vim annonæ ei dono mittat. Rex tam inuſitata munificentia concitatus magis quam delinitus, ſive tam prolixum inimici officium ſuſpectum habens, ſive ſua ipſum facilitate capere quærens, ad amicum de pace colloquium evocat, miſſis, ut ſecuriorem faceret, obſidibus. Steno, non tam accuratus vel explorator, vel providus contemplator ingenii hoſtilis, quam ingenuus publicator ſui, ad eum, id eſt, perniciem ſuam incautus ire deſtinaverat; niſi quidam procerum interceſſiſſent. Hoc fraudis laqueo Chriſtiernus dejectus, aliam meditatur. Vt de ſuo animo quaſi pacis adeò cupiente confirmaret cives, ſe datis obſidibus in urbem colloquii cauſſa venturum adſeverat. Illi quamvis de fide regis dubitarent; ne tamen patriæ in pacis negotio defuiſſe viderentur, ſex ipſi obſides ex prima nobilitate lectos, quos

ipſe

ipse desiderarat, sub regia fide mittunt, Gustavum Erici (postea Dei providentia regem factum) Laurentium Siggonis regni postea Marescallum, Georgium Siggonis, ejus fratrem, Olaum Ryningium, Benedictum Nicolai & Hemmingum Gaddum. Hi, ut in quibusdam est Annalibus, uti jussi erant à Stenone, non ultra portum, quem vocant regium, proferre pedem voluere. Sed Tycho Crabbius classis Danicæ præfectus primò amicè monuit, spem illis de fide publica confirmans, dein reluctantes compulit, quippe armata vi in propinquo, regem ad Elsnabbum, vt vocant, comitari. Huc postquam advenere, de eis in Daniam abducendis agitatum est; modò isti dolo species quædam juris quæreretur. Tandem placuit obtentui esse, *Stenonis ad regis colloquium evocati detrectationem: Gaddi in regimen Holmiæ obsessam aflutas molitiones: Sueonum in Danos quosdam in insulâ suburbana detentos & fame enectos sævitiam.* quasi tot obsidum innocentia alienam culpam, si qua esset, expiare; aut Stenonis absentia, Gaddi & reliquorum Sueonum sive artes sive vis belli ipsis fraudi esse deberent. Certè obsides in causam securitatis traditos, cum quibus non solum fidem, sed & affectus suos ac necessitudines boni patriæ cives regi pignerarant, ille secundante vento, datis in altum velis, perfidè secum quasi captivos in Daniam abripuit. Proxima æstate iterum copias suas adducit, Lubecensibus, ut eo anno navigatione in Suediam abstinerent, persuasis. Oelandiam & Calmariam obsidione, sed frustra, premit: fortiter eas tuentibus indigenis, fugantibus Danos, capto etiam Achatio Bragdio. Classis Danica ad Revaliam cum Suedis æquâ fere fortunâ dimicat; nisi quod nostrates duas Danorum naves in suam potestatem redegerunt. Anno sequente Christiernus cum longè majoribus copiis, quam ante, terrestri itinere revertitur, animo rebellium perfidiam ulciscendi, ut jactabat, & Pontificis edictum exsequendi. has enim velut speciosas belli causas immani suæ sævitiæ obducebat. Steno de adventu ejus certior factus, verituque ne se Gustavus Trollius cum Christierno conjungeret & inimicas patriæ machinationes aggrederetur, misit ad eum Strengnesiæ præsulem & Magnum Greenium de pace & amicitiæ redintegratione. Quam etiam ad tempus simulavit, actiones

1519.

1520.

suas

suas ad habitum fortunæ moderaturus. Equidem injuriis se reipub. tranquillitati remissurum, nec regni commodis defuturum, amicis adfirmavit. Sed morte Stenonis hæc omnia in irritum ceciderunt. Steno ad oppidum occidentalis Gothiæ Boosundiam cum suo exercitu Christierno obviam procedit. Ad Tivedam hosti denso arborum cæsarum objectu accessum præcludit; mox mittit, qui explorarent, ut in hieme, glaciei, quâ mare concretum erat, fidem, an ferendo sit agmini pugnæque patiens. Quocomperto, decem mille rusticos ad defendendum istic desisarum arborum munimentum & hostes transitu prohibendum mittit. Ipse verò omne agmen equestre in mare congelatum educit, hostem ibi in propatulo & æquo loco excepturus. Vtroque exercitu jam in propinquo stante & acie instructa, Otho Crumpius hostilium copiarum dux in adversum Stenonis equitatum tormenta primus explodit. Steno, dum principem in acie locum masculè tutatur, ex tormenti ictu lethali cruris vulnere occubuit, & milites ejus cæde consternati disiectique sunt. Inde ad Venerum lacum abductus, pro patriæ civiumque libertate invictum spiritum effundens: ê vita migravit. Pro quo cives libenter se morti devovissent, si per fata licuisset. Tam gratus enim illis erat, quam imperio haud gravis. Vir extra omnem invidiæ ictum, si minus apud ipsum calumniæ licuisset, & adversus improborum artes prudentia munitior fuisset. Crumpius Stenonis cladem, occupandi nostrorum munimenti occasionem ratus, ejus expugnationem tentat. Sed præsidio strenuè defendente, cum magna suorum strage repellitur. Nec minus Vallesius Gallici peditatus ductor fortiter impetum in idem propugnaculum denuò faciens, vulnere lethifero accepto recessit. Tandem relictæ hostium aliquot copiæ, quæ velitationibus distinerent Suedos, donec major pars exercitus hostilis clam circumducta in nostrorum terga, nec opinatò impressionem faceret. Ab his cæduntur, antequam conspexissent hostem, qui cedentibus instat: ne Stenonis casu perculsis, recolligendi se spatium esset. Illi tamen quanta possunt celeritate reparant vires. Sed quum duce carerent, instar palantis gregis facile disturbantur. Itaque cum Matthia episcopo Strengnensi rem communicantes decreverunt inducias cum hoste facere, ut

interca

interea de summa rei deliberarent: & undecim dierum induciis ac fidei publicæ literis à Crumpio impetratis, post varias consultationes in eam sententiam proceres iverunt, ut Christiernum certis pactis regem declararent.

CHRISTIERNVS II

Rex Sueciæ his conditionibus recipitur: *Ut religionem contra* 1520.
vim & injuriam quorumcunque adsereret. Præteritæ offensiones perpetua oblivione delerentur. Omnes cujuscunque loci exsules & captivi, gratiâ admissorum facta, postliminio restituerentur. Prisca regni jura, libertas, mores & immunitates regno inviolatæ essent. Singuli præfecturas sibi commissas, possessiones & facultates quietè possiderent. De jure liberæ electionis & suffragiorum rex nihil decerperet aut imminueret. His Otho regis nomine statim subscribit; & cives se ad fidem ac obsequium regis comparant. Eadem ipse Christiernus post paucorum mensium spatium solenniter authoritate sua & subscriptione roborat; incolumitatem vitæ fortunarumque plebi seorsim & plura quoque quam rogatus erat, promittens: ut facilis ad omnia animi spe vel umbra eos inescaret. Quum autem proceres, qui adhuc partium Stenonis viduæque ejus erant & Holmiam tenebant, Upsaliâ, quo reliqui pactis subscribentes convenerant; studio abfuissent: nullâ aliâ causâ; quam ut fidei Christierno à reliquis obligatæ nexu ipsi solutiores essent, Gustavus Trollius jam caput iterum erigens, & Matthias Strengnensis ecclesiæ præsul, suos ad illos amandant, qui colloquium vel Spongæ, ubi tunc morabantur, vel ubicunque placeat, exposcant. Sed emissi à Magno Graenio è subiecta insula, quam Spiritus Sancti nuncupabant, tormentorum fulmine ita excipiuntur, ut subito regressu vitæ suæ consulere, nulloque cum responso ad suos redire cogerentur. Vbi verò Crumpius accepisset, Stocholmenses auxilia ab maritimis & Vandalicis civitatibus præstolari, & Stephanum Saxonem cum sua classe ad Elsnabbium jam præsto esse, cum agmine suo ad eam vel intercipiendam vel accessu urbis prohibendam contendit. At quum à præfecto classis in altum provecta, tenuique glacie vallata, propius ab hoste contingi non posset, ille hoc ausu frustratus, Upsaliam

repetit. Postquam auctis Danoreum copiis, exercitus uno in loco difficulter, ob commeatus penuriam diu haberi, nec Holmia hieme impendente obsideri posset, visum est in hiberna distribuere milites. Ita mille pedites in præsidiū Arhosiæ locati, aliquot copiæ equestres Strengnesiam missæ sunt quæ Matthiam loci episcopum adversus incursiones hostiles tutarentur; reliquis Vpsaliæ relictis. Interim Ericus Petri, Olaus Valramns, Matthias Laurentii aliique, qui fidem suam Christierno nondum obstrinxerant, coactis colonorum agminibus Danorum præsidia crebris velitationibus impetunt. Maximè eos qui Arhosiæ impositi erant, Ericus Petri insidiis circumvenire nisus est. Sed illi dolo cognito, in tempore se periculo subducere, & Vpsaliam properare. Nihilo tamen felliciores in colle Balingzåås dicto, loco insidiis peropportuno, â rusticis in angustias compulsi sunt. Isthic facto prælio vehementer utrinque, quamvis non dispari militū fortuna, decertatum est. Mox totis viribus in hostes in castris ad Vpsaliam desidentes duce Lamberto Matthiæ moverunt, certi libertatē vel ipsa morte vindicare. Primo impetu castris exegerunt hostem & terga dare compulerunt. Et jam ipsum cœlum in partes pugnæ venerat ac pro nostris stabat: dum mixtus imbri ventus ita hostium ora diverberabat, ut, si adversi irent, aut vortice intenti affligerentur, aut contra enisi vix reciprocare animam possent. Sed nostrates obversis tergis & ad pugnam integri eundem innoxiè transmittebant. Præter hoc densa nix liquefacta impeditum equis reddebat incessum: quippe suppacta nive ungulis & in globulos densatâ, equi lubrico nisu moventes pedem, mox ipsos quoque sessores excutiebant. Præterquam quod tormenta ægrè traducta, cedente istorum moli nive, velut demersa & subinde obluctantia, inutilem sui usum facerent. Itaque tam adversa hostibus & amica sibi tempestate usi Sueones, lævum hostium cornu sic premere, ut jam in fugam inclinaret. Atque in proclivi fuisset, universum profligare agmen, si ut manu, loco & vento potiores, ita perito duce, hosti pares fuissent. Sed quid multitudo & cetera belli adjumenta absque prudenti ductore fere sunt aliud, quam ingentes & non malè constructæ machinæ sine perito motore ac directore, aut vastum corpus absque rectore animo? Tandem immissus ex occasione in

Suedes

Suedos equitatus Danicus aciem perrumpit & turbat, parte eorum fugatâ, parte trucidatâ. Quidam in horreum ad siccandos lateres exstructum confugientes, in hostem tamdiu depugnarunt, donec facibus horreo injectis cremarentur. Non tamen inulti mortem oppetierunt. nam præter copias hostiles cæsas duo tribuni militum Simon ac Sivardus Malii fratres ab illis obtruncati, superbiæ spretique hostis pœnas dederunt; dum contumeliosis eum dictis incessentes jactabant: *se cum incondito rusticorum agmine conflicturos, etiamsi magno numero cælo depluant.* Gustavus præsul odio in cives ultra mortem contra legem humanitatis producto, occisis sepulturam invidisse fertur. Matthias autem Strengnensis antistes cum Danis equitibus diœcesin suam circumequitans, cives partim hujus cladis fama, partim authoritate sua ad regis fidem, factâ præteritorum veniâ, reduxit. Nec quisquam hoc majore industria peregisse traditur. Pro quo tamen rex malam ei gratiam rependit, ut postea dicetur. Sed apud tyrannos beneficia non diutius in pretio, quam usu sunt. Omnia sibi, nihil aliis deberi volunt. Præcipiti Majo rex cum ingentibus copiis huc reversus, in Vplandiam Holmiam versus iter habet. Vbi propius ventum, Crumpius suas ipsi adjungit copias, illisque Holmiam circumdat. Sed cum eis qui antea fidem suam ei devoverant, pacem integrat: *Vt memoria offensarum perpetuo silentio gratiâque sempiternâ aboleretur. quæ duces regii polliciti essent, ea, ceu rex ipse sanxisset, rata & firma essent.* Vt scrupulum animis hæsitantibus prorsus exemisse videretur, eadem juramenti religione & syngrapha firmat. Rusticorum fidem specie comitatis & muneribus pigneratum ibat, binos quosque singulis orcis salis donabat: læto quidem in præsens plebi delinimento, sed parum providæ, istæc munera insidias esse, se tantilla mercede libertatem suam vendere, cunctosque in suum exitium, ut pisces objectâ escâ in hamum, prolectari. Emisit etiam per regnum nobiles sibi obnoxios, qui reliquorum civium & colonorum animos ad obsequium in regem tam benignum scilicet pararent. Sed hoc consilium magis ad tumultum, quam obsequendi voluntatem profecit: dum animi jam ante odio adversus eum imbuti, vel minis vel instigatione quorundam procerum regis molitiones altius penetrantium, fidem suam hac arte labe-

factari non patiebantur. Inde factum est, ut iidem non solum Danos, sed etiam Suedos regi Christierno addictos, velut publicos hostes infestis animis impeterent. Etenim direpto præ-dio vel arce Arnöensi præsulem Vpsal. Iacobum, qui tamen jampridem officio discesserat, ceperunt; Lincopensem in sua arce obsidione urserunt. Ericum Abrahami in Nericia infestarunt, omnes tanquam suspectos partium Christierni. Sed & oppidum Strengnense auxilio missis â Iohanne Magni Arhosiæ præfecto copiis expugnarunt. Hos cum ægrè compescuisset, & jam in autumnum declivi anno Holmia nondum occupata esset; nec minus pecunia in stipendium militis deficeret, anxius animi misit sui studiosos proceres in urbem, qui de ejus fide & clementia dubios confirmarent. Conditiones, quas cives & Christina Stenonis vidua, arcem adhuc tenentes, de sua libertate & integro jure ei ferant, accipere promtus, non solum nudâ adseveratione ratas esse jussit, sed & diplomate ac sacramentis religiosè sanxit; & plura his ac majora addidit, quibus illorum animos de sua fide & favore prorsus certos faceret. Verum ille libertatis & salutis regni splendida nomina obtendit: dum subditis servitium, & sibi dominationem quærit. Hinc in urbem admittitur, & pacem omnibus publicè denunciat, animum celans, donec se, exercitum & arcem communiisset; prius securitati, quam vindictæ consulturus. Omnibus pro arbitrio confectis in Daniam abit, dicto comitiis Holmiæ & inaugurationis suæ die Kalend. Novemb. quibus iterum adest. Vbi comperit, omnes regni senatores convenisse, montem Brunconis urbi proximum cum suis conscendit, militibus ad radicem montis circumstare jussis: ut proceres populusque ab armatis septi, & velut indagine cincti nihil moverent. Ipse eminentiori loco sedens, per Iohannem Billenachium episcopum Fynensem populum alloquitur in hanc sententiam: *Regnum Sueciæ optimo jure ad se pertinere, jam vivo patre Iohanne ex designatione & consensu procerum sibi delatum: cujus rei fidem faciant senatus literæ. Præterquam quod idem hæriditatis beneficio capiat secundum leges regni, quæ regium filium, si par imperio sit, proximum regni successorem destinant. Se itaque non per vim aut malas artes occupare imperium. Sed illos contra leges & fidem ipsi literis obstrictam feciſſe, quod Stenone electo ipsum â reg-*

to tanto temporis intervallo excluſum iverint. Sed quum pace inita præteritorum venia facta ſit, nunc ſolum quærere, num Chriſtiernum pro legitimo ſuo rege acceptare velint. Quum omnes annuiſſent, eos ſub dio protenſis digitis ſibi fidei & obſequii ſacramentum dicere juſſit. Ipſe proximo die Dominico in æde Stocholmenſi, præmiſſa juramenti in leges regni etiam cænæ Dominicæ uſu ſanciti formula, ab antiſtite Guſtavo & reliquis regni proceribus rex ſolenniter inauguratur. In coronatione equeſtri dignitate donat aliquot nobiles Danos, præteritis Suecis : *quibus cum ante armis experiri neceſſe habuiſſet, quam reciperetur in regnum, non mirari oportere* dixit, *ſi ipſos non prius honoribus ornet, quam fidem illorum ſatis probarit.* Vbi regni poſſeſſionem ingreſſus erat, & ſatis ſibi poteſtatem ſuam fundaſſe viſus ; exſequi in eos ſententiam ſtatuit, quos ex eminentioribus & conſpicuis Sueonum ſibi antea vel infeſtos vel virtutis ſuſpectos ad cædem deſignarat. Sed prius cum amicis maximè ſibi fidis conſultat: *quâ ratione ſupplicium de iis ſumi poſſet, quaſi ſe inſcio & invito ; ut ſic facti invidiam molliret ; vel obtentu quodam juris, ut excuſandi colorem haberet.* Hîc ejus amici magis regem, quam Deum timentes, non quod pietati, regis exiſtimationi & publicæ ſaluti conduceret, ſed quod regio animo ad vindictam prono & privatæ cupiditati placeret, in medium conſulunt. Quidam authores erant *ſeditionis à militibus inter cives excitandæ : ut in tumultu licentiam alienæ involandi cædendique deſtinatos haberent.* Sed hoc diſplicuit conſilium : *quod per ſeditionem etiam civibus integrum foret arma capere ; quibus & ſuis & ſibi anceps diſcrimen faceret.* Aliis placuit, *in intimis regiæ locis pulverem tormentarium ſpargere, ſub ſpecie factarum regi à perfidis inſidiarum : ut ita præceptum à conſciis ſcelus regi proclivius eſſet vindicare.* Sed hic dolus, ut nimis apertus & compoſitus, minus arridebat. Tandem melior, ut videbatur, ſententia accepta eſt, *magnifico excipere epulo primates regni, ut ſpecie benevolentiæ & hoſpitalis fidei inſidiis opportuniores eſſent. Ne autem inſidiæ viderentur, finito epulo Guſtavum antiſtitem tanquam in ſe injurios, in regem perfidos accuſaturum, & Pontificii mandati ſententiam in reos pronuntiaturum ;* quo tamen mandati ſceleris culpam magis prodidit, quam preſſit,

& hospitalitatis tesseram pessimè fregit. Convivium magnificè apparatur, & ultra biduum extrahitur, nulla non humanitatis & alacritatis imagine. Sed infelices nesciebant hospites, sibi nimio constituras has epulas: ipsos instar pecudum ad lanienam ducendos. Per biduum corpori bene esse, ut tertio die capite solverent epularum & deliciarum impensas. Eodem enim die Gustavus antistes jussus est criminationem adversus eos instituere, quanquam invitus, sive quod poenitebat facti, sive quantum mali in bonos cives Christiernus cuderet, animo præsentiebat. Vnde, ut consuleret eorum vitæ, miti ratione sibi agendum arbitratus, tantum pro dejectione sui à sacra dignitate, & pro diruta arce Stekiana, injuriarum, damni & impensarum restitutionem petit. At rex impatienter tulit, quod tam tepidè nec districtius eos postularet. In primis Pontificii edicti in turbatæ religionis & ecclesiasticæ libertatis violatores exsequutionem urgeri volebat; suam de negato ante vel dilato sibi imperio causam studio celans: uti sanguis mox effundendus minus invidiæ haberet videretur. Vt verò speciosior esset tyranni sævitia, in publico Pontificis diploma recitari jubet. Et quia accusatio Gustavi etiam Christinam Stenonis viduam Nicolai Gyllenstiernii filiam tangebat, eam advocat & ex præsente percunctatur *causas odii Stenonis in præsulem, & excisæ arcis Stekæ, & cur præsul ab ipso emotus esset sacro & honorato munere.* Ad istæc primum consternatus matronæ animus includit verba, sed mox ab adstantibus confirmata recipit animum & vocem: *nihilque maritum in præsulem nisi ex sententia senatus statuisse*, ait, *cujus rei literæ testes essent.* Rex ad mentionem literarum eas statim expromi jussit. Quas cum cura lectas adservat, & omnes, quotquot subsignarant, in indiculum relatos, capitis ex edicto pontificio damnat. Dicta supplicio die omnia ad terrorem & sævitiam comparata erant. Vrbis portæ clausæ, stationes militum & excubiæ per urbis regiones dispositæ cives undique cingebant: ne quisquam elaberetur; simul ut tumultum populi præsenti metu cohiberent. Tubicines à primo diluculo jussi edere horrificum clangorem per urbem, & ad signum tubarum denunciare civibus, ne quis domo sua efferret pedem. Quibus facile divinare erat, quale cuique suus & domesticus carcer imperatus omen esset. Tormenta

bellica

bellica ordine locata erant per omnem viam, quæ ab arce excurrit ad forum, velut excidium minitantia tectis, parietibus, ædibus, totique, si se contra moveret, civitati. Quum pro se quisque exspectatione metuque attoniti hærerent, repente arcis porta aperitur, & circa meridiem per speculatores episcopi, proceres, nobiles aliique viri conspicui producuntur in forum, quod vocant majus. Antequam adirent supplicium, ut excusatius in speciem videretur, Nicolaus Lyckius jussu regis ex curia alloquitur plebem in foro spectandi causa adstantem monens, *ne quid adeò miraretur istorum quæ agi conspicerent. Regem Christiernum ex gravibus causis & ineluctabili necessitate hosce perfidos capitis supplicio subjecisse: qui in ecclesiam, & pontificem Romanum tam enorme delictum admisissent.* Quidam ferunt, eum addidisse: *Christiernum ter à Gustavo præsule rogatum, ut hanc pœnam irrogaret reis.* Sed Vincentium episcopum Scarensem ei in os constanter oblocutum: *purum putum hoc esse mendacium. Eam esse ipsius Christierni perfidiam & immanitatem, quam Deus inultam non sit relicturus.* Idem submurmurarunt quidam civium, plures tacitis animis ac suspiriis voverunt: ne palam audita liberior vox, ultima illis esset. Quum in aream, supplicii locum deducti essent episcopi, petunt sibi copiam fieri sacerdotis, cui delicta sua confitentes, rite se expient. Sed hoc ipsis denegatum est. Primò Matthiæ episcopo Strengnensi caput amputatur. Hoc ille præmium ferebat, ut primi inter reos ordinis honorem haberet: qui tam enixè pro rege & in regnum allegendo laborarat. Sed alia beneficii gratia tyranno aliena erat. Nisi hoc clementiæ deberi voluerit: quod caput præcisum ei soli inter crura locaretur, palo non infigendum. Hunc excipiebat Vincentius episcopus Scarensis. Iohannes Braschius antistes Lincopensis jussus in genua provolvi, & cervicem ictui carnificis submittere, palam se facinore innoxium profitetur & supplicium detrectat. Sed quum incassum excipiens, ad pœnam raperetur, supplex petit sigillum, quod literis conjurationis adfixerat, tolli. Istic exsertam innocentiæ suæ fidem exstare. Hoc ubi ad regem defertur, ille, quod desiderarat, fieri jubet. Ita sub interiore cera abditam deprehendunt schedulam, in qua ille suæ saluti in futurum callidè præcavens, manu suâ scripserat, se invitum & coactum

subscripsisse & subsignasse. Exinde liber â pœna pronunciatus ac dimissus est. Sed proceres, nobiles, cives longo ordine capite plectebantur, Ericus Abrahami, Ericus Iohannis, Gustavi postea regis pater, Ericus Canuti, Ericus Ryningius, Ericus & Eschillus Nicolai, Ioachimus Braheus, Magnus Greenius, Ericus Kusius, Olaus Beronis, Gunnarus Gallus, Benedictus Erici, & alii nobiles non pauci, quicunque pro patria libertate asserenda strenuam operam navarant. Præterea tres consules Holmenses, Iohannes Gudmundi, Andreas Olai, Andreas Henrici, & melior pars senatus, tanquam publicæ offensæ tyranni piacula capitis supplicio tradebantur. Primores civium ex ædibus suis, quidam ex medio opere in forum ad pœnam tracti sunt. Lambertus, dum cuidam detondet capillos, rapitur ad carnificem, cui subjicere cogitur caput detondendum. Detruncati sunt eo die septuaginta, vel, ut alii volunt, quatuor & nonaginta. Nec pauciores postero die, & quidem indictâ causâ ex sola suspicione & calumnia interfecti sunt. Si enim alicuius liberior vox ab emissariis esset excepta, confestim illi stabat exitium. Imò ne quidem palam istis malis publicis ingemiscere licebat, & impune miserorum casus deflere: quum non solum sermonibus, sed & vultui, planctui, gemitibus denotandis adessent exploratores. Laurentius Iohannis inter regios ministros & plebem spectatores adstans, dum tot præstantium virorum neci inlacrymare cernitur, illicò ex medio circulo abripitur ad capitis supplicium. Dignus scilicet videbatur pœna mortis, quod miserari didicisset, nec humanum affectum exuisset: quod suum, non feræ aut domini sui ingenium haberet. Neque hîc remisit tyranni furor. Miles in promiscuum vulgus, quod ad triste spectaculum confluxerat, emissus obvios quosque confodit. Mox publicatâ proscriptorum tabula fit impetus in eorum domos; fœminæ & virgines rapiuntur & per vim stuprantur; fortunæ & opes civium, non secus ac infestissimorum hostium, diripiuntur. Latentes vel intus cæduntur, vel ad supplicium extrahuntur. Quæ tuta peterent, aut quæ formidanda relinquerent, incerti, passim in obscuris urbis locis, quidam etiam pudendis latebris aut metu, aut ut ignorarentur investigantibus, se occultabant. Sed ne quisquam evaderet, omnibus impunitatem tyrannus publico edicto promittit. Miseri quamvis toties circumventi, tamen

men fallacibus edictis incautè credentes, ê latebris in publicum certatim provolant, & ad exitium suum infaustè properant. Omnes enim ab emissis satellitibus ac militibus obtruncantur. Reliquorum furcis affixorum pœnæ ita festinatæ sunt, ut nonnulli ocreis & calcaribus adhuc induti, raptim ab equis in patibulum attollerentur. Verebatur tyrannus, credo, ne mora cruces deficerent, aut ne manus spiculatorum interim torperent; miserisque reis vacaret morti se præparare. Sed in nullum quæsitioris & atrocioris supplicii exemplum, quam in quendam Iohannem Magni editum est. Is vestibus detractis nudus cruci suffigebatur, in qua verba non pauca faciens, innocentiam suam obtestatus, de extrema patriæ civiumq; calamitate, de regis immanitate conquestus, Deum ultorē poscebat. Ne diris quidem & exsecrationibus temperavit. Scilicet indignitas rei ultimaq; desperatio vehementiores ingenuo pectori extundebat voces. Quibus ita efferatus est tyrannus, ut virilia reo amputari & in faciē pendentis proiici juberet. Mox latus ipsi apertū est tam laxo & hiante vulnere, ut immissa per id manu cor extraheretur, & mortui facies eo percuteretur. Receptæ enim pœnæ & simplex mors leves odio explendo videbantur. Quin in mortuos crudelis fuit Christiernus; quibus tamē sepultis ipsa natura & fas hominū parcere jubent ac quietē indulgere. Stenonē, qui in prælio pro patria tam generosè ceciderat, filiumq; ejus posthumum effodi mandabat. Quum Stenonis cadaver oculis subjecisset, quia occidere nō amplius poterat, quod libenter optasset; ut tamen ultionis cupidū animū ostenderet, illud morsu instar rabidi canis appetiisse traditur. Postquam Holmiam viris exhausserat, exsinctorum quoq; facultates invasit. Pupillos ac viduas sive nobiles sive plebejas, post parentes ac maritos interemtos, vel carceri inclusit, vel omnibus fortunis exspoliavit: ut nihil illis nisi plorare & esurire reliquū faceret. Gustavi I. mater & soror Hasniæ in carcerem compactæ, fame perditæ sunt. Et plures cum eis nobiles fœminæ periissent; nisi ipsius Christierni conjugis Elisabethæ intercessio occurrisset. Quin nec sacris nec profanis impias avarasq; manus abstinuit. Triduum integrum effluxerat, quod cadavera interfectorum in publico volutata & squalida in sanguine suo per vias undante, non solum hominibus ostentui & horrori, sed canum quoque laniatibus exposita jacuerant; donec illis oculos suos satiasset tyrannus: Nerone hîc im-

manior, qui jussisse pœnas & scelera contentus, non spectavit. Quin exteri, quos hujus rei sensus aut dolor non tam prope tangebat, tamen hoc horrendo spectaculo percellebantur. Ipsius Caroli V. Cæsaris, Christierni affinis, legati, tunc Holmiæ præsentes, quum imperatoris sui nomine efferam istam Christierni sævitiam consilio non antevertere, nec Christiana informatione impedire possent, non ferme minus eam quam indigenæ in animum admiserunt, odioque crudelitatis & commiseratione calamitatis innocentium, quam eorum oculi diutius ferre non poterant, hinc abierunt. Tandem cadavera quædam in puteum fori pastea terra obtutum præcipitantur, plura extra urbem eiiciuntur & cremantur, cineribus dissipatis. Obtruncatorum enim corpora Christiernus ne quidem sepultura dignabatur; quam tamen etiam hostibus, quisquis aliquid hominis habet, haud denegare solet. Hac detestanda crudelitate adhuc diriora timebantur (si quid dirius esse posset) quum publico diplomate omnes rusticos jussisset exarmari. Fortè quidam in sermone liberius jecerant, non desideratum iri ferrum & gladios, modò arma quæ natura homini dedisset, dextræ & lacerti ad ulciscendum, pedes ad persequendum tyrannum superessent. Inde divulgatum est per inquisitores & ministros ejus, rusticis unam manum unumque pedem præcidendum: ut etiam hac parte inermes redderentur, & soli labori non militiæ idonei essent: eos enim nihilominus agrum colere posse, etiamsi altero pede ligneo & una tantum manu uterentur. Ex Suecia in Finnoniam quoq; regis sævitia transivit; ubi Svecos & Finnones nobiles qui contra se sentire viderentur, Antonium Erici, Henricum Stenonis, Magnum scribam suum, saltem quod Suecus esset, Hemmingum Gaddum, aliosque ex nobilitate & conspectioribus ad regium edictum Thomas arcis Aboensis præfectus vel gladio vel cruce submovit. Ericus Flemingus nobilis Finno, de Christierni edicto præmonitus, in tempore vitæ suæ consulebat. Dum enim se simulat infensissimum Sueonum hostem, & ab arcis præfecto petit copias Sueticas & Danicas præsidio impositas, quasi cum illis impressionem in Nicolaum Arvidi & Suecos atcem obsidentes facturus eosque castris exuturus; illas cum accepisset, edoctis prius obsidentibus de suo consilio, eis appropin-

propinquans vertit in Danos copias, eos profternit, & cum suis in castra Suenonum transit, fidamque Gustavo postea operam præbet. Quum verò Christiernus insignita hac latrocinia publicum omnium odium meruisset, & jam ad arma plures concurrerent, etsi tot regnorum potens, terrore tamen divinitus ex conscientia tot facinorum percitus, nullum aliud securitatis suæ præsidium, quam in fuga superesse vidit. Itaque confusis magis quam constitutis, & perditis pro libidine sua regni rebus, terrestri itinere reversus est in Daniam, relicto post se Theodoro: qui ex tonsore legatus ad pontificem, dein præsul Lundensis & mox Scarensis, tandem prorex Sueciæ factus, dum ex obscuro ad tantam dignitatem elatus, superbè & crudeliter agit, quo sublimius adscenderat, eò gravius decidit. Ex hoc regno enim ejectus, Halniæ ad ignem damnatus & exustus est. Ne quidem in discessu Christiernus sævitiæ suæ temperare potuit; quasi molliorem sibi viam per civium sanguinem facturus. In quamcunque venit urbem, furcam miseris paratam esse jussit, & quidem consilio Nicolai Holstenii: qui aliis quærens perniciem, sibi tandem ipse ex merito invenit; dum Sudercopiæ patibulo â se erecto affixus est. Vadstenis Sueno Hökius & Petrus Faber episcopi Lincopensis dolo proditi, vivi in quatuor partes dissecantur & rotæ imponuntur. In Ribbingianæ familiæ non solum viros sed & pueros Lincopiæ desævitum est. Lindormus Ribbingus capite truncabatur. Sed pueruli bini, quorum alter octennis alter biennio minor, substrictâ in nodum comâ è cataста sævum in modum suspensi, & mox cervicibus amputatis tenella corpora in solum trunca dejecta sunt, capitibus in sublimi hærentibus. Ecquid verò parvuli isti, nondum intelligentes quod agerent, deliquerant? Sed lenti videbatur, quærere noxios. Satis causæ ad mortis pœnam erat odium in veterem istam & nobilem familiam: ex qua, si potuisset, ne pullum qvidem relicturus, & omnem spem generis sublaturus esset. In monasterio cui novæ valli nomen, hospitio ab abbate loci & monachis exceptus, hoc gratiæ retulit, ut pleroſque in vicinum flumen abiici & submergi faceret, non aliâ causâ, quam quod metu militum ejus partem commeatus in propinqua silva abdiderant. Abbas quum solutis vinculis in ripam enatasset, nihilominus cru-

crudeliter interfectus est. Vel, ut alii volunt, iterum vinctus, contis detrusus, viribus & animo deficientibus, spiritum tandem undis reddidit. Atque hæc duntaxat in transitu & per viam patravit, præter ea quæ paulo post coronationem & imperium susceptum; ad quorum vel solam cogitationem proba mens exhorrescat. Quis enim absque horrore & tantæ crudelitatis ac perfidiæ detestatione facilè tyranni meminisset? quippe qui quarumcunque injuriarum oblivionem, verbis, literis, sacramento toties sancitam tam nefariè violabat; quasi nulla prorsus religione teneretur; aut quasi promissa ac juramenta fallendorum hominum causa instituta essent. Vt tamen aliquod perfidiæ pallium circumjiceret, uti justi quandam umbram habere videretur, Gustavi præsulis causam tanquam non discrtè per Suedos exceptam, à sua fraudulenter secrevit. Quâ arte & simul sententiæ pontificis exsequendæ obtentu, se animum ulciscendi injurias avo, patri & sibi illatas avidissimum opportunius expleturum, & pervicaces Suedos inusitato terroris exemplo tandem aliquando in fide & officio retenturum vanè jactabat. Equidem indulta totiens omnium præteritorum venia & fides juramentis datis acceptisque religio vel minimum vindictæ obtentum ipsi præripuerat. Verum quid loci esset apud tyrannum fidei? & qui adeò sitiebat sangvinem Suecorum, ut non nisi flore nobilitatis & tot præstantium ac innocentium virorum exciso quiescere posset; ut verè in illum quadret illud prisci sapientis: Tyrannum purgare regnum suum, sed purgatione medicorum contraria. Siquidem illi quod est deterrimum ê corpore auferunt, tyrannus quod optimum est, ê repub. Quamvis verò durum hoc flagrum Deus peccatis eorum incusserit; tamen à rege præsertim conciliato, ut videbatur, nihil tale promeriti erant. licet apud tyrannum pro crimine sit, crimine vacare. Hunc sanguinarium animum non solum paulò ante lanienam suam; dum duo capita obversis cervicibus & super ea districtus gladius in æthere apparuerunt: sed jam in ipsa nativitate portentis aliquot & prodigiis minabatur. Recens natus alteram manum distensam, alteram in pugnum adstrictam extulit. Quam ubi obstetrix explicabat, cruore plenam deprehendit. Attonita mulier quum hoc patri significas-

ficasset; ipse nihil dissimulans, humani sanguinis prodigium fore prædixit. Illud item memoratur, quod, antequam nasceretur, dum mater enitebatur, intra uterum ejus flere auditus sit. qua alia significatione? quam vitam ipsum sibi aliisque acerbam, sed diuturniore sibi quam aliis cruciatu factum esse. Vitam enim aliis ante tempus ademit, sed sibi ad seram ætatem servavit, verùm illorum cædibus longè graviorem: dum non solum regno dejectus, sed etiam præter diras hominum, inter exilii & custodiæ Sunderburgensis & Coldingensis angustias ingratam vitam ad XXVII. annos traxit: ut eò longioribus & sævioribus animi laniatibus supereset; suaque ipsi flagitia in pœnam verterent. quod etiam ingens admodum serpens (quidam belluam marinam vocant) ætate Christierni in Norvegia conspectus videtur portendisse. Vt enim instar serpentis insidiatus fuerat vitæ miserorum subditorum, & virus malitiæ ac crudelitatis in eos effuderat, ita gravissimos conscientiæ ictus postea pravè consultis & sævitiâ sua sensit. Exsèrto documento, ne Principes hujus exemplo, religionis legumque contemtu, sibi quidvis in subditos permittant, neu eos ut pecora macello destinata tractent; nisi divinam in se ultionem expetere velint. Sed, ut boni rectores amant, potestatem suam ad salutem subditorum exerceant, atque volentibus magis quam coactis imperare velint: ut Deum sibi & rebus suis propitium, obsequium civium promtum, & imperium firmum consequantur.

IOHAN-

JOHANNIS LOCCENII HISTORIÆ RERUM SVECICARVM

LIBER V.

GVSTAVVS I.

Postquam inclutum Sueciæ regnum tot malis fessum & tantum non exsangve, jam exitio proximum videbatur, singulari Dei benignitate & invicta Gustavi virtute, sævo Christierni dominatu & præsenti excidio ereptum, libertatem ac spiritum recepit. Quæ deinceps cum aliis Gustavi rebus memoria dignis fusius exsequar, ubi rem â primordio
1490. repetitam ordine exposuero. Ortus est Gustavus Lindholmiæ in Vplandia ex prisca regii sanguinis & illustri gentis
a.d. 12 Maij. Sueticæ familia, patre Erico Iohannis de Ridboholmia equite aurato, Alandiæ gubernatore, regnique senatore, veteri & illustri equitum auratorum de V Vasa progenie; matre Cæcilia Magni Caroli de Eka, equitis aurati filia, celebri Sturiorum stirpe, regis Caroli Canuti nepte. Recens nati caput naturali pileo, vulgò galeam vocant, & pectus rubra cruce insignitum fuisse, ex illustrium matronarum, quæ partui interfuerant, relatione tradebant. Illud prosperitatis bellicæ, libertatis & imperii, hoc veræ religionis acceptandæ tuendæque omen interpretabantur curiosi. Vix egressum sex annos
1496. Steno Sturius senior, avunculus ejus magnus, regni gubernator, in suam aulam accersit. Vbi jam majoribus ausis præludens, cum puerulis non usitata tractare cæpit. Sed inter eos, pro cujusvis â se æstimata indole & captu suo, ludicrum in morem distribuit officia, instruit aciem & agmen ducat; æqualibus ejus imperium ultro & cum stupore se-
1498. quentibus. Die qua Steno regem Danorum Iohannem Holmiæ inauguratum, cum proceribus epulo acceperat, adstantis Gustavi vultu & indole delectatus rex eum ad se vocat,

cat, & manu caput permulcens, *VIRVM aliquando evasurum, si vita frui contingat*, in omnium præsentia, verus hic vates prædicit. Scisciatur itidem de ejus stirpe; quam ubi comperisset illustriorem, ingenium sanguini congruere, ac eminentius quid spirare, non absurdè divinabat; & secum in Daniam deducere puerum expetebat. Verum Steno tenellam ætatem parentibus avelli difficilem excusans, eum ab oculis regis dimovit. Adolescentibus annis mittitur â parentibus in academiam Upsaliensem, ut bonis literis animique cultu ad humanitatem & vitæ usum eruditetur. Anno ætatis vigesimo quarto vocatur in aulam Stenonis Sturii junioris. Istic non ad delicias & ocium, sed artes pace belloque necessarias eductus est. Nec illorum consuetudini, qui cupiditati juvenili lenocinarentur, sed qui rerum divinarum humanarumque prudentia & rectè vivendi disciplinâ præ aliis valerent, admovebatur. Illorum tunc princeps in aula Stenonis erat Hemmingus Gaddus. Ab eo in pietatis & rerum patriæ cognitione fideliter institutus, Stenonem inde in castra sequitur: quo militiæ magistro usus est. Postea verò quam præsul Gustavus Trollius capitali odio persequebatur Stenonem, quod sibi & patruo in regni gubernatione prælatus esset, cæpit etiam de Danis in regnum evocandis cogitare, maluitque externorum partes & qualemcunque fortunam sequi, atque, quod gravius erat, rempub. more impotentium æmulorum turbare, quam æquali cedere. Tandem eò res evaluit, ut Steno, antequam præsul hostium auxilio firmaret opes, occupandum ratus, præsulem hostilia molientem in arce Stekensi dura obsidione & commeatus inopiâ fatigaret. Hîc præsul elabi se non posse cernens, deditionem facere, donec hostis auxilio ipsi adventaret, simulat, si Gustavum Erici obsidem interea capiat. Et ille quidem non absque præsenti vitæ discrimine, ut jam ante suo loco memoravimus, obses ipsi datur. Postea dimissus, in duabus pugnis, vnâ ad VVedelöense prædium arcis Holmiæ, alterâ ad Brennekyrkia cum Danis, qui Trollio jam subsidio venerant, commissis, militiæ tyrocinium posuit. In istis enim regni ferens signum, fugatis Danis, egregia virtutis documenta edidit. Posthæc ubi Christierno secundo, accepta clade, res arctiores esse cæperunt, hinc adverso vento, ut

1509. 1514. 1516. 1517. 1518.

ut in Daniam regredi, inde fame & hoste, ut commode rutòque subsistere in castris nequeat, infestantibus, pacis studium animo fallaci præfert, evocato ad colloquium primò Stenone, ut ante dictum, sed frustra, dein desiderato Gustavo Erici cum sociis obside. Quem ubi in classem accepit, vento ferente usus, contra datam fidem pro captivo in Daniam abstraxit, & in custodiam arcis luticæ Kallöensis Erico Erici Banerio arcis præfecto tradidit. Istic quum aures ejus quotidianis opprobriis & comminationibus in Sueones jactis everberatæ & nimium quantum oneratæ essent, tædio illarum fugam cogitare cæpit. Quæ etiam feliciter cedebat. Quippe ex facultate nonnunquam exspatiandi occasionem fugæ nactus, mutato habitu primo die iter duodecim milliarium confecit, inde Flensburgum & tandem Lubecam ma-
1519. gnis itineribus evasit. Eum arcis præfectus Banerius, ne male custoditi temereque elapsi vicem subiret, aut alias negligentiæ pœnas daret, insequitur, & regi Daniæ velut captivum & transfugam restitui à senatu populoque Lubecensi postulat. Id etiam impetrasset, nisi Gustavus, qui se non tanquam captivum sed obsidem injuriâ à Christierno abductum contendebat, ad jus hospitalitatis ac fidem publicam provocasset; & Nicolaus Brömsius consul, qui præ ceteris authoritate tunc valebat, ei favorem & patrocinium accom-
1520. modasset. Ejus studio consilioque clam conscensa navi oneraria Calmariam petiit, & cymba in terram ad Steensöam expositus, urbem arcemque adhuc à Suecis obtentam ingressus, Annam Iohannis viduam, quæ hanc arcem fiduciario jure tenebat, opem rogavit. Quin fide mulieris insuper explorata, suum ei fatum ac fortunam detegit. Illa pari fiducia suas de Christierni sævitia & oppressione patriæ querelas ac gemitus Gustavi tutis auribus deponit, & qua potest ope illum sublevat. Hinc in urbem recedens, *cives ac milites ad fidem & animos viris ac*, quod satis pro stimulo, *Suecis dignos hortatur, & spe proximæ rerum commutationis ac liberationis injecta: ne committant urbem arcemve in Christierni manus venire.* Quum similem in modum egisset cum Germanis militibus istic in præsidio collocatis, illi indignis hoc animis tanquam abscissum negotium, accepere. *Tam exigua quippe arcis urbisque præsidia, quid ad tantas Christierni vires, & naves Severini*

Norbyi

Norbyi ad Oelandiam ſtantes indieſq; Calmariam cogitantes, foret Nec multum aberat, quin ab offenſo & feroci milite trucidatus fuiſſet, niſi malo per cives averſo, in tutiora abiiſſet. Poſt ejus diſceſſum Severinus Norbyus claſſem in ſinum Calmarienſem appulit. Mox ex fumo in flammas, ut dici ſolet, incidebat Guſtavus, dum per Smalandiam ad prædium ſororis Ternam, & ad ſuum hæredium Räfsnäſium iter tenens, præſenti ſe vitæ periculo expoſuit. Quum enim Smalandos *ad mutuam concordiam* adhortatus eſſet, *nec temerè fidendum Chriſtierno, cujus fallax & ſævus animus adverſus Suecos tot infauſtis documentis haud ignoraretur*; præter emiſſarios regis paſſim iſtic latitantes, qui cives in fide ad extremum regi ſervanda metu miniſque continebant, & ſuſpectos deferebant; non defuere improbi quidam cives aut coloni tyranno obnoxij, *Guſtavo, niſi quieſceret, malum daturos*, palam jactantes. *Se halece & ſale nunquam carituros, quamdiu ſub Chriſtierni regis imperio vitam agerent.* Leve & imprudens equidem vulgus, ſoli ventris curæ deditum, victus copiam ante libertatem ponit. Quaſi hac à perfido rege ademta, quidquam inde ſalvum, nec ipſa tandem corpora ſub dominantis arbitrio futura ſint. Quum autem Benedictus Erici nobilis in Skallenäſio, & præſul Vpſal. Iacobus, quorum conſilium in rebus anguſtis expetiverat Guſtavus, ei authores fuiſſent, ut impetratis fidei pub. literis, & pactorum cum Chriſtina Stenonis vidua lege fretus, ſe Chriſtierno crederet; ille periculo ſuo doctus, quantum fidei Chriſtierni literis & pactionibus habendum eſſet, cautius ſapiebat, & repudiato hoc ancipiti conſilio, in prædium ſuum Räfsnäſium regreſſus, iſtic ad tempus delituit. Inde certior factus à ſuo colono Holmiâ redeunte, de tyrannide Chriſtierni in patrem ipſius & reliquos proceres exercita, animi dubius quid in tam infeſto rerum diſcrimine conſilii caperet, ſuadentibus amicis ad Dalecarlos ſe confert. Vbi nec ſine vitæ periculo aliquandiu hæſit. Inde habitu ruſtico, ut lateret exploratores, ad Andream Petri in Rankhytta primarium in montanis virum, cum quo ipſi jus conſuetudinis olim in academia Vpſalienſi fuerat, divertit. Sed ex collari ſubuculæ aureis filis intertexto ancilla non ruſticum eſſe deprehendens, hoc indicat hero ſuo. Qui eum recognoſcenti, & quo loco res

ejus essent exquirenti se aperit, & consilium ejus rogat. Ceterum ille promtior ad commiserandum quam opem ferendam, veritus ne uterque proderetur, postquam aliquot dies bene apud se habuerat, ei suadet ut sibi consulat & se in tutiorem locum recipiat. Itaque abit ad nobilem Aaronem Petri in Ornäsio. Sed dum noctu transit congelatum amnem, glacie fracta præcipitat in undas. Dei tamen ope ipsum regno destinantis eluctatur. Vbi ad Aaronem Petri pervenit, ei quem amicum sibi credebat, animi sui mentem exponit. Ille quoque fidem, quæ in adversis demum probatur, sed doloso pectore simulans, visus est ejus vicem miserari & opitulari velle, donec abdita animi elicuisset. Hinc ad Magnum Nicolai in Asboda pergit, eumque quid hic sibi faciendum ducat, consulit. Iste quum Gustavo auxilio esse rebus dubiis vel non posset, vel non auderet formidine tyranni, tamen ea animi integritate erat, ut nec nocere vellet. Ideo Aaronem monet, nequaquam prodere Gustavum, sed à se hospitalis legis memoriâ inviolatum dimittere, iturum quò liceat. Sed ille magnam gratiam à Christierno laturus, quærit eum prodere; & statim abit ad Brunonem Benedicti in Sätra, regium Dalecarlorum præfectum, cui Gustavi consilium & institutum manifesta facit. At uxor Aaronis maritum quum præteriret villam suam, ad præfectum iter habere suspicata, Gustavum sibi ab insidiis cavere, & ad Ioannem pastorem in Svverdsiö, cum quo Vpsaliæ studiorum societas ipsi fuerat, confugere monet, ubi tutius agere queat. Et ne quid moræ sit ad iter, suam ipsi traham & equum quibus avehatur, tradit fœmina insigni ante maritum fide. Postero die Bruno & Aaron cum viginti lictoribus adcurrunt, ad capiendum Gustavum & Christierno tradendum. Sed uxor Aaronis, eum se clam subduxisse, investigantibus respondet. A pastore Svverdsiöensi per octiduum bene acceptatus, inde discedit ad Rettvicenses Dalecarlos, quibus serie tyrannicarum actionum Christierni exposita, persvadet suas secum conjungere voluntates, & tantam immanitatem justa ultione castigare; modò vicini secum facere velint. Idcirco Gustavus adit Moram principem ferme istius loci paræciam, ut incolas istic quoque permoveat ad idem inceptum. Interim Henricus â Mylen Christierni præfectus arcis Axhosiensis, ubi

ubi fando accepit, quid inter Montanos moliretur Gustavus, metuens ne tempore vires caperet conjuratio & turba coëuntium, initiis prævertere studet, & emittit manum militum ad interimendum, vel prehendendum Gustavum; aut, si hoc non posset, ad infamandum: ut malè apud eos audiens, minus obsequentes aut promtos operæ haberet. Emissorum antesignani erant Stiggo Iohannis, Christophorus Olai episcopi Ottonis frater, & Bruno Benedicti. Eodem destinatus Nicolaus VVestgothus homo solum ad scelus acer, & juratus in caput Gustavi percussor. Sed ille præventus ab Erasmo Cimbro, qui Stenoni ante servitio & fide, nunc etiam Gustavo probatus, eum in diversorio suo interemit. In feriis natalitiis Christi Gustavus Morenses ad profligandum à cervicibus suis Christierni jugum hortatur. Et, ut erat expromtæ facundiæ rerumque patriæ peritus, in mentem eis revocat, *quam indigna cives nuper sub Christierno, & proximè actis fœdis sub extraneis regibus passi sint, & quidem præter omnem suam culpam, saltem ut ipsi dominantes suam suorumque avaritiam & libidinem atque inveteratum adversus Suecos odium explerent. Inprimis quam nefanda Ioso Erici sub Erico Pomerano patrarit, ut animus horrescat referre, nec meliora nunc speranda esse; nisi atrocibus tyrannorum machinationibus unanimiter manus atque opes opponant. Si non solum votis, sed etiam animis armisque patriæ libertatem, quæ nunc fermè animam agat, secum tueri velint, fore ut Deus tam injustæ dominationis justius ultor facientes adjuvet. Certè sibi fixum esse, cum illis fortunas omnes & vitam suam pro libertate, quam ingenuus quisque vita chariorem habeat, impendere potius, quam alienæ libidini mancipiorum instar obnoxium agere.* Morenses quidem *virilem ac præsentem pro vindicanda in libertatem patria animum Gustavi* prædicant, *nec sibi studium laboranti patriæ succurrendi deesse* ostendunt: *Sed viribus adhuc immaturis, & in re tam ancipiti non tutum videri præcipitare consilia; nec audere propalam adversus Christiernum hostile quid moliri, prius quam cum vicinarum pareciarum incolis de tanto negotio plenius consultarint. Interim rogare, ut sibi tutiorem quærat locum.* Emissi enim erant Turdo in Riidstadio & Otto Nicolai in Holmio cum centum equitibus ad latentem istic Gustavum apprehendendum. Sed cum agrestium quidam advenientes conspexisset, signis ære compano datis socios ad arma

conciverant. Illud autem hostes fallebat, quum ventus australis sonitum auribus eorum in adversum abstuliſſet. Itaque dum intrepidè pergunt, ex inopinato armata plebe circumfusi, ferme male mulctati fuiſſent, niſi blandis verbis plebem deliniviſſent, & invitos ſe huc tractos, Guſtavo bene velle
1521. adſimulaſſent. Guſtavus inde ad occidentales Dalecarlos tendit. Octiduo poſt diſceſſum ejus, Laurentius Olai vir acer militiæ probatæque ſub Stenone Sturio virtutis, accedit ad Morenſes, eiſque ulterius pandit immanes Chriſtierni actiones: cui in animo ſit, totam cædibus & ſupplitiis exſcindere Sueciam; eoque in omnibus paſſim oppidis, territoriis & pagis furcas erigi juſſerit: quod itidem brevi imperatutus ſit Dalecarlis commeatum regi militibusque ejus præſtandum. Hoc nuntio perculſos Dalecarlos pœnituit dimiſiſſe Guſtavum, nec ejus conſilium ſequutos eſſe. Laurentius Olai ſuadet *eum revocare: tali enim defenſore suam patriam egere, niſi cum ipſa cives planè perire velint.* Mox etiam advenit nobilis Ionas Michaelis Nederbyenſis in Trögd, qui totam Chriſtierni tyrannidis ſcenam accuratius ipſis explicabat, & quidem cum tanto animorum motu, ut lacrymas eis excuteret, & novos veluti ſpiritus, ac mentem revocandi Guſtavum infunderet. Itaque ablegati ad eum ex conſpicuis, qui rogarent *reſerre pedem ad Morenſes. Ipſi conſtituiſſe Guſtavum ſibi ducem ſumere. Quidquid belli fortuna tulerit, cum ipſo ſubire, & nihil non pro patriæ ſalute adversus tyrannum audere.* Guſtavus in paræcia Limâ tunc ſubſiſtens, nihil cunctandum, ſed iſto ardore animorum utendum ratus, cum legatis revertitur ad Dalecarlos, qui eum ſibi ducem elegerunt, fidemque ipſi juramento obſtrinxerunt, cuſtodibus corporis ex flore juventutis additis. Deinceps auctis indies copiis ad mille viros; & adſcitis belli adminiſtratoribus Laurentio Olai, Ioanne Michaelis, aliiſque, qui proſcripti & extorres hactenus latuerant, ſub ſigna acceptis, ad Montanos proficiſcitur Guſtavus. Ibi ſorte belli ipſis jam initiis adſpirante, regium præfectum Chriſtophorum Olai cepit, eumque & aliquot itidem mercatores Danos bonis exſpoliavit. Prædâ opulentâ factâ, pannum vulgarem inter milites diſtribuit, ſericum ſibi ſervavit; aut inde ſigna militaria concinnari fecit. Ex auro verò, argento, ſale, lupulo, aliiſque mercibus hoſti-

hosti ereptis, vel annuo tributo à civibus penso belli subsidia sibi paravit, militemque aluit. Inde ad bis mille numero militum crescente, denuo adit Cuprimontanos, & die Dominico, sacris peractis, Dalecarlos ad patriam à servitute Christierni vindicandam hortatur, promtosque obsequio sibi juramento fidei devincit. Illico literæ in eandem sententiam ad Helsingos dantur. Sed quum præsul Upsal. Gustavus ejusque pater Ericus Trollius & Benedictus Canuti, tanquam senatores regni, eodem ferè tempore scripsissent ad eos, serioque exhortati essent, *nullam tentare defectionem à Christierno. quod si facerent, cum extremo vitæ & fortunarum suarum periculo fore* : perplexis animis in diversa inclinavere, non satis secum constituentes, cujus partibus accederent; donec Gustavus ipse eorum animasset & ad societatem suam adjunxisset. Montanis autem in sua absentia præfecerat fidum hominem Petrum Svenonis in Vibberboda, qui reliquos Dalecarlos ad suas partes adduxit. Sed Olaus Bondius occidentales Montanos, Nericienses & vicinos sibi adjunxit. Ad Montanos & Dalenses quoque adseruntur literæ à tribus dictis proceribus, quibus confirmant eos in fide Christierni, spe quoque Gustavo benevolentiæ regiæ & publicæ fidei facta, si à cæpto motu desisteret. Verum hæ literæ, quæ præferebant nomen senatorum regni, nulla apud plebem authoritate, sed magis probro erant, quum paucitatem eorum despicerent, addita voce, *senatum regni jam ad paucos admodum redactum esse, cum tres tantum forent.* Vbi Gustavus Helsingos sibi apto devinxisset alloquio, illi non quidem denegant auxilium, sed differri petunt, donec adultæ vires eorum essent. Equidem animos adhuc suspensos gerebant ab eventu & fortuna Dalecarlorum : inde sua temporibus applicaturi consilia. Eos verò opus periculosæ valde aleæ contra Christiernum aggressos existimabant. Ab Helsingis abit Gustavus ad Gestricios, qui unà cum civibus Gevalienſibus facili negotio Gustavo conciliantur, & inter eos egregii bellandi Petrus Fredagius, Ioannes Lupus, aliique à Christierno proscripti. Dum in hac expeditione Gustavus est, Christierni partes amplexi Gustavus Trollius, Iohannes Bellenchius, Canutus Benedicti, Theodorus, Henricus à Mylen aliique, quod literis & verbis frustra conati

sunt, armis experiri decernunt : & sex mille equitum pedi-
tumque agmen Arhosia eductum ad trajectum Vthsunden-
sem in paræcia Folcharensi locant, animo prohibendi Gu-
stavianos transitu. Sed cognito se superari numero hostium,
receptui canunt. Sic nostri transitu per amnem aperto per-
sequuti sunt adversas partes ; quæ tandem versis & collatis
signis tamen à nostris partim prostratæ, partim Arhosiam
cum ignominia repulsæ sunt. Quidam hic ferunt, quum
Dani castra sua metati essent ad amnem Brunebeckium, an-
tistitem Bellenachium rogasse proceres Sveticos, qui à Chri-
stierni partibus erant, *de viribus & copiis istius provinciæ bello*
idoneis. Quum illi respondissent : *viginti millia in aciem educi*
posse ; ultra sciscitanti, *unde tanto exercitui cibus suppeteret* ? illos
subjeciisse : *genti illi deliciis non adsuetæ ubique obvium esse cibum*,
aqua, *& cortice ex arboribus*, *si necesse sit*, *vitam tolerare*. Hoc
responso, abiisse præsulem & dixisse : *Cum hac gente diabolum*,
non homines prælio committendos esse. Postquam Gustavus ex
Helsingia Henemoram regressus erat, coegit omnes suas co-
pias, & monetam cudi fecit, quæ ab una parte repræsentabat
imaginem armati viri, ab altera duas sagittas, velut insigne
militiæ. Confluebant autem indies plures ad Gustavum, qui-
bus odio servitus, & cura libertatis esset : ita ut numerus ad
quindecim millia excresceret. Quibus lustratis & in duas par-
tes divisis, duces præposuit illis Laurentium Olai, hic
Laurentium Erici. Inde Petri Vglæ tribuni, qui hostem
Köpingiam usque persequutus ibi securitati indulserat, som-
no vinoque plenus, excubiarum incuriosus, ab Andrea Pe-
tri Dano, Oerebroensis arcis præfecto cæsus erat, cladem
prosperior fortuna pensavit. Quum Theodorus, qui cum
suis copiis urbem Arhosiam tenebat, accepisset Gustavum
appropinquare, in tutiorem locum arcem se recepturus, mit-
tit ad Iohannem Fynboum (cujus curæ Henricus à Mylen
negotii sui causa Holmiam profectus, interea arcem com-
miserat) ut portam sibi aperiat. Sed ille dicto minus audien
esse, mandatum Henrici causatus, qui jusserat neminem a-
lium intromittere aut tradere arcem, quam sibi soli. Ille
fremens hanc sibi iniuriam, ut amico, factam, militem
suum arci circumdat, eam oppugnaturus, & accessum vi
facturus, si non ultrò admitteretur. Fynbous animadver-
tens

tens seriò rem agi, & suum inde periculum, si arx expugnaretur; ipsi arcis portam reserat. Vix admissus Theodorus illum cum sex socijs idem sentientibus capite plectit: quod non sponte velut amicum accepissent. Sed contra fas & æquum capitis pœnam expetit, quum inferiorum esset, superioris jussa sequi, non interpretari aut contra quid facere: ne imperantis existimatio, lege mandati temerè solutâ, prostitueretur, & obsequio excusso, imperium convelleretur; aut quacunque interpretatione inferiorum permissa, sub specie commodi pernicioſum quid admitteretur. Gustavus acie ad Romfertunam bene ordinata, cum toto exercitu movet ad paræciam Balungam, & superato istius loci colle, castra ad S. Olai sacellum figit: hostem eo die non adorturus, sed recreaturus exercitum, ut integris viribus cum hoste congredi posset. Attamen hostis videns Suecos sensim & lentiori gradu progredi, moderationem hanc formidinem interpretatus, toto impetu in eos cum equestri agmine ruit. Suecorum pedestre agmen, ordine servato, lanceis & hastis adversis impetum irruentium ita sustinet, ut impressionem nullam cruentam facerent, sed terga vertere cogerentur. In fugam pulsos Sueci persequuntur tam infestis telis, ut quadringenti funderentur. Postquam Gustavus cum suis subsequutus & vix ad medium nemus Balungiæ progressus, intellexit, prælium cæptum, & Sueones superiores factos, admisso equo statim in primam aciem procurrit, consilio cetera moderaturus ac virtute militi præiturus. Quamvis autem à custodibus corporis rogaretur, ne se præsenti periculo objiceret, tamen pertendit intrepidus, inter primos adequitans isto cum discrimine, ut ad ejus latus hinc inde milites tormentorum ictibus sternerentur. Hostem fugatum tantus incessit terror, ut equites in proprios suos pedites nec absque noxa effunderentur, quos Laurentius Olai ê vestigio premens urgensque intra urbem compellit. Laurentius Erici cum suo agmine, compendio itineris in urbem facto, hostem antevenit, eumque à tergo invadens, tormenta bellica in foro locata cum omni apparatu militari hosti eripit & ad Gustavum traducit. Vbi qui arcem obtinebant advertere suos esse profligatos, ignem in urbis tecta ex desperatione, aut ne quid salvi in nostrorum manus ve-

niat, subitò mittunt. Vrbs verò cum æde sacra in cineres versa fuisset, nisi Sueci maximam ejus partem ab incendio servassent. Quidam in vicinum amnem ipsi se præcipitant, plures ab aliis eò propelluntur & undis absorpti pereunt. Quidam abjectis hastis armisque in proximum cœnobium, à monachis remissionem peccatorum & animarum refectionem petentes decurrunt. Ita contemtum hostis, quum jactassent, etiamsi per triduum totum in terras cœlo depluveret miles Dalecarlus, tamen se eum obtrituros, in sua capita lacessiverunt. Quin Sueones omnem exercitum hostilem internecione delere potuissent, si illum prosequi instituissent; & igne urbis Arhosiensis extincto, plures Montanorum & Dalecarlorum securi hostilis regressus, non ante debellatum penitus hostem intempestivæ prædæ incubuissent, nec quidam se vino & poculis onerassent. Hoc ubi innotuit Gustavo, iniquo animo tulit, reformidans ne hostis sobrius & vigilans ebrios, sui & fortunæ negligentes, subitò obrueret. Quod & factum fuisset, nisi Laurentius Olai cum suis fortiter repressisset hostem in foro conglobatum : qui arce novo præsidio firmata, fuga Holmiam per mare petebat. Dum nostri in eo erant, ut residuos adversæ partis profligarent, Gustavus quosdam suorum adhuc vino deditos deprehendens, ipse ingreditur cellas vinarias, cados & dolia sua manu ferroque concidit, & satellites idem facere jubet. Malebat equidem vinum perire, quam milites suos. Si enim hostis repente supervenisset, tam ebrios, & qui se à labore militari invictos præstitissent, nunc à doliis victos ac præ vinolentia sui impotes instar victorum pecorum cædere potuisset. Illâ verò victoriâ de qua paulò ante, partâ, multi nobilium aliique conspectiores viri fortunam, ut solet, sequuti, ab hoste transierunt in partes Gustavi; inter quos princeps erat Arvidus VVestrogothus. Canutus verò Benedicti de Engsiö dux hostium in castra reversurus, à milite Sveco glande plumbea transverberatus occubuit. Gustavus auctis copiis & locis necessariis firmatis, ad plura occupanda animum intendit. Ideo Arvidum VVestrogothum in Ostrogothiam cum nonnullis copiis expedit ad hostem istic infestandum & arcem Stegeburgum expugnandam: quod feliciter exsequutus est. Laurentium Petri ad Nycopensem, Olaum Bondium ad Oerebrocensem arcem circumsidendam

fidendam mittit. Laurentium Erici cum tyronibus Vpsaliam destinat, quos ibi armis præpararet, & hostis conata adverteret. Ante paucos dies duce Iohanne Olai de Redebroo, conflatas ex Simthuna & Torstuna copias, Laurentio suppetias miserat. Sed ille casuum belli vel insolens vel incuriosus, desidiæ se tradit; cujus tamen nulla est venia, præsertim ubi de salute contra hostem dimicandum est; & Torstunæ corpus curat, ac in balneo sudore ac molli otio diffluit, quasi omnia circumquaque tuta essent. Interim præfectus præsulis Vpsaliensis Benedictus Biuggius, ignavia ducis in occasionem fortunæ usus, adest, sua ipsum voluptate debellat, & in balneo opprimit: ubi Laurentius præter sudorem, etiam sanguinem ac spiritum, non isti tamen loco, sed campo & aciei debitum, ingratiis emittit; militibus ejus itidem prostratis aut disjectis. Iste præfectus inde properat Enecopiam ad Laurentium Erici. Ab hoc non balneo sed castris utente pulsus, Vpsaliam aufugit. Interea conscriptis aliquot territoriorum ad militiam colonis Laurentius Olai & Laurentius Erici sua castra & copias ad Rymningiam jungunt, eas ducturi Vpsaliam. Cujus rei rumore monitus Benedictus Biuggius emittit exploratores, hostium vires scisciscandi causa. Illis à Sueco milite interceptis, Canonici & senatus Vpsalienses ad Gustavi duces mittunt petitum, *ne ipsorum solennia in circumlatione scrinii S. Erici, istius temporis more peragenda, interturbare velint.* Mos ille frequentabatur, ut Pontificia adhuc religione hic vigente, S. Erici scrinium argenteum in quo ossa ejus condita erant, in feriis & nundinis Ericianis ex hac urbe ad proximam veterem Vpsaliam solenni ritu deportaretur, & quidem in via bene strata, cujus adhuc vestigia quædam apparent. Emissorum verò petitioni responsum est, *quum indigenas Suecos non extraneos deceat hos ritus patrare, ipsos in societatem istorum solennium venturos.* atque sic cum omnibus copiis Vpsaliam eunt. Sed antequâ accederent, Benedictus Biuggius cum suo agmine, quod centum equitum & tria signa peditum continebat, Vpsaliæ tunc desidens, hoc ludibrio habuit, & quasi nihil ei periculi à Sueco exercitu foret, splendidum instruxit in hortis episcopi convivium, dejectis etiam trabibus & septo quibus horti cincti erant, ut omnium oculis tanquam professa & conspicua pateret lætitia, & quam parvi faceret Sueo-

num militum adventum. Istud convivium potando, cantando, tripudiis & ludis ad summam noctem & lucem ferme producebatur. Verum hoc gaudium subito luctu & clade commutatum est, nec aliter poterat in tanta hostium securitate & temulentiâ, pervigiliis & debacchationibus quasi furiosorum perstrepente: qua se nostri, præter suam virtutem, adversus ipsos hostes muniunt. Quippe paulò ante diluculum horâ fermè secundâ Sueonum agmina urbem ingressa, cæsis hostium excubiis, munimentis ante præsulis domum dirutis, & propugnaculis ex adverso excitatis, antequam quisquam evigilaret, somno ac vino sopitos opprimunt. Tandem expergefacti quotquot poterant in illa trepidatione, Suecos, emissis jaculis, sed absque vulnere, petunt. At Biuggius eos à tergo circumvenire conatus per porticum, quæ ferebat ab archiepiscopi ædibus ad templum Dominicanum, Svecis hoc animadvertentibus eo consilio fallitur: dum illi igne immisso porticum incendunt. Ignis latius fusus, etiam ædes præsulis comprehendit, adjutus facibus à milite tecto injectis. Vbi Biuggius nullam aliam evadendi viam cernit, in fuga salutem quærit, & cum suo equitatu ac peditibus Flöthlundum petit. Sed nostri eos insequuti, plerosque in via trucidant. Biuggius dum vadum equo transire cæpit, telo per medium brachium à carpo ad cubitum usque lethiferè ictus, post paucos dies Holmiæ, non absque exquisitissimo cruciatu extracto telo, periit. Gustavus Arhosia Upsaliam venit, & curatis ibi aliis necessariis rebus, ut sacri ordinis potentiores consilio potius & ratione, si posset, permoveret, quam vi compelleret ad quiescendum, collegio sacro convocato, percunctatur à Canonicis, *quo loco & gente haberi velint, an in Suecis vel Danis; simulque ab illis eorumque episcopis adversus Sveciæ regnum & legitimum suum ac indigenam magistratum, Caroli Canuti & utriusque Suenonis tempore patrata*, illis exprobrat; *atque ita similibus in posterum facinoribus non desiturinent, condignam illis moribus pœnam* minatur. Denique *an juramentum fidelitatis ipsi præstare, & se, ut genuinos Suecos ac finceros patriæ cives decet, gerere velint*, ultimo quærit. Illi se modestè excusantes, *hoc sibi facere integrum esse* negant, *prius quam cum archiepiscopo communicarint*. Itaque petunt cum bona Gustavi gratia fieri, ut

ad

ad eum suas dent literas, quibus persuadeant præsuli, Christierni partes deferere, & Gustavum ut domi natum & regni membrum ejusque fidem sequi. Gustavus eorum desiderio adquiescit, & eadem opera ad præsulem scribit, monens cum, *ut commune regni bonum serio quærere, secumque avertere velit ejus oppressionem, angustias & detrimentum, in quæ per Christierni tyrannidem conjectum sit.* Has postquam accepisset & legisset literas præsul, ad Henricum Slaghökium aliosque circumstantes summo cum ludibrio & contemtu dixit: *Semet ipsum Gustavo responsum propediem allaturum.* Et tabellarium apud se detinuit, donec collectis quingentis equitum & ter mille peditum Holmia Upsaliam moveret, ab urbe non longius sesquimilliari castra metatus. Eodem die duo transfugæ, Sigfridus Svartius & Iohannes in Ønegärda Gustavum de hostis adventu certiorem faciunt, ne se imprudenti superfundat. Rex eis ægrè fidem habebat, amicum à præsule responsum exspectans; donec ipse tabellarius rediens, idem confirmaret. Gustavi autem exercitus tantum sexcentorum peditum & centum equitum erat: quia reliqui milites cum ejus venia domum regressi erant. Postero die præsul cum suo exercitu intrat Upsaliam. Vbi Gustavus in colle, quo nunc arx sita est, oculis deprehendens, hostem se viribus ac numero superiorem, cum suis agminibus in sylvam Nostan secessit. At præsul per Stephanum Henrici duo equitum signa adversa mittit Gustavo, qui eum ad Ladebyense vadum adsequuti sunt: quod jam Gustavi pedestre agmen maximam partem transmiserat. Sed quum vix medium vadum Gustavus ipse superasset, ejus famulus Finno nobilis adspectu equitis hostilis effuso cursu insequentis exterritus, sublato clamore Gustavi equo incautè impellitur, ita ut equus cum sessore in vadum dejiceretur. Quin Gustavus ab hoste circumfusus, facile oppressus fuisset, nisi Dei benignitate militumque virtute hostem, cum septuaginta capitum strage, propulsantium salvus evasisset. Hinc progressus ad Rymningiam instauratis viribus & revocatis copiis antea domum dimissis, Laurentio Olai & Laurentio Erici mandata dat, istas copias in insidiis adversus præsulem Upsalia Holmiam reversurum collocare. Quas non declinasset, nisi Stephanus Henrici instar canis venatici primus in itinere explorasset in omnem

partem,

partem, an viæ insessæ essent, aut hostis in insidiis lateret: cujus rei qualiacunque, etiam levia vestigia sagaciter inquirebat. Ex abdomine bubulo in via temerè relicto colligens hostem ibi castra habuisse, properat ad præsulem & Suecos in propinquo esse indicat. Ad hujus rei nuntium præsul cum suis retrocedens aliam insistit viam. Quo comperto, Sueci illis à tergo insultant. Ita conversis signis acer conflictus stetit, eo eventu ut vix sextus quisque hostium vivus Holmiam rediret. Fugatis instant Sueones manu ferroque. Laurentius Olai ferme conto transfixisset archiepiscopum, ni capite in jubas equi repentè demisso petentis ictum declinasset: quo proximus tamen ei Petrus Iohannis in VValestadio percussus est. Post aliquot dies Gustavus obsidione cingit Stocholmiam, castris ad radices montis Brunconiani positis: ubi quatuor adhuc patibula Svecis hominibus oppleta, Christierni sævitiæ reliquias, conspicatus eorum corpora inde tolli & terræ mandari jussit. Interea Laurentius Olai quatuor ex Suecis transfugas ad urbem usque persequutus, nihil nisi eorum equos, quos ipsi reliquerant & in profluentem desilierant, ne apprehenderentur, & duo in fronte vulnera, saxis è turri percussus velut conspicuas decoris militaris notas retulit. Vbi Sueones duobus hostium agminibus impares ad pontem Rotensem repulsi essent, isthic pedem figentes castra posuerunt. Hoste excursionem subinde faciente, non levis utrinque strages edita est: donec Stephanus Henrici hostium tribunus advertens Sueones difficulter acie vinci, dolo aggressus est. Ingentes quidem copias ostentandis viribus & tentando velut prælio urbe eduxit, sed majorem mox partem in insidiis collocabat. Cum quadraginta solum equitibus & aliquot peditibus ipse procurrens castris Sueonum ingruit, quasi ea irrupturus; & cæsis aliquot suorum, fugam capessit. Sed fugæ specie nostros in insidias elicit, qui erumpentibus illis magna clade sunt affecti. Redintegrantur tamen Gustavi vires & firmantur Helsingorum & aliquot veteranorum militum ex Germania accessione; quorum dux erat Stephanus Sassius Holsatus. Quum verò Gustavus plura in diversis & longiori spacio dissitis locis castra haberet, provisu periculi, consilii copia, cura stipendii, commeatus & summæ rerum inquies & intentus, modo hæc, modo illa castra adibat,

&

& ubique multus aderat: ne quid per ejus absentiam secus ageretur aut deficeret; vel ubi corpore, non tamen animo & authoritate aberat. Interea Arvidus VVestrogothus in Ostrogothia feliciter progressus est. VVadstenenses primùm amicis verbis monuit ultro se in Gustavi fidem permittere. Sed quum recusantibus ultima minaretur, deditionem fecere. Inde Iohanne Slengevvatero Hovâ expulso, eam quoque occupavit. Expulsus, suffugium in Munckeboda, episcopi Lincopensis arce, quærit. At quum homo valde lascivus in pratis & silvis sub habitu muliebri fallens & oberrans, fœminas ad raptum indagaret ac venaretur, ab Haraldi Canuti famulo, cui fraus ista suboluerat, obtruncatus est. Sic ei profuit ista venatio. Post VVadstenas & Hovam, etiam Scheningiam, Lincopiam, Norcopiam & Sudercopiam in fidem acceptas, regressus est Arvidus ad obsidium Stegeburgi. Quod impediturus Severinus Norbyus Gothlandiæ præfectus, advenit cum quindecim navium classe & trecentorum militum agmine. Nihilominus Succi majore animo quam manu eos in fugam & undas repulerunt. Inter Sueones quidam Benedictus cognomento parvus, insectatus Severinum ducem Danorum, quatuor ictus arcu robusto ipsi incussit. Quo nomine Severinus ipse prædicavit homuncionem tanti spiritus; decem virorum stipendia ei pollicitus, si ad ipsum à Gustavo deficere vellet. Sed ille promissis nihil flexus, in fide stetit. Paucis interjectis diebus Severinus hinc digressus, Nicolaum Boethii de VVinäs, & Holgerum Canuti Svecos equites, quibus parum fidebat, secum in Daniam abduxit; & Bernhardum Mylium Germanum arci præposuit. Succi tamen haud cessanter urgent obsidionem arcis, donec cepissent. Ipse Gustavus in Orientalem Gothiam profectus, Arvidi ducis & militum merita laude & præmiis ornat. Quum episcopum Lincopensem Iohannem Braschium accepisset in arce sua hærentem, nulli fermè alii rei quam rumoribus ex vicina Dania allatis servire, quibus malè animatos ad motus aut insidias impelleret, nuntio ei literisque missis Gustavus edixit: *Nisi ipse confestim accederet & coram, quo animo erga se & patriam esset, explicaret, brevi accepturum hospites, quos nollet.* Dictum factum. Gustavus cum expedito agmine

agmine viam ad eum affectat. Qua re cognita, præsul ei obviam properat, & obsequii fidem juramento renovat. Dum VVadstenas comitia Gustavus indicit, septuaginta ferè nobiles & equites Sueci Calmaria à Severino Norbyo ad Gustavum transierunt: quum fama accepissent, Severinum à Christierno in mandatis habere, ut eos de medio tolleret. Postquam ad comitia VVadstenensia cujuslibet ordinis homines ex Ostrogothia, Smalandia, VVestrogothia, VVermelandia & Dalia lætis animis convenissent, Gustavo gratulati sunt de felici successu. Ille *expositio discrimine quo hactenus conflictata patria adhuc magna ex parte teneretur, eorum operam ac subsidia ad illud amoliendum, & patriæ libertatem restituendam, efflagitabat.* Ordines omnes junctis animis & vocibus, *non tantum quidquid possent opum ipsi polliceri, sed ingentes quoque ei habere gratias, quod patriam à tam immanis tyranni potestate vindicare tam bene cæpisset: obnixè rogantes, ut idem cum Deo ad finem perducere velit. Neque solum belli regnique administrationem, ut hactenus, sed ipsum quoque imperium regio titulo & potestate insignitum in se recipere non recuset.* His Gustavus respondet: *Se non cupiditate imperandi, sed fidorum regni civium summo desiderio, justaque commiseratione ductum afflictissimæ eorum fortunæ, atque ultimo prope exitio per Christierni immanitatem eis illato, qua datur, antevertendi, omnem inimicorum sævitiam & vim infringendi, bellum adversus ipsorum & patriæ hostem suscepisse. Quod si porrò fidam ipsi, ad liberandam prorsus Christierni & sociorum ejus furore patriam, opem ferre velint, se non equidem abnuere ducis imperium: nec civibus ubicunque posset, defuturum. Interim de rege creando eos laborare vetabat, donec regnum ista peste atque calamitate publica Dei beneficio expurgassent. Tum demum, quemcunque regni ordines ex Svecorum sanguine bene natum & idoneum essent electuri regem, se quoque suo consensu & fide data comprobaturum.* Omnes igitur ore & dextra fidelitatem & obedientiam Gustavo jurant, & legitimum belli regnique administratorem communibus votis accipiunt. Istis comitiis finitis, Gustavus expedivit huc & illuc per regni oras agmina ad hostis vires profligandas, aut regno totum exterminandum. Nec successus & fortuna prorsus deficit. In VVestrogothiam missi, arcem episcopi tunc Lincopensis Leköicnsem sine mora capiunt, & Elfsburgum obsident. In

Sma-

Smalandiam educti milites, ejus quoque provinciæ arces & oppida, expulsis inde Christierni præfectis, felici manu occupant. Dum Gustavus in Ostrogothia commoratur, Christierni tribuni, Theodorus Slaghökius, & Gorgonius Holstenius Holmia per lacum Melerum Arhosiæ etsi difficulter, quippe Lamberto Matthiæ cum suis occurrante, tamen inferunt commeatum & nova præsidia, quibus arcem, prioribus abductis, instruant & firment. Sed avecti dum fretum Kolesundium in reditu transire parant, arduum & valde impeditum experti sunt trajectum. Via enim à Laurentio Petri & ipsius militibus insessa, propugnacula ad utrumque freti latus excitata, & medium fretum cistis saxo impletis ac demersis obstructum erat. Proinde per totum biduum cum hoste decertare coacti sunt, antequam isthinc eluctarentur. In Finlandiam quoque copias emisit Gustavus adversus hostem, Arvido Nicolai & Henrico Iohannis ductoribus. Ad illorum partes non pauci ex numero nobilium & plebe se adjunxerunt: inprimis equestris ordinis & claræ operæ miles Nicolaus Grabbius de Grabaccha. Iste cymbis suis & vix duodecim hominum manipulo hac illac maris oras & litora pererrans, cuivis occasioni & dolis intentus, crebris & non parvis damnis afficit hostem. quippe nec opinato incautos invadit, & modò sopore sepultos confodit, modò repagulis ostio obditis, subjecto foris igne domi clausos comburit. Si verò hostis ad eum vel capiendum vel cædendum excurrat, ille cum expeditis navigiis ocyus ad Revalienſem alioſque Livoniæ portus avolat. Illis ad sua reversis, iterum instar subitæ calamitatis adest, & minimè exspectantes invadit, ac subinde divexat. In Stocholmiæ obsidione Gustavus totus, eam tribus locis acriter oppugnat, ad meridiem in paræcia Bothekyrkia prope pagum Setra: ad septentrionem prope Rotebroum ad prohibendum hosti commeatum, ductore Canuto Andreæ & Stephano Saſſio; denique in insula Löföensi, ubi nunc Drotningholmia sita est, ductore Petro Fredagio. Copiæ per Finlandiam distributæ non quidem suis partibus deerant, nullam tamen arcem aut munimentum vel expugnare vel deditione capere potuerunt, priusquam Gustavus Holmiam in fidem accepisset. Postquam Nicolaus Arvidi arcem Aboënsem obsidione cinxerat, quam

armis

armis & milite non parum Arvidus istius loci præsul adjutabat, excursione ab hoste facta & captis aliquot Sueonum, inter quos princeps erat Benedictus Arvidi, Nicolai frater, eum cum reliquis captivis Thomas arcis præfectus de muro suspendit. Sed quod in aliis fecerat, in ipsum postea quoque editum est exemplum; quasi alieno supplicio suum docuisset; ut infra dicetur. Stegeburgensis arx tandem Gustavo deditione traditur à præfecto Bernhardo Mylio, qui Sudercopiæ duorum mensium spatio in custodia habitus, inde dimittitur sub fide data Gustavo, se ei in posterum in militia operam daturum. Pridie natalis Christi sesquimille hostium Holmiâ cum quadraginta celocibus & cymbis se profundentes, castra Sveonum in insula Lofoënsi adoriri conabantur, jactantes quomodo Iulia (ita feriæ natalitiorum Christi Svetica voce dicuntur) cum Petro Fredagio celebrare vellent. Sed quum Petrus tantis hostium copiis par non esset, & tamen eorum consilium haud ignoraret, ingenio debellare aggreditur, quos viribus desperabat. Sedecim viros justis intervallis distantes in montibus & lucis circa suum exercitum disponit, quorum singulos cornua ad exscensionem hostis inflare jusserat. Quod ubi fecissent, hostis tot diversis & distinctis cornuum sonis territus, singulis suas adesse cohortes credit. Interim perculsis & turbatis Petrus quinque fermè signa adversa infert, quæ conserta cum hoste manu confundunt ordines, & ducentos sternunt, reliquis in fugam actis. Eodem tempore arx Nycopensis tradita est Gustavo ab Henrico Ranzovio & Iohanne Olai, qui regis Christierni nomine tenuerant. At Severinus Norbyus cum classe sua rediit ad arcem Stegeburgensem novis præsidiis & commeatu instruendam, nescius eam in Sveonum potestatem jam venisse. Quare superato difficulter freto, præmittit cum cymba Torstanum Salomonis Finnonicum nobilem cum aliis in arcem, denunciatum opem & adventum suum: qui castello adproperantes, pileum in argumentum pacis perticæ imponunt. Sed quidam nomine Henricus, qui ante Braschii minister fuerat, ex arce glande plumbea transverberat pileum & cymbam: unde intelligunt quid de illis sibi promittere habeant, & quid de castello factum sit. Nisi sic præmoniti fuissent, Severinus recta ivisset in arcem

&

in Svecorum manus. Tam exiguo sæpe casu magna rerum momenta vertuntur. In regressu obviam ei ruunt Sueones in freto Eteresundio, ubi acerrimè à primo mane ad seram noctem cum eo decertarunt, & tandem in fugam cum sexcentis cæsis dederunt, non amplius tredecim Sueonum desideratis. Liberata sic arce Stegeburgo, partem copiarum Arvidi evocat ad se Gustavus, eaq; firmat sua castra ad Holmiam. Cum reliquis copiis Arvidus Calmariam obsidere jubetur. Edictum Christierni sanguinarium denuo publicatur ad singulos militum tribunos & arcium præfectos, ut omnes Svecos nobiles & plebejos quotquot in sua potestate habeant, obtruncent. Tam inexplebilis Svecani cruoris hauriendi sitis inerat Christierno: ut, si potuisset, omnes familias ab stirpe evertere & totum nomen Suecanum delere ipsi lubido fuisset. Tyranni mandatum præter alios & Thomas arcis Aboensis præfectus strenuè executus est. Quum idem fatū immineret Erico Flemmingio, fidei erga Christiernum simulatione cum aliquot copiis elapsus, in castra Sueonū transfugit: quod jam in vita Christierni fusius memoratum est. Arx Arhosiensis, Tynnelsöensis & Engsöensis in Gustavi potestatem ab hoste traditæ sunt. Sed hanc fortunam interpellavit Sueonum clades ad Holmiam. Quū enim Severinus Norbyus novis ex Dania & Gothlandia copiis Holmiam communivisset, his animo Danis addito eruptionem faciunt in castra Sveonum borealia, quę à ponte Rotensi in Ervam villam propius urbem traducta erant, eosq; viribus inferiores isthic cædunt. Postridie iterum erumpunt, & Svecis qui castra meridiem versus ad Setra habebant, fusis & non levi clade affectis, urbem eo mense ab omni obsidione liberant. Inde Severinus in Finlandiam cum classe sua excurrit, & Nicolaum Arvidi arcis Aboensis obsidione pellit: qui igne in pulverem sulphureum in domo lapideâ urbis conditum immisso, tantum excitavit incendium ut tota fermè urbs deflagraret. Arvidus autem episcopus Aboensis, sævissimi edicti regii fulmen evitaturus, adjunctis sibi ex Finnonica nobilitate quamplurimis, eorumque conjugibus, liberis & opibus in navem collectis, in Sveciam ad Gustavum demigrare instituit. Sed exortâ procellâ prope Öregrundiam ad insulam VViggiam, omnes naufragio miserè perierunt; minus tamen luctuoso, quam sub tyranni libidine, fato. Instauratis denuò castris ad Holmiam & sup-

plemento Dalecarlorum, Helsingorum aliorumq; borealium militum auctis, quum Gustavus animadverteret, sibi deesse classem, qua hosti intercluderet per mare necessariorum in urbem invectiones, Secretarium suum Sigvvardum ab Holten Dithmarsum Lubecam allegavit, qui à senatu populoque Lubecensi naves aliquot bellicas tormentis, milite alioq; belli apparatu instructas ære Gustavi conduceret. Lubecenses, qui per se hostili in Christiernum odio ferebantur ob violata suorum privilegia, navesque & merces sibi interceptas, decem navium classem, pedite, equite, tormentis, commeatu bene munitam, rebus omnibus pretio æstimatis, auxilium Gustavo mittunt, navarcho Frederico Brunio & militum duce Iohanne Stammelio: quæ secundante vento, pridie Pentecostes Sudercopiam accedebat. Non autem adduci poterant milites, quamquam Bernhardo Mylio aliisque alicujus dignationis incitantibus, ut fidem suam juramento adstringerent, antequam dominum, sub quo stipendia facturi essent, coram intuerentur. Vt eis hanc gratiam faceret Gustavus, Vpsalia Sudercopiam excurrit. Hunc ubi conspicati, moti dignitate oris & corporis ejus, sed animi præstantia magis, cujus primas notas ex regia forma & alloquio, quantum vulgus militum potest, plures dein & majores ex factis colligebant, pro eo se vitam & sanguinem promtè devoturos fidem dant, & in ejus verba jurant. Ex his statim Arvido VVestrogotho & Petro Iohannis de VValesta qui Calmariam obsidebant, subsidium mittit; reliquo exercitu castra ad Holmiam corroborat. Agmina verò rusticorum, ut ipsi desiderarant, ad suos dimittit, retentis juvenibus militibus & personis solutis eoque minus domum cogitantibus. Iterum nova accessere Lubecâ subsidia, Bernhardo Bomhovvero & Hermanno Plonio ductoribus. Auctis ita Gustavi viribus, Severinus hostium imperator jubet Thomam arcis Aboensis præfectum cum aliquot bellicis navibus commeatu & milite onustis laboranti Stocholmiæ succurrere. Postquam Holmiæ promontoriis appropinquarat, speculatoriam navem exploratum præmittit. Hanc Gustavianæ classis præfectus Ericus Flemmingius, in statione post sinum maris & rupem latitans, intercipit. Cujus præsidiariis per classem dispertitis, eam Succo milite completam in occursum Thomæ mittit.

mittit. Hac conſpecta, ad eam feſtinat ſciſcitans quo in ſtatu res eſſent; Illis, ſatis omnia ſalva eſſe, reſpondentibus; dum jam conſcendere navem parat, alios adeſſe hoſpites & ſe proditum advertit. Itaque pedem retracturus, à Sueonibus apprehenditur. Inde Suecorum claſſis explicatis velis reliquas Thomæ naves invadit & ſub ſuam poteſtatem redigit, excepta nave Finnonica Priiſia dicta, quæ fortiter â meridie ad veſperam dimicans, non aliter quam igne injecto ſubigi poterat. Ad Guſtavum Thomas ductus in cuſtodiam Tynnelſöenſem datur, & quod Suecos ac Finnos indigniſſimè tractaſſet, quercu ſuſpenditur. Ita authorem facinora repetunt, & ipſe tandem ſuo opprimitur exemplo. Severini claſſis ad Holmiæ promontoria anchoras jacit, in conſpectu fermè Lubecenſium claſſis Guſtavo militantis: ut hoc velut tacito ſigno ad prælium eos laceſſeret. Sed ubi pugnam averſari ſentit, ad inſulam in portum ſecedit. Eadem nox ſic glacie vallavit ejus naves, ut ad eas non ſolum pedibus ſed etiam equis acceſſum haberent. Si Guſtavo tantum domeſtici militis, quantum externarum copiarum fuiſſet, haud dubiè, manu conſertâ, victoriæ & hoſtium potitus eſſet. Ericus Flemmingus tamen aliique Sueones una cum Stephano Saſſio & quibuſdam Germanis prælium ſvadere ac ſe invicem in hoſtes incitare; ſed Lubecenſes longæ conſultationis morâ, ubi facto opus erat, rem trahere, vel, quod potius, nolle: ut ipſius vox Severini audita ſit, *hanc perfidiam ſocialem, non militiam eſſe.* Quæ quamvis, ut hoſtis, diffidentiæ ſerendæ jeciſſe videri queat; tamen ſocios hîc remiſſiores ad pugnam fuiſſe conſtat; non tam ignaviâ, quam ſtudio ducendi bellum & majoris lucri, uti noſtri Annales perhibent. Quidam Suconum ex alta rupe ingentia ſaxa in ſubjectas hoſtium naves devolvebant: alii ex adverſo eos impetebant; ita ut occaſio ipſa eos ad hoſtem cædendum hortaretur, ſi Lubecenſes hîc animum dimicandi habuiſſent. Quadam nocte excurrenti Stammelio occurrit Thilo Giſlo ex hoſtium navibus; ibi conveniſſe de quieſcendo, ex facto Stammelii patuit: dum militi pugnam ſerio diſſuaſit. *Si enim Severinum debellarent, nullo id eorum fructu fore: qui domino & ære ſuo denuceps carituri eſſent. Si verò ſalvus elaberetur, bello producto, ſua ipſis ſtipendia nihilominus proceſſura eſſe.* Sanè vel

hoc cautioni fuerit, ne ita externis nitamur auxiliis, ut non plus domesticarum & propriarum virium in exercitu habeamus. Præterquam enim quod turpe & noxium est, solo authore socio, si validior nobis sit, de summa belli inire consilium: & pugnare, cum ipse, non cum imperator voluerit; etiam externus miles venalem pretio fidem sæpe circumfert. Post biduum orta tempestate & glacie per corrasarum resoluta, Gustavus ipse advolans monuit sub datæ fidei religione socios, hostem adoriri. Quod cum animadvertisset hostis, insulæ adversæ suas applicare naves cæpit, unde nostras impeteret. Gustavus iterum socios monere, ut hostis conatum anteveniant, & præoccupent istam insulam; sed frustra. Proinde, Sveonum ducibus adscitis, ipse cum suis eam occupat, & aliquot tormentis majoribus insulæ impositis, hostis classem diverberat. Hostis etiam suis tormentis explosis vicem reddit, Gustavum ipsum cujus vocem audierat petens, fallente tamen ictu. Tandem classis Severini vento secundo Calmariam abit. Vrbem Stocholmiam deinceps Gustavus arctiori obsidione premere cæpit, & castra ad boream locata ulterius in paræciam Brummam, & inde in insulam monachis ad prædii rustici usum olim donatam, unde & nomen nacta est, urbique proximam promovit. Castra verò ad Sätra in suburbium australe transtulit. Ponte item mobili super aquas exstructo, monachorum insulam & aliam, quam longam vocant, cum suburbio australi commisit: ut hostibus excursionem facientibus, omnia castra facilius è propinquo coire & sibi auxiliares manus præstare, aut hostem commodius sustinere, velactis viribus depellere possent. Sed & ponte ligneo ad orientem facto suburbium australe cum insula VValdemari conjunxit, ibiq; firmissimum exstruxit propugnaculum; quo præsidiorum & commeatus subvectiones Holmiæ prohiberet. Hac Gustavi cura & solertia urbs quatuor partibus tam arctè infestata est, ut nemo, si replicet aut acti nuper temporis, aut priscam memoriam, urbem unquam accuratius & pressius circumsessam meminerit; eaque ratione hostium vires non parum accisæ & in angustum redactæ sunt. Quum Petrus Fredagius accepisset, hostem cum omnibus copiis impressionem facturum in Sveonum castra suburbii australis, optimos militum clam abdidit in S.

Maria

Mariæ Magdalenæ templum : quibus in prætergressum hostem à tergo effusis, plerosque profligavit. Stante obsidione, Holmia gravi fame premebatur : unde multi tam equitum quam civium ad Gustavum terra marique, victus quærendi causa clam se recipiebant. Nonnulli in S. Claræ cœnobio suburbii borealis, tutas quærebant latebras. Ceterum antistita facto indicio nocte per lucernam, die per linteum ex fenestra appensum eos Gregorio Holsato, sororis suæ marito, prodebat. Qui deprehensi ligneis ferris dissecabantur, aliisque diris suppliciis excruciabantur. Quod præter alia quoque in causa fuit, cur Gustavus postea hoc cœnobium à fundamentis dirui juberet. Vbi duces Christierni majores subinde rerum angustias fame ingravescente sentiebant, & nostrorum castris tam bene munitis non facile quid detrimenti adferri poterat, hunc astum commenti sunt. Svecum equitem sibi juratum Iohannem VVestgothum in castra Gustavi emittunt eo consilio, ut alicui ducum Gustavi operam suam militarem addicat, & admissus clanculum exploret Suecicarum rerum statum, vires & subsidia, dataque occasione castris eorum ignem subjiciat, atque in urbem illicò remeet, si possit : si minus, in Daniam aufugiat, & obsessorum fortunâ regi expositâ, nova auxilia ab eo petat. Ille explorator in fidem â Iohanne Petri cognomento parvo recipitur, qui nihil mali ut à suæ gentis homine suspicabatur. Sed post aliquot dies à duobus aliis transfugis Olao Magni & Tordone Baggio proditus est, qui in rei argumentum, vestibus insutas occultare ex membrana literas Theodorici Slaghökii & Gregorii Holsati adfirmarunt : quo manifestato, reus peractus & proditionis supplicio plexus est. At hostes, hoc consilio ad irritum cadente, inutilem militiæ turbam, exceptis civium uxoribus & liberis, urbe emittunt : ut commeatus in longius tempus sufficiat. Eo vehementius urbis Holmiæ & Calmariæ obsidionem Gustavus urget, ne quidem hieme per Succos frigoris patientes omissam. Germani verò plerique ac Lubecenses ejus intolerantiores, sive ut hac specie rex eos seponeret, in vicinorum oppidorum hyberna distribuebantur, procedentibus etiam eorum stipendiis. Ineunte anno Gustavus Bernhardum 1523.

â Mylen & Laurentium Siggonis cum Germanico exercitu per oppida in præsidiis hic locato in Scaniam & Hallandiam mittit, ad hostem illic atterendum. Sed eluviones remorari injecisse causati, ultra mensem nullum operæ pretium fecerunt. Turonem Iohannis cum bene instructis copiis in Norvegiam expedivit: qui provinciam VVikiam, quæ olim Sueonum fuerat, recuperavit, arcis Carlsburgi custodia Crummio demandata. Severino autem, viribus ad Calmariam auctis, steterat, adoriri castra Gustavi ad Calmariam & Holmiam, extremumque tentare casum aut fortunam. Sed à senatu regni Danici certior factus de sævitia Christierni in Danos quoque exercita, & quod senatus consiliis spretis, totus à Sigbrita anicula ejusque filia Columbula, cum qua stupri consuetudinem habebat, penderet, ideoque emotus imperio, fugisset in Belgium; interim novo rege Daniæ Friderico Holsatiæ duce in ejus locum destinato; cum suis copiis in Daniam reversus est, sexaginta tantum militibus ad urbis arcisque custodiam relictis. Quibus negotium dederat, ut si urbem arcemque diutius defendere non possent, civibus interemtis, eorum bonis direptis urbeque incensa in Gothlandiam se reciperent. Sed hoc cruento consilio detecto, cives à Gustavo ad præstitutum diem petunt auxiliares copias, spe deditionis ipsi injecta. Dicto die Suecis copiis adventantibus & urbis expugnationem â parte maximè australi simulantibus, ut eò præsidia cives averterent, portam urbis borealem illis noctu aperiunt. Vrbe occupata, octiduo post etiam arcem deditione accipiunt & totam Oelandiam ductore Arvido VVestgotho. Tentabat itidem Gustavus Scaniæ, Hallandiæ & Blekingiæ Christierni partes adhuc sequentium recuperationem, misso istuc per Bernhardum à Mylen & Severinum Kylium exercitu, scriptisque ad incolas literis, ut jugum, quo hactenus pressi fuerant, hac occasione depellerent, & se in libertatem ope Sueonum vindicarent. Bernhardus à Mylen jam armis subjecta Blekingia, quum eodem animo in Scaniam contenderet, occurrerunt ei Claudius Bildius & Axelius Vgerupius, instructi potestate faciendæ cum ipso pacis, nomine Scanensium & Hallandorum. Post longam disceptationem, ita inter Bernhardum & eos convenit, *ut res interim integra suspenderetur*

usque

usque ad Iohannis Baptistæ diem, quo conventus Arhosiæ à Sueonum, Danorum, & Holsatorum legatis instituretur; & cui tunc per juris viam Scania & Hallandia possent adjudicari, in eo ceteros conquieturos. Hac transactione Bernhardus deceptus, serò deprehendit, Suecos jus suum cum Danis rarò tam feliciter verbis & pactis, quam armis disceptasse. Gustavi fortunâ, Christierni exilio, & nulla spe subventionis, præsidiarii Stocholmenses animis dejecti, urbis deditionem certis conditionibus Gustavo fecerunt, quæ tales fuere: *Vt Gustavus solveret obsidionem, & omnibus hostilibus actionibus abstineret. Vrbs & arx Holmensis in manus Lubecensium traderetur*, quos sciebant in fædere esse cum Friderico duce Holsatiæ. *Vt Lubeca & Gedanum solverent militi residuum stipendii.* Sed Gustavus his ut indignis conditionibus rejectis, obsidionem persequebatur. In comitiis Strengnensibus, ubi de summa reipub. consultatum est, Canutus præpositus Arhosiensis primus ordines in hanc sententiam Latinè adlocutus est: *Regno Sueciæ, quod ab extranea dominatione tam miserè hactenus adflictum, nunc hausta nova libertatis aurâ, aliquantum respirare cæpisset: ut integrum ducere spiritum queat, summè necessarium fore, regem indigenam dari, qui patriæ ex animo cuperet & rebus fessis opitularetur. Quum verò Deus incluto huic regno, charissimæ omnium patriæ, in summo rerum discrimine prosperitatem, successum & victoriam, adversus infensum eorum hostem Christiernum ejusque socios per Gustavum, regni nunc administratorem, benignè concessisset; & Gustavus pietate, prudentia ac fortitudine præstans, divinitus imperio monstraretur, non aptiorem melioremque regno repertum iri, quam ipsum. Præterquam quod ex equestri familia & veteri regum Sueticorum sanguine oriundus, regiam fortunam animo & ipsis factis sit æquaturus.* Similis argumenti alloquio idem ordinibus persuasum ivit Iohannes Gothus, legatus tunc Pontificius, nuper huc Româ redux. Ad hæc nobiles & plebeii, quotquot tunc aderant, supplices effusisque lacrymis orare Gustavum, *ut fastigium regium capessere, ipsosque & patriam à Christierni tyrannide in pristinam libertatem, ut jam feliciter cæpisset, porrò adserere ne detrectaret.* Gustavus contra: *Vastam regni molem & pondus cui ferendo non esset, impensè deprecatus sibi reip. bellique curis jam defatigato parci* rogabat. *Quemcunque alium ex procerum*

rum ac nobilium ordine creaturi essent, illum se quoque pro rege fide data agniturum. At regni ordines impensius idem suis precibus flagitant, nec de iis prius remissuros significant, quam exoratint Gustavum. Ille tandem pio pertinacique eorum desiderio victus annuit, non tamen ex ambitione, sed oppressæ patriæ commiseratione & libertatis studio flexum, eorum votis animisque morem gessisse, ostendit. Ita solennibus electionis peractis, & juramentis utrinque præstitis, GVSTAVVS REX SVECORVM publica voce proclamatus est. Regis verò regnique senatores, qui in partem curarum pub. venirent, creati sunt præter superstites, Bernhardus Mylius, Petrus Erlandi, Ivarus & Ericus Flemmingii fratres, Axelius Andreæ, Canutus Andreæ, Petrus Iohannis, Bero Claudii & Tordo Bondius. In dictis comitiis etiam deliberatum est de subsidiis & impensis belli ex censu argenti per totum regnum colligendis. Item ut in publicum ederetur codicillus, justas amoti regno Christierni & belli adversus eum suscepti causas explicaturus, ad occurrendum sinistris malevolorum interpretationibus, & potentiorum Christierno studentium ulterioribus machinationibus. Finitis comitiis Strengnensibus, rex Gustavus cum omnibus Strengnesiæ collectis Holmiam adit. Vbi obsessi cives deditionem pacisciuntur his legibus, quas eis Gustavus ex æquo & bono dicturus esset. Illæ tales erant: *Securitate pub. corporum suorum, uxorum, liberorum & fortunarum, bonisque suis propriis, tam mobilibus quam soli liberè utantur cives remansuri Holmiæ; reliqui in Germaniam abituri, fide publica discedant cum tot bonis, quot ipsis ex gratia indulgeri possint. Privilegia civibus pro æstimatione fidei & meritorum confirmentur. Vt præteritorum oblivio fiat. Vrbs Holmia cum arce, omnibus tormentis & reliquo apparatu bellico, cum omni classe Christierni tyranni & Severini Norbyi, item omnes possessiones, bona & pecuniæ Gustavi & Erici Trolliorum, Iohannis Bellenachii, & omnium cum Christierno profugorum aut proscriptorum tradantur regi Gustavo in ejus & regni utilitatem. Si quis contra fecerit, jure mulctetur.* Cum regis Christierni ducibus ac tribunis ita transactum est: *Cum omnibus ministris & militibus suis cujuscunque gentis, cum suis opibus, suppellectile & sarcinis innoxiè abeant, &*

deducantur neceſſariis navigiis & commeatu Lubecam, VVismariam, aliaque loca ipſis commoda. Sub fide juramenti & exiſtimationis ſuæ adverſus Sveciæ regnum, Lubecam civitatem ejusve confœderatos intra bimeſtre clam vel palam ſtipendia non mereant. Si quis cujuſcunque conditionis aliena auferat, capite & bonorum publicatione plectatur. His conditionibus Holmia regi Guſtavo tradebatur, arcis præfecto Petro Duro conſtituto. Pridie feſti S. Iohannis Baptiſtæ Guſtavus per auſtralem portam urbis ſolenni pompa ingreſſus, omniumque applauſu ac lætitia exceptus, rex Svecorum & Gothorum ab univerſo populo ſalutatur. Proximis diebus Lubecenſes ſollicitant & flagitant præſentem æris alieni ſolutionem pro commeatu, milite, claſſe, armis, quæ regi ſuppetias miſerant; aut illa ceſſante, privilegiorum & pactorum ab ipſis conſcriptorum confirmationem. Quæ licet Lubecæ & Dantiſco in rem ſuum opportunè agentibus ingenti futura eſſent emolumento, ſed Sveciæ domeſticis commodis adverſa; tamen, quum Guſtavus, exhauſto continentibus bellis & Chriſtierni expilatione regni ærario, ſtatim repræſentare debitam pecuniam non poſſet, & beneficiorum memoria generoſi animi pudorem oneraret, neceſſitati temporis paruit, & definita ſibi à Lubecenſibus privilegia confirmavit. Erant autem ejuſmodi: *Si Lubeca aut Dantiſcum impetantur bello à Rege Daniæ, Regem Guſtavum illis terra marique opitulaturum. Ne pacem vel inducias cum Dano aliove ipſis inconſultis faciat. Occupatis Holmia & Calmarnia merces & bona civium Lubecenſium & Dantiſcanorum, quæ juramento ſua eſſe confirmabunt, ipſis abſque diſpendio reſtituantur, & debita ſolvantur. Detrimentum ipſis à Dano ſortè inferendum rex Guſtavus penſet, ſecundum æſtimationem ſenatus loci, ubi damnum paſsi ſunt. Per regis Guſtavi excubitores in mari, navigationis & commerciorum libertas illis non inhibeatur. Lubecenſium & Dantiſcanorum bona per univerſum Sueciæ regnum ab omni vectigali & onere immunia ſint. Quibus tam liberè inter ſe invicem negociari liceat, atque civibus ipſis. Nec alii peregrinæ nationi concedatur niſi illis hic in regno mercaturam facere, & accolis maris Balthici, quibuſcunque illi hoc permittent. Nec ulli exterorum præter Lubecenſes Gedanenſeſque liceat jus civitatis in Svecia ſibi adquirere,*

vel cum mercibus eò navigare, aut fretum Oresundense vel Baltbicum transire. Petentibus in regno justitia administretur, nec innoxii noxiorum culpam præstent. Regni & civitatum incolis ad se invicem accedere & recedere & commercia exercere communi jure gentium liceat. Merces in regnum invectas præfinito ab incolis pretio vendere, aut invitus ibi relinquere nemo cogatur. Mortuorum in hoc regno bona eorum hæredibus absque jactura restituantur. Naufragorum bona colligantur & extrahantur absque diminutione, excepta operarum mercede. Si nauta, mercatoris minister aut institor merces domini sui lusu, alea, vel alio illicito modo prodigat, vel absque mandato oppigneret aut vendat, dominus recipiat merces apud quemcunque inventas; rei vero corpore & bonis luant. Lubecenses & Dantiscani cum suis sociis hic legitima defensione & jure fruantur: adversantes & lege non contenti non tolerentur. Dissidio inter hoc regnum & dictas civitates orto, quatuor regni & quatuor civitatum senatores Lubecam conveniant, & rem ex æquo ac bono dirimant. Si Lubecenses & Dantiscani plura desideraverint, aut in his capitibus aliquid mutari vel addi voluerint, hoc ipsis integrum erit, omnisque amicitiæ gratia eis in hoc præstabitur. Hæc privilegia confirmabantur & subscribebantut à rege Gustavo & regni Senatu; excepto nobili Finnone Canuto Erici de Lauko, qui ægrè subscribebat, sapienter prævidens, quid mali subsequuturum esset. quod etiam factum est, postquam pecuniâ ex asse solutâ, Lubecenses nihilominus districtè urgebant privilegiorum observationem; quæ res bello inter regem Gustavum & Lubecenses semina postea dedit. Non leve quoque negotium regi fecit dimissio militum Germanicorum, qui non contenti cuprea moneta, solutionem stipendii in argenteis nummis exposulabant. cui commodùm inserviebat tributum argentarium, ab ecclesiis regni primariis collatum. Reliquum agmen unà cum Svecis Erico & Iohanne Flemmingiis commendatum, in Finlandiam additis tormentis campestribus & aliis necessariis, expedivit. Qui fusis hostibus omnem circa deditionem arcesque anno exeunte regis in potestatem redegerunt. Rex inde legatos Canutum Erici, Beronem Nicolai & alios in Muscoviam misit, ad fœdus vel pacem sexaginta annorum tempore Svantonis Sturii MDX. factam, cum Basilio Iohannis Magno Moscorum Duce confirmandam. In comitiis Sudercopensibus

sibus actũ est *de literis Friderici regis Daniæ, quibus ad ordines regni Sueciæ scriptis, ex mente*, ut volebat, *fœderis sub Margareta facti, quo tria borealia regna sub uno capite rege conjungerentur, rex et ius Sueciæ renunciari postulabat. Blekingiã item, & VVikiam in Norvegia repetebat.* Ordines regni respondent Friderico: *Ipsos sancte stare velle semel susceptæ juratæ electioni regis Gustavi, & ut rex Fridericus desisteret proposito affectandi regnum Sueciæ: quod rex Gustavus cum Deo tutaturus esset. Ne itidem sollicitus esset de Blekingia & VVikia, quas rex Gustavus non ipsi sed vero suo hosti Christierno armis ademisset, & jure belli teneret. Antistes Gustavus & pater ejus Ericus Trollius, Holgerus Caroli, & alii Christierni æseclæ, qui solum verterant, pronunciantur hostes patriæ, donec regi regnoque concilientur.* Sed Holgerus deferens partes Christierni, petitis & impetratis fidei pub. literis, rediit in patriam & gratiam, fidus regi regnoque per omnem ætatem civis. Ceterum, *ut in posterum vis & authoritas esset rebus Gustavi, ipso volente, senatus regni suis adprobat literis & assensu omnia consilia & actiones ejus adversus Christiernum alioque regni hostes susceptas ad id, ut in posterum suscipiendas. Literas quoque à rege & senatu regni dari* decernitur *ad Fridericum regem, de dimittendis Stenonis Sturii junioris vidua aliisque matronis & virginibus nobilibus à Christierno in Dania custodiæ datis: hoc argumentum & principium ulterioris amicitiæ fore.* In iisdem comitiis *pretium definitum est extraneis & indigenis mercibus, opificibus & operis: ne pro lubitu ac præter fas id intenderent. Argenti, æris, ferri, salis aliorumque fossilium venas in publicum regni usum scrutaturis, ut promtius indagent, immunitas & præmia promittuntur. Constitutum insuper de exercitus lustratione ex more regni instituenda, certis ei rei dictis moderatoribus.* Episcopus Arhosiensis Petrus Iacobi Synnanvvederus, Canutus ejusdem loci præpositus & Gustavus Trollius calumniarum atque conjurationis in regem Gustavum postulati, criminis læsæ majestatis accusantur, & ab officio removentur. In quorum locum Petrus Magni Româ domum revocatus, & Iohannes Gothus sufficiuntur. Quum Gustavus totam Finlandiam recuperasset, ut ante dictum, & vires ejus non parum invalescerent, Fridericus rex Daniæ verebatur, ne Scaniam ista hyeme Gustavus tentaret; quod tamen in animo non habebat. Nihilominus hoc suspicatus, rem specie colloquii de pacis fœdere interim

trahere consilium ipsi erat, ut ea Gustavi molitiones vel interpellaret, si pax perpetua conveniisset, vel si temporaria, distineret. Eo fine legatos huc Holgerum Gregorii, & Achatium Bragdium mittit, qui mandato exposito confestim cum Gustavo de tempore & loco colloquii agant. Nec id ingratum erat Gustavo, ut eâ viâ siniistræ suspicionis aut adversæ voluntatis sensus tolleretur. Eoque Vadstenis diem comitiis dicit: quo rex, legati & senatus regni conveniunt. Sed ubi legati de Blekingia & VVikia regno Daniæ restituendis agitant, ad quod Sueones haud proclives erant, res irrito incepto in aliud tempus prolata est. Vidua verò Stenonis Sturii junioris cum matre & aliis fœminis nobilibus, ut fidem dederant legati, carcere Danico liberatæ, domum incolumes reverterunt. Post abitum legatorum, in iisdem comitiis decretum est de expeditione Gustavi in Gothlandiam ineunte vere suspicienda, si ea provincia in veterem possessionem regni Suediæ, quo jure pertineret, aliquando redire, & Severini qui tunc nomine Christierni eam ditionem tenebat, in præpedito navigationis & commerciorum istic cursu, machinationes prohiberi possent. Idem Braschius episcopus Lincopensis, cujus non parum intererat Gothlandiam Ostrogothiæ diœcesi sub qua ante fuerat, reddi, maximopere urgebat. Omnes verò pollicebantur, hanc expeditionem adjuturos copiis & pecunia. qui verò mallent pecuniam, quam militem conferre, illis optionem liberam fore, viginti selibris argenti pro quolibet armato milite pendendis. Deniq; actum de moneta argentea cupreæ Christierni ut viliori substituenda: quæ esset commodioris inter indigenas & exteros commercantes usus. Præterquam quod Dani istud æs quadratæ formæ in Dania nuper abrogatum, huc affatim importarant, omnibus locis eo refertis, etiam optimas regni merces, pro exiguo pretio emtas secum extulerunt, Suedis grave æs reliquerunt. Permissum à rege tunc regni senatui Vadstenis officinam monetariam aperire, & propriam cudere monetam, sed
1524. sub nomine regio. Sequenti anno Fredericus rex Daniæ petebat auxilio aliquot copias Calmariæ præsidio impositas à rege Gustavo, ad firmandum suas vires in obsidione Malmogiæ, quâ unà cum Hafnia Christiernus ea tempestate adhuc tenebat. Eas ab Gustavo accepit, illarumque ope Malmogiam

giam expugnavit. Sed illis parum gratiæ relatum: dum in castris male accipiebantur, & domum revocatæ ad expeditionem Gothlandicam à coacto in via Danico agmine pars cædebantur; & reliqui vix evasissent, nisi vim vi opposuissent. Præter hoc regiarum Gustavi naviū aliquot ad Scaniæ oras jactura bona & arma in illis vel distracta erant, vel detenta ab Achatio Bragdio illius provinciæ præfecto. Hanc vicem rependebant regi Gustavo pro ope illis lata. Proinde Gustavus datis ad Fridericum literis, *serio increpabat hujus facti authores, eosque ex merito plecti, sibique suum restitui desiderabat: ne hoc offensionis & discordiæ causam præberet; quum tamen Gustavus nollet aliud quam quod faceret ad bonæ vicinitatis, amicitiæ & pacis conservationem.* Quod ipsa etiā re ostendebat, dum eum instructa classe decem navium ad occupandam Bornholmiam, uti petierat, adjuvit. Comitia Ienecöpensia, frustra eò exspectatis Danicis legatis & dilationem ob comitia Hafniæ eodem tempore indicta desiderantibus, non processerunt. Mox etiam allatæ Friderici regis & Senatus Danici literę ad regem Gustavum & senatum Sueticum: quæ significabant *de comitiis proximo die Pentecostes inter duos reges & senatum Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ, ut & Vandalicas civitates, habendis, in quibus ageretur de trium horum regnorum negotiis, commodis & prosperitate. Vt hæc tria regna & Vandalicæ civitates se adversus omnes rerum casus mutuo fœdere & pace velut communi salutis præsidio munirent. Ideò rex Fridericus amicè rogabat regem Gustavum istis comitiis dicto die & loco haud gravatim interesse; vel si rex ipse advenire nequeat, quatuor aut sex ex senatu plenis mandatis instructos huc mittere ad peragendum, quæ è're trium regnorum & Vandalicarum civitatum essent.* Ad has literas Gustavus nihil aliud respondebat, *quam simulac à Lubecensibus accepisset, num illi ad hæc comitia visere constituerint, se mentem suam de illis ulterius explicaturum. Sibi tamen mirum ac insolens accidere, quod rex Fridericus hujusmodi comitia ediceret, quæ ad tria hæc regna spectarent, antequam cum singulis de iis egisset aut convenisset, uti par erat. Quam parum ex dignitate & securitate Gustavi futurum esset, in alienum se conferre regnum, ad hujusmodi postulata, cuivis facile dijudicatu fore: præsertim quum Dani aperto Sueonum hosti Severino Norbyo Gothlandiam tunc obtinenti, clam suppetias submisissent sex navigia commeatu onusta, quorum duo à Bernhardo Mylio nuper intercepta essent, reliquæ evasissent. Vnde satis posset colligere, quid fiduciæ in Danis ponendum*

dum esset: quamvis illi hoc dissimularent. Sed reapse hoc agebant, ut Gustavum hac mora distringerent ejusque expeditionem in Gothlandiam, donec æstas rebus gerendis aptior defluxisset; velut in hieme factum erat dilatione comitiorum Iönecopensium. Severinus Norbyus autem nec in regis Sueciæ Gustavi, nec in Friderici regis Daniæ partibus, pro Christierno Gothlandiam tueri ferebat: evulgatâ sua moneta, cujus uno latere ejus nomen, altero Gothlandorum insigne, agnus cum vexillo, exstabat. Quum armata classe & celocibus bene instructus esset, mare Balthicum piratica infestum habebat, *hoc optimum vitæ suæ oblectamentum esse* jactans: *mercatorum sarcinas & merces excutere, odoremque ex aromatum sacculis spirantem naribus haurire.* Nemini parcebat, sive Belga, sive Scotus, Anglus aut VVestphalus esset. Maximè tamen Lubecensibus insidiabatur. Omnem prædam in urbem VVisbyensem devehens, dimidium inter milites suos distribuebat, reliquum sibi retinebat. Vnde civitas pannis, aromatibus, vino, cerevisia, cupro, ferro, sale redundans insigniter quæstum suum exercebat; mercatoribus exteris contra magno detrimento affectis, qui nil nisi vacuas naves sed plenos mærore animos domum reducebant; etiam cum probro dimissi, jussique cumulatius redire. Lubecenses hoc ægerrimè habebat; nec tamen ausi per se soli contra Severinum arma ad ulciscendum istas rapinas eo tempore sumere: quod suis viribus & confœderatorum animis non satis fiderent; Severini verò potentiam & astus reformidarent. Vt autem Gustavum regem adversus eum concitarent, miserunt legatum suum Hermannum Israelem in Sueciam, qui fuse blandeque *Regem & senatores ad eripiendam isti piratæ Gothlandiam, & regno Sueciæ, quo antiquitus pertineret, hac opportunitate recuperandam hortabatur. Suos cives & senatum cum Friderico rege Daniæ quoque egisse, ut istam Severini insolentiam & vim in mari cohiberet. Fridericum etiam literis hominem monuisse, tantam vim abstinere. Sed Severinum ejus interdictum nihili fecisse, omnibusque infestum esse pergere.* Ceterum Gustavus *rem illam non tam inceptu facilem esse, ut videretur*, respondebat: *quum regnum Sueciæ superioris belli sumtibus exhaustum, & ingenti ære alieno Lubecensibus obstrictum esset, prudentiæ non fore, novo se implicare bello, antequam difficultates istas superasset. Nec ita respicien-*

dam

dam esse Gothlandiam, ut in discrimen amittendæ Sueciæ deveniatur. Certe non aliter posse, quin ex hoc bello nova odii & gravis inimicitiæ inter duo regna materies exsurgat: quippe Danis certam Gothlandiæ possessionem, nec incerto injustove, ut sibi persuaderent, titulo tenentibus. Si vero Dani, variante belli fortuna, Suecis eriperent Gothlandiam, se ignorare quinam belli expensas ei refusuri essent. Ad istæc Hermannus: Si regi placeat hoc bellum Gothlandicum capessere, senatum populumque Lubecensem æris alieni solvendi dilationem in multos annos, & quidem absque ullis usuris æquo animo toleraturum esse. Si verò rex filiam Friderici regis Daniæ uxorem expetat, Lubecenses has ei nuptias conciliaturos & ut dotis nomine Gothlandiam accipiat effecturos: uti jam inter Fridericum & Lubecenses ea de re convenisset. At si periculum amittendæ istius provinciæ præter exspectationem interveniat, dimidias belli impensas præstituros, nec unquam commissuros, ut ista res ei fraudi sit. Omni denique ope connisuros, ut Gothlandia Severino ademta in Sueonum potestatem redeat. Gustavus reponit: Si hæ conditiones quas obtulisset, ratæ haberentur, & literæ ac data fides (quæ in hoc captioso & fallaci mundo sæpe proh nefas! violentur) ab illis quorum interesset, confirmarentur & servarentur, se pro virili quod posset facturum. Hoc audito Hermannus proferebat literas fiduciæ, & sanctè adfirmabat jurabatque omnia quæ nomine jussuque magistratus sui promisisset, firma ac rata habitum iri. Atque si vel minimum eorum haud impleatur, se huc reversurum & in custodia regis fore. Nihilominus Gustavus ad aliquot dies spatium deliberandi sumit, antequam tanti momenti rem aggrediatur. Quum tamen antea in comitiis Vadstenensibus ex usu regni visum fuerat esse, & decretum de Gothlandia armis repetenda ac Severini insolentia reprimenda, tandem rex consensit: licet animo præsentiret, nec ipse verbis dissimularet, hoc inceptum parum feliciter eventurum regno Sueciæ, sed ipsi incommodo, oneri & sumtui futurum, quod etiam accidit. Insuper Gustavus metuebat, ne fieret, quod habet tritum sermone proverbium, ut, quum duo canes de uno osse contendunt, tertius superveniens illud abriperet. Ita quoque fecere Dani de Gothlandia, ut postea memorabitur. Ex convento & decreto priori rex ad bellum ilud se parabat, conflata sibi pecunia, ubi ærarium non sufficiebat, ex propria supp elle-

pellectile argentea; milite, commeatu, & classe bene instructis: cui præponebat Bernhardum â Mylen. Rex ipse cum classe solvebat Holmia, petebatque Calmariam; ubi præstolabatur adhuc aliam classem ex Finnonia, Lubecensem ex Germania. Vespera Pentecostes tota classis conjuncta excurrit Calmaria in Gothlandiam: ubi exscensione facta selectus miles universam istam provinciam occupat, arce & urbe VVisbya exceptis, quam ad duos menses arctè terra marique obsidebat. Eam postea duo sacerdotes ex Suecia oriundi Augustinus in Marteboo & Petrus in Cutemo tentabant prodere Suedis. Sed re detecta in vincula dati sunt, ut fame enecarentur. A Lubecensibus urbe postea potitis liberabantur. Dum Gustavus Calmariæ subsistens expedit agmina sua in Gothlandiam, iterum à Friderico rege Daniæ asseruntur literæ, in quibus excusat dilata comitia Hafniensia, ob convetum Hamburgi instituendum in diem Iohannis Baptistæ. Sed cum rex Gustavus parum tunc spei haberet de amica inter se & Danos compositione, qui Severino clam suppetias ferrent, non ei animus erat istæc comitia per se aut legatos hac vice adire. Verùm literis Lubecensium edoctus, illos Thomam à VVichten & Bernhardum Bonchavverum eo civitatum nomine missuros, per literas rogat, dicto die huc Ienecopiam ad se colloquii causa excurrere. Rex Gustavus eodem cum senatu venit. Et paulò post duo legati Daniæ Albertus Iacobi & Axelius Bragdius, in quorum comitatu erant Vandalicarum civitatum oratores Bernhardus senator Rostochiensis, Nicolaus Smiterlovvius consul Stralsundensis, qui à regis Friderici coronatione die S. Laurentii Hafniæ habita huc accessere, omnes efflagitantes, ut placeret regi Gustavo ad amicum venire congressum cum rege Friderico & regni senatu legatisq; Vandalicarū civitatum Hafniam aut Malmogiam. Isti oratores summam conferebant operam ad omnes suspicionis & diffidentiæ causas à radice, si possint, exscindendas, eoque majori fructu stabilem amicitiam inter regem Gustavum & Fridericum instaurandam; inprimis ut fœdus inter hæc tria regna & Vandalicas civitates iceretur: quo junctis viribus animisque ad Christierni ejusque sociorum hostium communium vim arcendam pares essent. Sed Dani *hoc fieri non posse existimabant,*

bant, nisi rex Gustavus soluta obsidione urbis Visbyensis revocaret inde militem, & restitueret Blekingiam & VVikiam Daniæ & Norvegiæ coronæ. Quod si nollet, cogi Friderícum & Danos succurrere Severino Norbyo in Gothlandia: quandoquidem ille renunciata fide Christierno, Friderico fidem & obsequium jurasset, & VVisbyam pro eo tutaretur. Sueci respondent: *Hæc non facere ad amicam transactionem & conventum, uti desideratum fuerat. Nec tam facile eos posse dimittere provincias armis hosti ereptas, nec solvere obsidionem magnis impensis factam, intuitu boni pub. tam regni Daniæ & Vandalicarum civitatum, quam regni Sueciæ. Quippe Severinum non leve indies damnum adferre Suecis, Danis & civitatibus ex nido suo VVisbyensi, prædationum ejus receptaculo. Sed & Gothlandiam ad Sueciæ coronam pertinere, licet ad tempus inde alienata & vi possessa fuerit. Atque si fovente fortuna eam rex Gustavus recuperarit, non detrectare jure cum rege Daniæ de ea experiri.* Quamvis autem civitatum oratores multum laborarent, ut Blekingia & VVikia Danis restituerentur, & obsidio tolleretur, uti Dani avebant, nihil tamen effecere. Sed res ex consilii sententia in conventum Malmogiensem Kal. septemb. instituendum rejecta est. Sic imperfecto negotio & dissoluto congressu, Danici & Germani legati Ienecopia in Daniam revertebantur. Circa idem tempus ex Germania Ienecopiam advenit Iohannes Comes Hojensis, qui Gustavi animum ita sibi conciliabat, ut fide prius jurata rex ei arcem Gothiæ orientalis Stegeburgum clientelæ jure ad vitæ tempus concederet, sororemque suam Margaretam Ioachimo Braheo antea nuptam, viduam ei in matrimonium promitteret. Quum, uti desiderarat à Danis, cautum esset Gustavi securitati datis obsidibus & fidei publicæ literis, ea fuit regis modestia, pacis & amicitiæ studium, ut Malmogiam in litore Daniæ sitam ipse ex convento ire non inferius se duceret, comitibus Thurone Iohannis, Laurentio Siggonis, M. Laurentio cancellario, aliisque nonnullis ex senatu. In via sæpe monuit rex Thuronem, ut, tanquam princeps procerum & sapientissimus, cautè, fortiter & ex fide in jure Sueciæ de Gothlandia tutando versaretur. Quod se sedulò facturum promitebat. Sed simulac rex advenerat Malmogiam, Dani hanc artem Thurone os occludendi re-

percerunt, ut ipsi clam per suos denunciarent, se omnibus suis in Dania & Norvegia possessionibus hæreditariis devolutum iri, si multum niteretur pro Gustavo & Suecis in propugnando jure Gothlandiæ. Quum ergo conventus initium in æde sacra faciendum, & post amicas salutationes res ipsa tractanda esset, Thuro verba pro suo rege facturus, præ tussi ac raucitate vocis viam, uti præ se ferebat, obstruente, velut obmutuit. Equidem ubi respectus rerum privatarum obsidere cæpit animos, malunt publico quam sibi decesse metusque proprii damni aut periculi linguam & mentem sæpe claudit. licet ille se bonum civem profiteretur. Itaque ejus vicem regis Cancellarius loquebatur, cujus sermonem rex ipse postea excepit. Inde authoritate & canitie venerandus rêgni Daniæ senator Andreas Bildius, petita dicendi facultate, sic orsus est: *Vos Serenissimi Reges & ceteri proceres, si verum fateri velitis, haud inficias ire poteritis, vobis isthæc antiqua regnorum negotia, præsertim de Gothlandia parum comperta esse. Viri enim juvenes omnes estis, qui non longe retrò meministis. Noster rex Fridericus in Holsatia educatus, non diu in hoc regno ætatem egit; ideoque harum rerum vel exiguam vel nullam habet cognitionem. Nec rex Sueciæ Gustavus istorum scientem esse potest; quum adhuc sit juvenilis ætatis. Sanè pro vero adfirmaverim, neminem hic adesse, cui rectius hæc perspecta sint, quam Turoni Ioannis & mihi.* Rex statim interpellans ait: *Quid ais Andrea, & quid hoc colore uteris? Iuvenis diligenter scisitando tam ad præterita redire, quam senex ea comperiendo & memoriâ consequi potest.* Quo responso consternatus Andreas, non habebat quod regereret. Inde disceptatum acriter est de iure Gothlandiæ, quod Fridericus à se rejecit, ut parum ejus prudens. Quamvis autem Sueci literis aliisque documentis adsererent Gothlandiam verum esse Sueciæ membrum, & proprietatis jus ipsis competere, tamen frustra nulloque profectu disceptarunt, neutris cedere volentibus. Itaque hoc tempore sic convenit, *ut Gustavus nec minus Severinus exercitu suo Gothlandiam vacuefaceret, & juris in eam ut & Wisbiam decisio hactenus indefinita delectis Vandalicarum civitatum arbitris eorumque judicio anno proximo Lubecæ committeretur. Res interim utrique in integro esset, & securitas à Severini prædationibus omnibus quorum interesset, & compensandi damni cautio fieret.*

Quod

Quod decreto Malmogiensi ulterius declaratum est. Fœdus item inter duos reges Suecorum & Danorum ictum *de communi regnorum salute tuenda, & Christierno exule junctis viribus excludendo. Vt regna suos limites, uti hactenus, tenerent. Vt Blekingia Daniæ restitueretur, cives utriusque regni solita commercia & amicitiam colerent, hostes & transfugæ non receptarentur. Vt cujusvis regni nobilibus prædia & possessiones in hoc vel illo regno justè adquisitæ, nec à majoribus alienatæ, incolumes essent. Quicunque regum Calendis Septemb. occuparet arcem & urbem Wisbyensem, retineret eam usque ad ulteriorem decisionem arbitrorum Lubecæ instituendam;* & quæ plura hujusmodi erant. *Si quis contrahæc pacta faceret, centum mille aureorum mulcta plecteretur.* Hac captiosa transactione Gustavus Gothlandiâ tantū non exutus est. Lubecenses enim qui ante præcipui authores fuerant Gustavo obsidendi Severinum in Gothlandia, iidem nunc adjutores fuere, vt ea obsidio solveretur illis conditionibus quibus postea non parebant. Nec semel ante compertum, Danos Gothlandiam conventu, pactis aut sententia non dimittere. Proinde opera sumtuque itineris incassum impensis, Gustavus ob perfidiam Bernhardi à Mylen & Severini clandestinas cum eo molitiones, postea propriam arcem Calmariam expugnare & præfectorum ab hoste corruptorum manibus vi extorquere, cum non exigua suorum jactura, necesse habuit, ut suo loco dicetur. Quum rex indignabundus excederet curia Malmogiensi, in via stantem Hermannum Isralem, qui huc à Lubecensibus missus egerat cum Gustavo de suscipiendo bello Gothlandico, conspicatus & severè alloquutus, quærit ex eo: *ubi nunc amplissimorum promissorum fides esset, quam literis fiduciæ, gravibus diris caput suum devovendo & fide juramenti firmatum iviset? ubi nunc refusio sumtuum belli Gothlandici, & dos apparerent, cujus spem ipsi ostendisset? pœnas aliquando hujus perfidiæ daturum.* Et ira percitus arrepto pugione rex eum percutere minabatur. Sed cancellarius & alii comitantes prohibuere, ne manus ei inferret. Hermannus muliebri fletu contestabatur, *se culpam hujus rei præstare non posse, nec quid vellent aut nollent Lubecenses, in sua manu esse.* Rex inde Malmogia domum discedit, Deo gratias agens quod incolumis in regnum rediisset, sanctèque adseverans, se nunquam in posterum pedem

extra regni fines moturum. Indictis Vadstenensibus comitiis, rex exponi jubet *quid in Dania actum & Malmogiæ decretum, & quomodo id pacis & concordiæ tuendæ causa à Suecis implendum sit*, una cum aliis regni negotiis cum Senatu pertractandis. Re consultata, visum est, *ad destinatum istic conventum mittere Iohannem Hoiensem comitem & Iohannem Gothum præsulem Upsaliensem. Et quum in eo conventu ex pacto agitandum esset de Gothlandia, Wikia & Blekingia, conquirendas esse ex omnibus arcibus, templis & cœnobiis antiquas literas, instrumenta & documenta, quotquot de illis invenire possent: quibus juris sui in istas provincias fidem adstruerent.* In iisdem comitiis actum est *de regis coronatione & nuptiis; ita ut omnibus è re videretur quam primum inaugurari regem, ob varias causas, & ut hoc honorificarum nuptiarum non leve momentum esset. Interea regem secum meditari posse, ad cujus nuptias animum ex usu regni applicaturus esset. Sibi tamen haud alienum videri, cum exteris consuetudinem & arctius vinculum, quoad ejus fieri posset, minus contrahi propter incommoda non semel inde regno suborta.* Quia verò rex, priusquam ad coronationem aut nuptias accederet, certus esse volebat de potestate administrandi secundum leges bona regni & beneficia fiduciaria dispensandi, ea de re consuluit illos. Responderunt ordines: *Neminem aliter affirmare posse, quin regi plena potestas esset ex lege regni regendi provincias, arces & castella, dispensandique regni opes. Ideoque curaret inquiri, & in rationarium referri omnes regni proventus ac reditus, item numerum prædiorum coronæ, nobilium & subditorum cujusliber territorii: ut inde rex omnes coronæ fructus, & quid ei proprium, quid minus esset, in numerato haberet, & liquidius dignoscere posset.* Exquisivit insuper rex, *num ordines comitem Hoiensem in regno ferre possent, antequam ejus nuptiæ cum sorore regia ratæ fierent; & ut ipsi clientelæ jure aliquod castellum concederetur: quod, quum de regno rex bene meritus esset, ipsis haud invitis fore* credebat. Ordines reposuerunt: *quamvis leges regni alienigenas ad Senatoriam dignitatem aut provinciam vel arcem administrandam admitti vetarent: non tamen ipsis nolentibus, meritorum regiorum existimatione, fore, ut Comiti de beneficio regni dignè prospiceretur; nec se dubitare, quin rex sibi tam ab ipso quam aliis de fidelitate satisdari faciat: ne Suecis usveniat, quod sæpius antea, si regi quid accideret. Providendum quoque ne plures extranei in regnum spe clarorum conjugiorum aut majorum*

possessio-

possessionum allectarentur; ut invidiæ ac motuum irritamentis. Tandem in dictis comitiis decretum est; *ut judices provinciales ac territoriales observarent præfinitos dies, quibus jus ab illis dicendum esset, nec eam rem neglectui haberent. Si qui deficerent in isto munere, legum prudentes esse sufficiendos: ut rex parcius tot querelis & supplicationibus obtunderetur. Nullius actionem esse admittendam, nisi qui legitimè ad regem regnive senatum provocasset. Vt prætoribus interdiceretur mercatura, nec permitterent eam à quoquam alio vicatim fieri, sub definita mulcta. Vt omnes solutæ personæ & opifices in urbem cogerentur, nec ruri cuiquam opificium suum, nisi qui lege diserte exceptus esset, exercere permitteretur.* Antea memoratum est, quomodo Gustavi exercitus sub ejus ditionem redegerit universam Gothlandiam, excepta urbe & arce VVisbyensi, arctè tamen terra marique circumsessa. Quod maritimæ urbes lætis animis acceptantes, commeatu juvere milites. Eorum dux Bernhardus à Mylen duobus primis mensibus officii sui partes masculè & fideliter implevit, hostem effusum aliquoties haud cladis expertem depulit. Sed postea mutavit mentem, incertum cujus instinctu, quidam hoc uxoris impulsu factum volebant: uti solet iste sexus, si ambitiosus aut avarus sit, animum mariti suis delinimentis avertere. Sanè hæc mutatio statim ab ejus accessu in Gothlandiam accidit. Deinde Severini Norbyi dolosis pactis & ingentibus promissis corruptus inducias cum hoste facere, conviviis indulgere, pro Severini infante ex concubina in baptismo spondere; clam cum ipso in fraudem regis & Sueonum conspirare. Simul enim urbe excesserat, inducias cum Severino solvebat, inscio & incauto milite; ita ut Severinus excursione facta cederet militem in suis castris, antequam arma adversa caperet. Vnde quid Bernhardus molitus esset, facile sentiebant: quæ perfidia pessimè habebat Suecos, eamq; regi per literas indicare constituerant. Sed Bernhardus insidiosè præpediebat, eis persuadens fore ut Severinus arcem urbemque propediem traderet. Caussam verò brevis moræ nullam aliam esse, quam quod inter ipsos de conditionibus nondum convenire posset. Interea Friderici regis Daniæ legati ad Severinum, ut neutiquam arcem & urbem in Sueonum manus tradat, hortentur; sed nectere moras, donec ei Dani capitulantes, coronæ Danicæ illam subjicerent. Ingentia etiam beneficia aureique montes ipsi promittebantur, si eorum desiderio satisfacere, eisque & patriæ suæ fidus

esse pergeret. Ei rei Severinus non alienus, per Ottonem Andreæ Vlfeldium in regis Friderici fidem se permittebat. Post paucos dies adveniunt aliquot regni Daniæ proceres in Gothlandiam à Friderico emissi, qui cum præfecto classis Bernhardo & Suecis blandè sed astuto pectore agunt, & *pacem inter duos reges factam à Suecis violatam contendunt: quod armis Gothlandiam incursassent. Sueonibus domum esse revertendum, donec res juris disceptatione vel amica compositione Lubecæ ex utriusque regis placito discreta esset.* Horum sententiæ classis præfectus inconsulto rege subscribens, instante hyeme cum exercitu suo ex insula decedit. Ipse verò non ausus regi se sistere, quippe sibi malè conscius, Calmariam, cujus præfecturam tunc à rege Gustavo habebat, abit eamque communit. Vnde quid animi ipsi esset, in proclivi erat divinare. Severinus autem regis Friderici legatis, conditionibus utrinque conventis & ratis habitis urbem & Gothlandiam tradit, & cum suis thesauris in Daniam se recipit. At Fridericus arci VVisbyensi Henningum ab Alefeld præficit. Hoc eodem anno rex Gustavus arduum & salutare reformandi ecclesias in suo regno, & religionem traditionibus humanis & superstitionibus corruptam, emendandi consilium cepit, amore cœlestis veritatis ipsi divinitus inspirato; & Suecorum ecclesiæ doctorum Laurentii & Olai Petri fratrum Lutheri ac Melanchthonis discipulorum, & Laurentii Andreæ cancellarii aliorumque fida institutione confirmatus, à se & sua orsus aula, primus Evangelicam doctrinam amplectitur. Hac verbi divini luce per meram Dei benignitatem accensa non solùm tenebræ dispellebantur, sed & ipse rex ac postea subditi ejus exemplo rectius edocti, in veram salutis viam ducebantur: frustra renitentibus & reclamantibus episcopis & doctoribus, Pontificiæ religioni addictis, præsertim Iohanne Gotho præsule Vpsalensi, Iohanne Braschio episcopo Lincopensi, & Petro Gallo professore Theologo. Sed & plebs ab illis concitata, novam fidem aut hæresin intrudi, clamabat. Quæ quum in historia Ecclesiastica Sucogothica Baazii fusius descripta sint, eo lectorem remitto. Fanatici quoque doctores Anabaptistæ, quorum principes erant Melchior Ringius & Cnipperus Dollingius ex Germania cum Hollandicis navibus huc traicientes, Holmiæ ecclesiam

clesiam turbabant. Sed mox rege ex Dania reduce, compressi & ex regno proscripti sunt: de quo motu eadem historia Ecclesiastica fusius agit. Petrus Iacobi Synnanvvedenus & Canutus, ille episcopus, hic præpositus olim Arhosiensis, antea ob sua facinora exterminati, redierunt in Sueciam & Dalecarlos ad seditionem commoverunt, obtentu quasi rex Gustavum Trollium, hostem suum & patriæ, ad pristinam dignitatem restituturus esset. Ob has & alias causas Gustavus revocato Holmiam regni senatu, ostendit istos proditores ex mera calumnia ipsum traduxisse, & studio res novandi turbandique populum ad motus excitasse. Quamvis autem rex malo avertendo Dalecarlos literis monuisset, *ut hos perfidos audire nolint, sed aliquot ex suis sub fide pub. illis danda ad se mittant, qui quid rex contra illos aut illi contra regem habeant, coram explorare possint*, tamen dicto minus audientes erant. Sed & regni senatus ad populum Dalecarlensem scripsit, graviter adhortatus, *ne in suis oris ferrent discordiæ & seditionis authores: unde sibi ipsis malum & perniciem facile creare possent; sed in fide erga legitimum suum regem constanter manerent. Si secus facerent, nullam favoris aut defensionis spem de regni proceribus sibi promitterent, sed severam & factis suis dignam animadversionem opperirentur.* His motibus & illud accedebat, quod Gustavus ex fide dignorum fama & literis acceperat, Christiernum omnibus suis viribus eniti, ut ope Cæsaris & aliorum amicorum in hæc tria regna reponeretur; quæ sæva pestis si rediisset, omnia funditus evertisset. Proinde rex non potuit dimittere exercitum, sed augere ad necessariam regni defensionem necessum habuit. Regni autem fructus, tuendis belli subsidiis designati, non parum imminuti erant, argentariis & ærariis fecturis per diuturnos intra patriam motus & bella otiosè jacentibus. Itaque ad solitum exhausti ærarii refugium, nova tributa decursum est. Sed quum veteribus multum gravati subditi, novis non sufficerent; tandem visum est cum minori onere populi fore, si necessitate sic imperante unius anni decimæ ecclesiasticæ vel duæ earum partes in usum publicum converterentur; reliquus triens ministrorum ecclesiæ salariis servaretur. Bernhardo à Mylen Calmaria ad regem evocato & jusso eam regi tradere mittitur Nicolaus

Erici, qui in fidem nomine regis accipiat. Sed frater ejus Henricus à Mylen id recusavit, donec Bernhardus pristinæ securitati redditus esset. Rex non parum ira concitus, se à suis ministris in ordinem redigi, jubet per literas & tandem ipsum Bernhardum & Ioannem Olai eo missos permittere arcem & urbem fidei Nicolai Erici, aut malè mulctari. Sed surdo narratur fabula. Proinde ipse Bernhardus rogans intromitti in arcem specie tractandi cum fratre de arcis deditione & mox inde revertendi, ægrè hoc à Nicolao Erici contra regis interdictum, tandem tamen interpositis sponsoribus, obtinuit. Ex arce rediens milites ait obfirmasse animum de non eâ dedenda, prius quam ipse in integrum restitutus esset; se tamen adhuc semel admitti ad colloquium in arcem rogat, sedulo laboraturus ut eorum animos expugnare possit, & intra quinque horas sub data fide rediturus. Nicolaus semel ab ipso servata revertendi fide & sponsoribus datis securior factus, locum dat ejus petitioni. Admissus in arcem, eam milite ex Oelandia nocturnam accito firmat, & sequenti die castro egreditur, idex promisso quasi dediturus, & in urbem ad Nicolaum Erici rediturus. Sed vix in pontem arcis descenderat, quum milites eum subsequuti, simulata vi retrahunt; quasi dolo dissolveretur perjurium; posteraque nocte quæ erat prima Pentecostes, arce effusi in urbem, Nicolai Erici domum & ejus bona diripiunt, ipso nudo vix fuga elapso; quatuordecim cives cædunt, quosdam in arcem captivos abripiunt. Inde fidei juramentum ab omnibus in Smalandia militibus exigit Bernhardus, & ut sibi sub eadem fide servent arcem Calmariam, quam à rege Gustavo sibi suæque uxori loco dotis donatam fingebat; nec ulli hominum, ne quidem ipsi regi tradant, priusquam ex Germania redeat. Hoc jusiurandum ei temere milites præstant, parum memores aut observantes arctioris vinculi, nimirum religionis ac fidei regi juramento antea devinctæ: quæ semel data sanctè servanda erat. Cum idem à senatu populoque Calmariensi postulasset, illi recusarunt. Tandem Bernhardus cum fratre & uxore, convasatis auro, argento aliisque alicuius pretii, relicto arcis præfecto Henrico Iura & Nicolao Stenonis, abit in Germaniam animo sibi quærendi vires apud Albertum ducem Mechleburgen-

sem

sem alioſque, ad arcem ulterius communiendam & reſervandam Chriſtierno. Hanc perfidiam Bernhardi rex admodum offenſo tulit animo. Nec id mirum: quum ante alios, etiam indigenas, à rege elatus, exercitus & arcium præfecturæ & honorato conjugio ornatus, aliiſque præmiis cumulatus tam indignam ei referret gratiam. Ipſe rex cum delecto agmine Calmariam profectus, in obſequio fidos & conſtantes deprehendit cives: qui ſtatim ipſi urbem aperuerunt, & regem, uti par erat, honorificè exceperunt. Dum ille cum ſuis circumequitat arcem, experturus quid moliantur præſidiarii milites, quidam ſenecio calvaſter ſclopetarius, Arvidi VVeſtrogothi, regem eſſe ratus, femur transverberat. De iſto ſclopetario fama vulgarat ſe diabolo mancipaſſe, ut certo ſemper & deſtinato ictu feriret, quemcunque glande plumbea petiturus eſſet. Rex in arcem mittit qui ejus nomine imperet militibus deditionem. Illi reſpondent: *ſe nullum alium dominum præter Bernhardum à Mylen agnoſcere, & malle ultima pati, quam arcem alii dedere.* Proinde rex nullam aliam quam vi occupandi arcem viam videns, munimentis inter cœnobium & arcem exſtructis, eam tormentis graviter quatit & oppugnat. Primum impetum aggredientium ita exceperunt obſeſſi, ut continenti jaculorum & ſaxorum grandine obſidentes depellerent. Rex oppugnantium velut ignaviam increpans, ipſe armis indutus, *vel arcem ſe expugnaturum, vel vitam profuſurum*, ait. Sed rogant regem, *ſuæ ſaluti conſuleret, nec iſtam dedecoris notam illis inureret, ut inſtar gregarii militis ipſe oppugnationi miſceatur, & præſenti periculo tantum caput objiceret. Se pro virili dimicaturos, etiamſi omnibus occumbendum ſit.* Rex laudata animorum promtitudine, muros arcis ad ſeptentrionem tentare jubet. Secundus impetus verè virorum & tam ardens conflictus fuit, ut prius vita quam vallo cederent, & ex quadringentis ſclopetariis tantum quatuor, ex Petri Fredagii agmine nemo evaderet. quin ipſi agminum duces Petrus Fredagius & Iohannes Petri aliique cadebant. Hac tot fortium virorū clade rex ita affectus eſt, ut etiam lacrymis teſtatus dolorem, ſtatim receptui cani juberet. Sed & præceps in noctē dies ulteriorē oppugnationē vetabat. Obſeſſorū dimidia pars obtruncata, reliqui ſaucii, minima pars intacta cæde aut vulnere ſuit. Obſeſſi ad tam paucos redacti,

ideoque desperantes ulterius arcem tueri, postero die certis conditionibus paciſci quærunt. Sed rex spretis conditionibus infidos & pertinaces se victoris arbitrio permittere jubet: quod ubi fecere, plerique ultimo supplicio afficiuntur. Ita vi receptam arcem committit fidei Arvidi VVestgothi. Calmariæ tamen recuperatæ fortunam aliquantum trubabat navis tormentis & insigni apparatu bellico onustæ jactura, & incendium arcis Stocholmensis, qua deflagravit regium conclave & argentea suppellex. Severinus Norbyus adhuc Gothlandiæ incubabat & pro lubitu dominabatur, nulla habita ratione pactorum Malmöensium. Non tamen aliter adsimulabat, quam se paratum esse de Gothlandia cum rege Gustavo transigere, & in Sueciæ regno fortunarum sedem figere, si sibi commodus in Finnonia locus daretur. Sed rex facile ejus machinationes advertebat: se, si hic admitteretur, nihil nisi discordiam inter Suecos, Danos, & Germanos excitaturum; & plebem, præsentibus vitæ commodis sua plerumque metiri suetam, in factiones scissurum. quippe multitudini jam per suos emissarios clam insusurrari curarat, si ipse rerū potiretur, effecturum, ut minoris pretii essent sal, lupulus saliętarius, eorumque uberior copia quam unquam antea fuisset. Eo enim tempore magna annonæ caritas erat, præsertim salis tam in Germania quam Suecia, propter bellum inter Carolum V. imperatorem, & Franciscum I. regem Galliæ, qui hoc anno à Cæsare in captivitatem redactus erat. Vt levato velo proderet animum sublimia spirantem, cæpit Severinus ambire nuptias Christinæ Stenonis Sturii junioris viduæ, spe magnæ fortunæ ipsi liberisque ejus factæ; quibus promissis fermè circumventa non absque motus periculo fuisset. Supra isthæc clam conspirat cum Bernhardo â Mylen, quum adhuc arcem Calmariam teneret, ut ante suo loco dictum; & cum Petro Synnanvvedero ad Dalecarlos profugo aliisque. Vt regem Gustavum apud peregrinos suspectum & invisum redderet, vano rumore differebat, quasi rex cum ipso fœdus adversus Danos & Germanos feciſſet. Ea causa rex Iohannem Thuronis & Iustum Quaditium ad Fridericum regem Daniæ & Lubecenses mittebat, ad se purgandum, & explorandum eorum animos de conventu Malmogiensi proxima æstate Lubecæ habendo; & num rex ob alias occupa-

tiones

riones regni eo eximi non posset. Ad consultandum de his & aliis regni negotiis Arbogæ, & inde ob incendium urbis Arhosiæ senatum & ordines convocat. In horum conventu rex graviter expostulabat *de variis calumniis & mendaciis inter plebem de se disseminatis & scelerate confictis, ut & de tentatis in caput suum insidiosis machinationibus à Severino Norbyo, Petro Synnanwedero, M. Canuto & aliis proditoribus; qui motus in regno & seditiones ciere, & per eas regem emovere regno conarentur.* Significabat itidem, *si quid esset quod in ejus imperio desideraretur aut displiceret ordinibus, se paratum esse sponte imperium deponere: ne respub. per ipsum quid incommodi pateretur.* Ordines regni precabantur à rege, *ne imperium & ipsos destituere, sed, ut hactenus, eis præesse vellet. Omnes agnituros & veneraturos regem, qualem Strengnesiæ elegissent; cui fidem & obsequium, vitam & spiritum omniaque quæ posiderent consecrare promtissimi essent; quippe se regis innocentiam & integritatem satis cognitam habere, quidquid etiam obgganiret calumnia: quæ nec culminibus rerum parcat. Cæterum scire se, regium esse, ut ille dicebat, bene facere, & male audire; sed apud malos. Non posse non improbis ob dissimilitudinem morum displicere. Satis esse quod Deo, conscientiæ & bonis placeat.* Fidem insuper dabant, *omnes & pro se quemque consuros, ne insidiarum structores uspiam in regno tolerentur, sed ut proditores, aliis in exemplum & terrorem, sibi in perfidiæ mercedem, severè plectantur.* His eorum precibus, promissis & fide rex adductus retinuit imperium, iterum pollicitus illis sedulam regni & subditorum curam & defensionem, etiam cum propriæ vitæ discrimine, si necesse fuerit, conjungendam. Actum est in iisdem comitiis *de annuis subsidiis ab ordine equestri in recognitionem possessionum suarum vel hæreditariarum vel fiduciario jure acceptarum, ex lege & regni consuetudine secundum æquam fructuum æstimationem præstandis.* Rex Iohannem comitem ab Hoia & Iohannem Gothum præsulem Vpsal. ad conventum Lubecæ cum Friderico rege Daniæ & Vandalicis civitatibus ex pacto Malmogiensi celebrandum mittit. Verum quum terrâ iter facere, Severino Scaniam armis infestante, non possent, mari fecerunt. Sed adverso vento retenti, ad dictum diem non adfuerunt. Vnde legati Danici adventum eorum præstolari recusantes, abierunt Lubecca. Nihilominus legati Suetici literis ad Fridericum

cum regem Daniæ & legatos ejus moram suam ex sontica causa excusantes, rogant eos reverti & destinatum negotium unà cum ipsis peragere; sed frustra. Quum ergo septem hebdomadas Lubecæ morati essent, scripto consignatam adversus Danos contestationem senatui Lubecensi tradunt: & pacis ac commerciorum fœdus ineunt cum Vandalicis civitatibus & Hollandis: qui pollicentur salem, vinum, pannos & alia necessaria se regno illaturos. Conventum etiam, ut tam intra quam extra regnum liber esset commerciorum usus. Postquam Gustavus cognoverat Petrum Synnanvvederum & Canutum apud Montanos, contra fidem Arhosiæ datam, latere & soveri, proficiscitur ipse ad Dalecarlos, inquisitum causas, cur pactis Arhosiensibus non stetissent. Vbi Tunæ populum coegerat & eo nomine graviter objurgarat, omnes veniam supplices rogant, fide scriptis & ore data, *se in posterum cautius actturos nec unquam hujusmodi proditores recepturos, sed pro virili persequuturos, & omne detrimentum à regno amolituros: denique, uti deceat bonos subditos, in fide & officio fore.* Sic rex deprecantibus & saniorem mentem promittentibus ignovit. Sed dicti proditores in Norvegiam aufugiunt securitati istic petendæ, fingentes quasi à rege Gustavo proscripti essent, quum Lutheranam religionem amplecti nollent. Fide publicâ à senatu regni Norvegici illis indulta, rex Gustavus hoc molestè fert, & contra pacta Malmogiensia admissum datis ad eos literis expostulat, cupitque huc ad judicio sistendum remitti. Quod tamen non nisi sequenti anno factum est. Primo vere Severini Norbyi tribunus Otto Stiggonis, ingenti agmine incursat Scaniam. Alius ejus tribunus Severinus Brunius una nave armata & duabus celocibus ingressus sinum Calmariensem, exscensum in urbem Calmariam suos facere & bidui quietem & commeatum istic pro justo pretio petit. Sed tales hospites, alienum solum cum maleficio & injuria peregrare, malaque fide pro victu solvere sueti, non admittuntur; nec transitus per istas oras, regi Daniæ noxius futurus, illis contra utriusque regni fœdera permissus est. Quare versus austrum excurrentes in Lystriam exscendunt, Sölfisburgum & Abusam aliaque castella vastant. Ipse Severinus

nus insequutus Landscronam & ferme totam Scaniam occupat, excepta Malmogia ; Blekingios & Scanios in sua verba nomine Christierni adigit. Achatium Bragdium cum uxore capit, & pro lubitu grassatur, donec Iohannes Rantzovius eques Holsatus cum Friderici & Vandalicarum civitatum conjunctis copiis adventans, ingenti eum clade ad Londiam in Scania adficeret, quinquies mille hostium cæsis. Inde Landscrona obsessa & expugnata, pacem cum Severino fecit ea lege, ut Gothlandiam Friderico Rex Daniæ traderet, sibi Sölffsburgum ad ultimum vitæ diem haberett Ita Gothlandia sub Daniæ potestatem rediit. Prohibetur hac tempestate in Suecia evectio argenti facti vel infecti : ut major copia bonæ monetæ ad pacis & belli præsidia suppeteret. Rex, Friderico regi Daniæ adversus Christiernum quinque navium classe tribus regnis borealibus per Nicolaum Cniphovium vim & arma intentantem, desideratas suppetias promittit. Anno sequente conventu regni Vadstenas indi- 1526.
cto, actum est *de coronatione Gustavi properanda : ut certo rege & in sede sua firmato, pravæ extraneorum quorundam cupiditates facilius reprimerentur. Item de nuptiis Gustavi earumque scriptis pactis : de utriusque tam coronationis quam nuptiarum impensis : de ære alieno regni præsertim Lubecensibus solvendo ex duabus decimarum partibus, uti superiori anno in comitiis Holmensibus decretum erat.* Sed huic decreto fraudem faciunt episcopi & reliquus sacer ordo, dum ante ejus publicationem præcipiunt ex granariis Ecclesiarum integrum suum salarium, & plebi clam authores sunt de redimendis decimis pro exigua pecunia, specioso prætextu, ne deficeret ad sationem frumentum. Præsules itidem Upsalienses, Scarenses & Strengnenses agitabant animo consecrationem sui & inaugurationem à Pontifice absque regis Gustavi consensu petendam : ut ita soli pontifici, non regi obnoxii essent. Itaque rex eos monet majori fide boni publici curam agere : nisi dignam in se animadversionem expetere velint. In dictis comitiis rex ordinis equestris privilegia confirmavit, & peculiariter de mulctarum exsolutione à colonis eidem præstanda. Gripsholmiü, deserto ab monachis ejusdē monasterio, cujus incertam

&

& litigiosam possessionem tueri nequierunt, ad se jure hæreditario vendicavit. Hac hyeme & anteactis Iohannes Gothus ducentis equitibus aliorumque ministrorum nobilium & plebeiorum longo ordine stipatus, visitabat ecclesias: tanto cum apparatu & pompa, tanquam rex quidam ad militiam aut lustrationem exercitus proficisceretur. Vincentium vicariam ipsi operam præbentem, administrare quæ ad sacra peragenda facerent, jubebat, ipse verò presbyteros interim expilabat. Hoc enim erat ea tempestate episcoporum visitando circuire diœceses, sub titulo recognitionis officii sacerdotum, inspicere & decerpere eorum fortunas, sacræque dignitatis decus in ambitionem & turpem quæstum vertere; sed ne talis videretur, honoris & moris colore obducere. Dein ex Norlandiâ redeuntem ad se rex vocans percontatur: *quænam genuinæ ejus essent partes? num Christus Dominus noster jussisset Apostolos aut successores eorum tanta uti pompa ac vanitatibus? annè majora & graviora illis injunxisset?* Sed præsul parum aut nihil ad rem respondebat. Rex porrò, *se in S. literis legisse ait; Christum jussisse eos prædicare, & docere populum Dei voluntatem, & quid credere de Deo, quid sentire de seipsis deberent; ut, quando hinc excessuri sint, tranquilla conscientia & beato fine decedant: & ut præeant ecclesiæ pia & inculpatâ vitâ, libriſque populari sermone scriptis: ut ab omnibus intelligi & cum fructu legi possint. Tale quid in aliis rebuspub. & regnis exerceri. Germanos utique, Gallos, Britannos & Bohemos sacrum codicem aliosque utiles libros patria lingua versos habere; sed hic in Suecia nullos planè codices in vernaculam linguam translatos exstare, nisi memorabilia S. Mariæ, ut vocant, quibus multa contra S. Scripturæ mentem detorta inessent.* Addebat rex, *episcopos, canonicos, presbyteros & monachos pigros esse ventres: populum non crebrius ad conciones sacras vocare, & publicè verbum Dei docere, quam quum solennes & majores missæ, ita appellant, decantarentur. Quid ergo mirum esse, si populus ad Dei notitiam venire, modum rite Deum colendi & salutis viam discere nequeat?* Non posse non sibi persuadere, *quin hæc præcipua fuerit causa tot angustiarum & malorum, quibus patria toties adflicta fuerit.* Antistes Iohannes Gothus respondebat, sed ficto animo, *se cum suis ad meliorem mentem rediturum, omnemque operam daturum, uti Biblia Suetico ore & sermone donentur, & quidem à se Novum, ab aliis ex sacro ordi-*

dine Vetus Testamentum. Hunc laborem quamvis aggredi viderentur, tamen profundo otio immersi, aut per imperitiam nihil confectum dabant, solam Hieronymi versionem sequuti, nec tamen opus inchoatum persequebantur. Feriis Ericianis rex cum bis mille equitum & magna manu peditum veterem Vpsaliam ingreditur, & cum Vplandis, istuc ad concionem evocatis, agit primo *de emendanda religione & sacrorum administratione*, dein *de civilibus regni negotiis*. Super alia conqueritur, *in regno nimium ignavorum & inutilium esse sacerdotum & monachorum, quibus omnia cœnobia referta essent; qui nihil fermè aliud agerent quam ut instar noxiorum animalium omnes populatorum, terræ fruges & medullam consumerent.* Ideò scisciitabatur, *num illis non consentaneum videretur, ut delectus eorum habito, doctis & ad sacra idoneis de commodo victu prospiceret, reliquis verò inutilibus terræ ponderibus monasteria purgaret, & ad labores in sudore vultus ex Dei instituto tolerandos compelleret: aut in eorum locum sufficeret peritos & probos ludimagistros & doctores, qui juventutem in Christiana doctrina, bonis literis & moribus erudire & educare possent. Ex residuis sumtibus, egenos, egrotos, cæcos, claudos & alio vitio corporis insignes, qui ipsi per se vitæ tuendæ non sufficerent, aut subsidia ad eam tolerandam non haberent, alendos esse.* Plebs statim reclamat, *se monachos expelli nolle: quum ipsi, si excludantur, eis alimenta præbere debeant.* Rex animadvertens, adhuc cruda acrius moveri non è re fore, ea tempori servat. Et ad ludicra animi relaxandi causa versus, Iohannem Magnum præsulem Vpsaliensem, vernalem comitem, uti appellant, creat, redimitum serto ex variis floribus plexo: quo læti temporis insigni præsul venustè ornatus incedebat. Die Pentecostes pro hoc honore sibi habito regem ad splendidas epulas invitans, eum in prima sede seorsim collocat, ipse autem alterum superiorem locum ex adverso capit; ne infra regem, ut videtur, discumbat. Abacum poculis argenteis & cyathis instructiorem ostentat, quam regis abacus erat. Regem inter epulas poculo adventitio excipiens, hac utitur in præbibendo allocutione: *Nostra gratia* (ipsissima pono verba) *vestræ gratiæ propinat salutem.* Quæ frigida præsulis urbanitas & fastus antistite sacrorum indignissimus, omnium risu & probris excipiebatur. Postmodo, in conventu ordinis ecclesiastici, cui

rex

rex ipse quoque intererat, fervidè de ecclesiæ privilegiis & immunitatibus disceptatur. Rex Petrum Gallium percontatur, *unde istæc privilegia, libertatem & opes habeant?* Respondet Gallius: *A Cæsaribus, Regibus & principibus, nobilibus & populo hæc omnia donata esse ecclesiæ & ministris ejus, & confirmata regum literis: ut æterna eorum authoritas esset.* Rex instare quærendo, *Annon regibus & principibus etiam hujusmodi privilegia & immunitates pro temporum genio, & ecclesiæ conditione mutandi potestas esset? quia majores decepti monachorum sermonibus de purgatorio, & pro redimenda facultatibus suis animarum salute, aliisque hujusmodi vanis, ea temerè donassent.* Ad hæc tacentibus Petro Gallio & Iohanne Gotho, regis offensam lacessere veriti, Georgius Thuronis ecclesiæ Vpsalienfis præpositus in his diluendis valde desudabat, quamvis incassum; hoc tamen unicè ursit, *istæc ecclesiæ concessa privilegia nequaquam absque magno sacrilegio & perpetuo sacrorum interdicto, æternæque salutis jactura, posse revocari aut infringi.* Rex æquanimiter cum audiens, *hæc Dei verbo ipsum probare* jubebat, *ita se libenter adquieturum. Se tamen haud inficias ire posse*, ajebat, *quin boni & utiles ecclesiæ doctores, qui Dei honorem & gregis sibi commissi salutem quærerent, duplici honore & honestis vitæ subsidiis digni essent. Reliquos verò in Domini vinea desides, qui nec doctrinâ nec vitâ Deo aut hominibus usui essent, nihilque aliud possent, quam in templis & cœnobiis quasdam missas ac preces, velut quosdam absque mente aut judicio sonos demurmurare, tanquam ignaviæ & ventris mancipia, excludendos nec publico stipendio alendos esse.* Quum hic præsules & reliqui eorum collegæ verbi divini authoritatem pro se stare, quam expressam reperire non erat, nequidquam contenderent, decretum est, *ut eorum privilegia sub justo regis arbitrio deinceps ponerentur.* Inde comperto, præsulem Vpsalienfem Iohannem non seriò rem agere devertendo sacro codice, ut promiserat, & Pontificiæ religionis animique sui pervicacem, ecclesiæ emendationem negligere; nihil interim de spiritibus suis, pompa atque ambitione remittere; rex ejus molitiones juxta potentiam periculosiores, exemplo antecessorum, fore ratus, eum sacra dignitate amotum excedere regno jubet. Ille simulans apud sacrum ordinem magnam ad exteros principes, inprimis ad Sigismundum regem Poloniæ nuptiarum causa à Gustavo

sibi creditam legationem, & conquerens de naufragio rerum suarum, à credulis & spe remunerationis ac opimorum beneficiorum lætatis, haud exiguam vim opum corradit. Quibus omnibus, una cum patriæ monumentis & annalibus quotquot habere potuit, collectis, hinc abit Gedanum, inde in Italiam, Venetias & tandem Romam. Ubi conscriptâ historiâ patriâ vix habens unde viveret, in domo vel Xenodochio S. Spiritus, uti appellant, anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto decessit. Rex Danis auxilium contra novas octo millium copias à Christierno in Frisia conductas & Daniæ vim parantes expetitum mittit: modo à Severini Norbyi hostilibus in fines regni Suetici excursionibus sibi ab illis itemque caveretur. Frisiis mercatoribus ad triennium liberam in Sueciam navigandi & commercandi facultatem permittit. Proximis diebus ad Regem Gustavum advenere literæ à Friderico Rege Daniæ, cum Erico Brokenhusio, qui coram exposuit *hostilia Severini Norbyi consilia, & conflictam in Gustavum ab eodem criminationem, de editis ad ejusdem inter se & Fridericum actis; sed conflictam invidiæ Gustavo faciendæ.* Plura itidem retulit *de insidiis ejus adversus Sueciæ regnum, pro ulciscenda vi Sueonum & direptione navis ejus ad sinum Calmariensem scopulis illisæ, viginti millibus aureorum abreptis, Severino Brunio aliisque captis*: de quare ipsas Severini literas ad Fridericum datas in veri fidem exhibuit. *Fridericum verò pro viribus vafras Severini molitiones ex lege fœderis Malmogiensis propulsaturum. De Wikiæ item vexata lite componenda, & injuria suorum in ministros Friderici istic prohibenda Gustavum cogitare* monebat. Rex Gustavus gratias agit Friderico regi Daniæ, *quod eruditisset eum de Severini pravè consultis adversus se & regnum suum. Gustavum & Severinum ita ex diverso cognitos*, addit, *ut nollet Fridericum sperare illi fidem habiturum ejus de se calumniæ, præsertim fraudum satis ante comperti. Si verò Severini navis exspoliata, & quidam suorum capti essent, quid novum, ut mutua armorum vice in se experiretur, quod ipse prius in directa Gustaviana navi cupro onusta ad Blekingiam fecisset? in sollicitatis etiam præsidiis ad defectionem, in Severini Brunii perfidis consiliis, si dimitteretur Russia, adversus Suecos tentandis?*

Tantum verò pecuniæ vim ipsi abreptam, merum videri commentum: quum de navi sua spoliata ad regem scribens, nullam ipsius pecuniæ mentionem injecerit. Nunc id excogitare speciosæ obtendendæ machinationum adversus Regem. Gratum sibi fore, si quod maxime juncta mutua insolentiam Severini comprimi. De VVikia sibi idem placere quod Friderico; si pacatè paciscí queant. Injuriam suorum a VVikia, si ejus convincantur, ex merito punitum iri. In Comitiis Holmensibus iterum actum est de maturanda coronatione Gustavi, ante quam tamen ille nomina publica prius expediunda atque æs alienum regni persolvendum urgebat: ne inimicos caperet illos, qui regnum pecunia, milite & commeatu, dum liberabatur à tyrannide Christierni, juvissent aut mali nominis notam publicè contraheret. Ordines rediberata in medium pro se quisque conferre promiserunt, quod debito expungendo satis esset. De fœdere commerciorum cum Hollandis ibidem agitatum est; quamvis invitis Lubecensibus, qui id suis privilegiis officere credebant; & prius mare Balthicum, quam aliæ exteræ gentes Belgæ, Galli & Britanni navigarant, indeque opibus ac potentia creverant. Fœderis leges cum Hollandis hæ erant: *Sucticam monetam tam apud illos quam hic in usu fore, ad commerciorum cursum eò commodius promovendum. Suecorum naufragorum in Belgio bona ipsis pro æquo extractionis pretio salva fore. Suecorum merces in Belgio pro ære alieno non esse attrendas; nisi ipsi in eo contractum esset. Si quem nostratium delicti accusare possent, ad illis hic in jus vocandum; nisi in delicto istic perpetrato deprehensus esset. Vt Sueci quid eximii in vectigali istic pendendo præ aliis haberent, si non integra immunitate frui possent.* Causa fœderis præcipua ferebatur, ut minoris emerentur sal, vinum, pannus, aromata: quorum pretium nimis auxerant Vandalicæ civitates. Cum Germani mercatores hic in regno commorantes & tabernas in publico habentes, pretium mercibus suis, quantum vellent, ponerent, & minoris æstimarent regni monetam, majoris suam; atque omnia hinc & inde facta quæque rimarentur ac foras efferrent: quod cum non exiguo regni detrimento conjunctum erat; statutum est, *ne ultra præfinitum tempus hic morarentur, nisi Sueones apud eos immunitatem à vectigalibus adipiscerentur, & regni moneta in justo illis pretio esset.* Severinus Norbyus sua classe mare iterum ingressus tam De-

nos quam Suecos contra datam Friderico fidem invadit. Vnde junctis ab utroque copiis profligatur, & profugus in Moscoviam à Basilio Magno Duce capitur. Sed Christierni intercessione apud Carolum V. & Caroli apud Basilium, custodia liberatur. Carolo V. ad tempus militans, in obsidione Florentiæ pilâ trajectus, periit. Hac æstate Lubecâ venerunt Holmiam oratores Lambertus Beckerus & Hermannus Israel petitum residui debiti solutionem. Rex ipse cum senatu regni in oratorum præsentia recognoscebat libellum rationum: ita ut omnibus accuratè putatis, de summa aliquid deduceretur, quod regi regnoque præjudicio fore credebatur. Hoc anno Vplandiæ viæ, itinera ac nemora latrociniis infesta erant. Gustavus emittit agmen, quod per manipulos recta & ex transverso perlustret sylvas, obvios vel conquirat vel fuga salutem quærentes prosternat. Ita purgata prædonibus provincia, tuta & quieta Gustavi curâ redditur. Circa finem anni sponsalibus inter Iohannem Thuronis & viduam Stenonis Sturii junioris Vpsaliæ celebratis, Gustavus ad senatum regni Norvegici scribit, *de tradendis filio Petro Synnanwedero & M. Canuto.* Sed cum innocentiam suam apud dictum senatum professi essent, & se ab inimicis suis delatos, ad causam hic in regno dicendam venturos, si literas fidei pub. nanciscì possent; eas à rege impetrarunt. Itaque ab archiepiscopo Nidrosiensi Olao huc missus est Canutus, & postea Petrus, quippe tunc morbo correptus. Vbi Canutus sistitur judicio, primo in disceptationem venit, num literæ securitatis ipsi à rege datæ impedimento esse possent, quo minus in judicium vocaretur & jure cum ipso ageretur. Inspectis fidei pub. tabulis, deprehensum est, cum hac conditione scriptas esse: *ut si rei suam innocentiam in judicio adserere possent, nullam vim timerent, sed salvi in Norvegiam redirent; si minus, lege cum illis ageretur.* quare judices haud perplexe hinc collegerunt, eos fide pub. contra vim & offensionem, non contra legitimum judicium & sententiam munitos esse. Nec habuit Canutus quod contra excìperet. Itaque causâ cognitâ, partim scriptis sua manu literis, partim propria confessione convictus, proditionis damnatur. Post eum huc etiam traductus Petrus Synnanvvaderus, peculatus, seditionis & perduellionis accusa-

tur, & reus peractus velut Canutus, uterque capite rotis impositio plectitur. Ad Gustavi manus pervenerunt literæ quædam à Iohanne Braschio episcopo Lincopensi scriptæ ad Georgium Turonis præpositum Vpsaliensem, Petrum Gallium & Ericum Gelingium; ex quibus cognovit, *quomodo Evangelica doctrina Pontificiorum sermonibus pro hæresi traduceretur, & Gustavus novam religionem & novatores fovere diceretur.* Quæ non alio fine jactabantur à malevolis, quam ut vulgum adversus regem ad seditionem inflammarent. Ea causa rex ad suam existimationem & publicam quietem tuendam diploma promulgavit, quo subditos monuit, *vanis hujusmodi de se rumoribus non temere fidem habere: quibus eorum authores quærant turbare statum regni, & subditos adversus ipsum ciere, inprimis exterorum dominationi, ut tempore Christierni, viam in regno patefacere. Se novæ & falsæ religioni, ut adversarii calumnientur, non favere: sed suæ & subditorum salutis curam, ut fidum populi rectorem decet, habere. Hoc tamen sibi vitio dari non posse, si nolit collum submittere jugo Pontificio & episcoporum nimiæ potestati; qua regum & principum nervos ita incidant, ut se suosque contra alienam vim tueri nequeant. Eidem instituto repertas indulgentiarum Roman. nundinationes, obtentu subsidiorum belli adversus Turcam suscipiendi: sed revera, ut his opibus eosdem subruant, quibus per fraudem extorserunt: ut immorigeros excommunicationis, ut vocant, aut sacrorum interdicti telo percussos, in ordinem redigant, ac totum mundum sibi vectigalem, supplicem & obnoxium faciant. Hæc & alia in concilio regni propediem indicendo, ita uti par est, à peritis ex verbo Dei discussum iri: seque effecturum cum Deo, ut vera religio, pax & tranquillitas publica, modò ipsi quiescant, illibatæ serventur.* His ad tempus compositis, alius & major motus apud Dalecarlos oritur, excitatus à plano quodam, ultimæ sortis homuncione, obscuræ & tenuis in paræcia Biörchstadensi fœminæ incertique patris filio: qui ex egestate, spe improba & audacia rerum novarum, ipsiusque adeò imperii cupidus, se Stenonis Sturii magno natu filium Nicolaum ferebat; etiamsi ex Stenone verè natus Nicolaus, id temporis adhuc in vivis esset, & in aula regis Gustavi degeret, proximâ æstate defunctus, & in æde Vpsaliensi solenni funere humatus. Sed isti impostori non mala erat corporis forma, expedita & invercunda lingua, prompta fallendi vulgum instrumenta. Ad

Da-

Dalecarlos, quos ex iis perſentiſcebat fallaciis ſuis opportunius ineſcari poſſe, credulos eoque ad nova faciles ſe conferre. Inprimis in Mora, Orſa & Lixanda colonis perſuadere: *Guſtavum ſe, ut â patre proximum regnoque deſtinatum, ferre non poſſe; quoties ejus conſpectui occurrat, manu ad gladium ipſi mortem minari.* Spargebat inſuper in ſermone, *regem, Chriſtiana fide repudiata, Lutheranum aut ethnicum factum eſſe;* præter alia quæ falsò jaciebat in Guſtavum, famæ ejus apud Dalecarlos onerandæ. Ad quamcunque Stenonis Sturii, quem patrem ſuum dicebat, mentionem effusè flebat. Quamvis autem ad oſtentationem doloris effictæ eſſent lacrymæ, tamen, quod tam promtè & calidè manarent, illis tanquam veri & flagrantis erga defunctum deſiderii fidem ſibi præſtruens, etiam Dalecarlos, vel quod mollis adverſus dolorem tam ſpeciosè repræſentatum animi eſſent, vel memoriâ Stenonis, ad parem pietatis, ut videri volebat, affectum permovit. Nec ſeguiter ille fallendi artifex iſto animorum motu porrò in rem ſuam uſus & ſcenæ commodè ſerviens, in medio ſæpe alloquio, quaſi à ſe exiiſſet, rogare per Deum circumſtantes, *in genua proſtratos precari pro parentis ſui anima. Gratias denique magnas illis habere pro tanta ipſorum erga patrem ſuum caritate, & obſecrare de parte ejus ſibi ut filio non invidenda.* Vt paucis dicam, ita eos animavit, ut eadem facere & pati ſive cum illo ſive pro illo non alieni, ſatellites ipſi adjungerent & opibus juvarent. Ejusdem partes Petrus Grönius, fidus ante miles, & Petrus Oſtrogothus ſoventes, poſtea condignè plexi ſunt. At ceterorum Dalecarlorum animis fruſtra pertentatis, abit in Norvegiam: ubi præſulem ſimulato Sturii nomine & ortu haud parum æſtimatis circumveniens, ducentorum ab illo manum militum elicit, & ab Ingride Remenſi nobilis filiæ nuptias; deceptis præter eos aliis primariæ dignitatis iſthic viris. Cum dicto agmine reverſus ad Dalecarlos, ſibi ut opibus firmiori magis addictos fore ſperabat. Sed illi immotæ fidei, reliquos in eum inclinantes deterrent, niſi malum habituros. Hi fluctuantes, ſpatium inquirendi de ejus familia menſem petunt. Interim literas à Stenonis vidua accipiunt, quibus de liberorum ejus certitudine & numero, deque hujus fraude ac mendaciis erudiuntur. Has cum ei

prælegissent, ille more impostorum strenuè impudens & mendax esse pergit: *matrem* ait, *erubescere palam ipsum profiteri filium suum, quem ante nuptias in lucem edidisset.* Sed Dalecarli qui judicio valebant, hoc indignè accipientes, negabant tale quid de tam generosa matrona suspicandum esse. Iisdem rex, ut ipsi petierant, subsidio misit aliquot copias adversus seditiosos. Cum utrinque velitationibus aliquot æqua manu dimicassent, colloquium de pace, datis quindecim fidei obsidibus, placuit. Inter illos præcipui erant Petrus Suenonis in VVibberboda, Magnus Nicolai in Asboo, & Andreas Petri in Ranckhytta. Hic præbuit se Magnus Nicolai ut fidum erga patriam civem, dum *se ultro offerens ad vincula usque ad rei investigationem, ab illis frustillatim concidi non abnuebat, si iste, qui se jactabat Sturium, legitimus non imaginarius Stenonis filius esset.* Objurgabat idem *eorum imprudentiam & levitatem in fidem habendo hujusmodi perfido erroni. Nihil jam aliud consilii superesse, quam ut sceleste excluso, veniam admissi supplices peterent, aut extremam sui internecionem à præsentibus copiis exspectarent.* Dalecarli eos qui à partibus regis erant, è circulo paulum secedere jubent, donec in consilium de summa rei eatur. Quo facto revocant eos, & quibus se gravatos à rege putent & remedium quærant, exponunt, scriptoque consignata ad eum mittunt. Quorum capita præcipua erant, *de gravi ære signato minus commodo abrogando, & minus argentea moneta Arhosiæ cudenda. Quod onerentur tributis supra modum. De hybernis & æstivis equitum in emporiis, monasteriis & apud Clericos non tolerandis. De annonæ caritate minuenda. Ne rex velit tot monasteria & templa solo æquare. Ne dissectas tolerare vestes. Famam ferre, motum hunc Gustavi Trollii causa excitatum esse. Rusticos nolle præliari contra rusticos. Prætores ipsos vicatim exercere negociationes, & aliis permittere contra interdictum. Lutheranismum, novam religionem, nova sacra & linguæ Sueticæ cantilenas abrogandas esse.* Quamvis autem rex cum rebellibus non conditionibus sed jure agere potuisset, tamen accensis animis, in præsens non ea respondit judicans ignem ulterius fodere, tempori paret, & ad eorum desideria sic respondet: *Ponderosiores ex ære nummos conflari, necessitatem belli in solutionem stipendii militum manus non ferentium imperasse; ea cessante, majores nummos ex argento*

renascentibus ejus venis aliave copia, & usitatis locis percussum iri. Se non imposuisse illis extra ordinem contributiones, nisi cum adsensu procerum & populi, atque usu publico sic exigente, obæs alienum regni solvendum, cui ordinarius census non sufficeret. Hoc circum acto anno ob Christierni tyranni, Severini Norbyi & aliorum hostium subitas impressiones, non potuisse equos passim in prata aut dissitas oras longius emitti, sed necesse fuisse in promtu & expedito habere atque sic ingratiis urbes, cœnobia & sacrum ordinem eis onerare. Sed otio & quiete publica restitutis & rebus regni rectis, hoc quoque onus sublatum iri. Si probari possit, sua aut suorum incuriâ annonam flagellari, se ultrò culpam emendaturum & facile remedium inventurum. Se tamen hoc sibi non persuadere, quum semper soleat in nundinis edicere honestum & æqui pretii negotiationem, & porro edicturum. At si aëris intemperies aut temporum viarumque difficultas annonam incendat, ejus rei causam in se conferri non posse. Se sperare, cum pace & itinerum commoditate ac securitate laxiorem annonam redituram. De diruitis à se tot ædibus sacris & monasteriis famam veritati non respondere. Nisi quod prædium Gripsholmiense invito patre suo in monasterii usum conversum sibi jure hæreditario adquisiverit, & ex usu suo repararit. Si jus suum in rebus suis usurpet, neminem sibi crimini dare posse. Morem dissectarum vestium se non minus quam ipsos extra aulæ septa in civibus & aliis improbare, & abrogationem ejusdem cum illis optare. Sed contra communem passim aularum consuetudinem & civilem cultum faciendi sibi necessitatem aut legem à subditis imponi nolle. Se facile famæ credere de motu à Dalecarlis quibusdam Gustavi Trolli aut Christierni causa facto: quum sint ejusdem notæ & factionis. Atque si alter eorum in regnum per intestinorum motuum occasionem, quod facile fieri queat, revertatur, alterum simul secum adducturum aliosque extraneos hostes. Id agitare sacrum hic Pontificiæ sectæ ordinem suis consiliis: ad quæ plebem nolit tam proclivem esse. Colonos adversus colonos arma capere nolle, fas & laude dignum esse. Nulla enim arma & vim civium adversus cives justam esse, nisi contra vim subitam & injustam, quæ aliter repelli nequeat. Nundinationes vicatim à prætoribus aliisve institutas, si probentur, serio mulctatum & in posterum prohibitum iri. De Lutheranismo se non aliud habere quod respondeat, quam quod purum Dei verbum & Evangelium Holmiæ doceri curet, quod novitatis titulo ab imperitis & malevolis falso & impiè traducatur:

quum veritas cœlestis sit antiquissima, à Deo manifestata. Sed humanas traditiones & commenta esse novas, aut si vetera, non tamen à Deo sed diabolo & instituto hominum profecta, quibus nonnulli sub sanctitatis opinione simplici plebi ventris causa imponere, conscientiis subditorum & ipsorum regum laqueum injicere cupiant. A quibus cum expurgare velit regnum & veram æternæ salutis probis verbi divini ministris monstrari, gratis animis agnoscendum nec temere illis judicium ferendum esse de rebus quas non capiant, alio loco debitoque modo & tempore decidendis. Carmina verò sacra linguâ patriâ decantari, quam omnes intelligant, longè præstare, quam Latinâ plerisque ignotâ. De reliquis cognitione vel authoritate regia dignis negotiis se ulterius coram in frequenti senatu populoque propediem Arvosiæ acturum. Ideoque eò res proferre, & tumultu amoto, quem nihil opus sit domi à civibus excitari, quum satis negotii & motuum foris ab hoste tentetur, animisque sedatis quiescere jubet. Proximo post S. Erici ferias die, rex cum populo Vplandico ad veterem Vpsaliam communicat de tumultu Dalecarlorum & quid illi de eo sentiant, exquirit. Re ultro citroque perpensa, decernitur aliquot ex iis regio mandato instructos ad Dalios esse mittendos, qui eos facinoris contra obsequii legitimo suo magistratui debiti & fidei semel datæ religionem admissi seriò moneant; & ut suos oratores sub fide publica ad proxima comitia Arhosiensia mittant, qui ipsorum desideria regi & ordinibus regni exponant, & quid eos ad hujusmodi tumultum permoverit. Quod si hoc eorum consilium admittere nolint, cogitent se, ut partes aut sejuncta membra, à republica suapte culpa separatos, sibi non leve incommodum & supplicium acceleraturos. Emissi ad Dalecarlos nihil aliud responsi ab illis accipiebant, quam quod renunciare vellent personato isti Sturio, & conquiescere, si ipsi tuto excedere regno & abire quo velit liceat. si cum ipso conspirantibus gratia delicti fiat, & præterita aboleantur. Ne illis nova aut Lutherana religio obtrudatur. Ne vestium concisarum & versicolorum usus in aulâ tunc receptus promiscuè permittatur. Vt omnes qui die Veneris & Saturni carnem comederent, ad ignem damnarentur, aut alio ultimo supplicio afficerentur. Rex capite primo & secundo desideratis annuit. Sed de religione & ab esu carnis præfinitis diebus abstinentia eos curam mittere, & peritioribus relinquere jubet. De vestium aulicarum usu respondit, ut superiori loco. Circa hoc tempus Turo Trollius in Alboensi territorio Smalandiæ exacturus à colo-

colonis nomine regio tributum, æri alieno regni expungendo destinatum, à sicario quodam in denso nemore latitante ex insidiis telo transfixus est, vel ex composito, ut seipsos hoc onere solverent, vel proprio latronis scelere. Magni Ducis Russiæ legati huc advenientes, concilio dato, à rege Gustavo regnoq; Sueciæ pacis & fœderis confirmationem petunt, atq; litis de limitibus arcendis, injuriarum itidem cum rege à nonnullis Sueonum ad limitem Russiæ habitantibus magni Ducis subditis illatarū justam ultionem. Agunt etiam cum rege de continuando commerciorum usu inter Sueciam & Russiam, ex prisco more; & ne rex velit permittere Kexholmensibus illegitimā negociationē cum Sueciæ colonis in Bothniam usq;. Rex, quod cupiunt, de confirmatione pacis lubenti animo accipit. Limitum distinctionem in commodum utrique tempus differt. De cæde, vi & insolentia suorum in Russos exercita apud præfectos inquirit. Sed quum culpam alter in alterum conferret, negaretque suæ administrationis tempore facinora istæc perpetrata fuisse, incertis auctoribus, nulla damni æstimatio læsis præstari poterat. Sed in futurum ita cautum & utrinque constitutum est, ut cuicunque in posterum ad limitem damnum aut vis adferretur, idq; ad judicis proximi tribunal devolutum legitimè probaretur, reusque convinceretur, præfecti fore partes, statim persequi pœnam aut mulctam, & ut damnum eodem mense quo facinus commissum esset lueretur; aut ipse præfectus lueret. Frequentari utrinque ex more commercia regi placuit. De Kexholmensibus ita decretum est: quia Suecis essent graves & regno detrimento per optimarum istius loci mercium evectionem, hanc de cætero licentiam illis refrenandam esse jubendosque ex lege adire emporia, & istèc commercari. Comitia Arboſiam indicuntur, quibus cum se regni ordines stitissent, rex eos splendido invitat epulo. Sed accubitus & sessionis modum innovat, ita ut regni senatum & proceres proximos à se collocaret, inde episcopos & post eos equestrem ordinem, hinc presbyteros cives & colonos: quum ante episcopi regis latus clauderent, ac rege absente aut administratore regni præsente, archiepiscopus principem obtineret sedem, & reliquus sacer ordo proximum à senatu regni locum occuparet. Sed Gustavus nimis ambitiosos illorum spiritus, quibus nuper etiam Iohannes Gothus præsul adversus ipsum in convivio usus fuerat, coercere quærebat: ut in se descendere & modestius de se sentire discerent. Postridie omnes episcopi cum

universo sacro ordine conveniunt in ædem S. AEgidii, ibique clausis foribus in occulto consultant, quorsum spectet ista insolens ordinis & sessionum mutatio, pridie à Gustavo instituta. Iohannes Braschius episcopus Lincopensis respondet, *hoc satis inquere, nimirum, ut rex eos honore primum dejectos, postea etiam opibus & arcibus exueret: imo ad humilem infimæ sortis presbyterorum conditionem redigeret, ne caput unquam efferrent.* At Petrus Arhosiensis & Magnus Strengnensis antistites subjiciebant, *se æquis animis quamcunque sortem ex arbitratu regis subituros: exiguo salario, exiguos etiam sumtus faciendos.* Istud verò responsum Lincopensis præsul indignè accipit, & *stolidos esse* ait, *si hoc permittant. Si lubet*, inquit, *regi nostra nobis vi eripere, rapiat. Nobis certè volentibus & conscientibus nunquam faciet: nisi sanctissimum patrem Pontificem Romanum graviter offendere velimus. Si secus fiat, integram eum incusandi coram pontifice facultatem habemus. Multi reges & principes olim, quod hic, aggressi sunt, sed diris pontificiis percussi desiterunt, & ecclesiasticæ personæ, recepto suo, ab illis non ultra fuerunt vexatæ. Si vero deficiamus a Pontifice, qui est extremum fortunarum nostrarum perfugium & sacra nostra anchora ac tutela, ignem & flagella undique habebimus: à Pontifice sacris prohibebimur: à Rege ad mancipiorum vilitatem redacti, pro libertate ecclesiæ ne hiscere quidem audebimus.* His moti reliqui omnes in ejus sententiam descendunt, & juramento se astringunt, *ad permanendum in fide Pontificis, nec ullum Lutheranæ religionis caput, dum vivant, approbandum. Quantum tamen possint in hoc rerum lubrico statu, se medios tenere velle: donec pontificia religio & sacra, quod sperent, aliqua vi majore efflorescant.* Id quod multis contestationibus sub pavimentum templi abditis & postea repertis firmarunt. In comitiis Arhosiensibus rex capita instituendæ consultationis à cancellario ordinibus proponi jubet, in hanc sententiam: *Gratiis senatui populoque actis, quod promti & frequentes adesse voluerint, Rex illis in memoriam revocat faciem initii sui imperii; & quomodo tunc eos Dei ope a præsenti interitu & sæva dominatione Christierni, extrema regno intentante liberarit.* Deinde *quum adeo pressa respublica paulum erecta esset, convocatis ad comitia Vadstenensia atque iterum Strengnesiam senatu regni populoque ad paucos, tunc prob dolor! redactis, ob imminentes adhuc graves regno tempestates exhaustum viris & opibus regnum,*

nobilis

mobiles vulgi animos, dissensioni, turbis, factionibus & mutationi principum ante pronos, aliasque graves causas, clavum imperii à se ad alios translatum iverit. Sed quum nemo civium succedere voluerit, omnibus deprecantibus, & obtestantibus de non deserenda tam bene cepta provincia, tandem accepisse, eâ spe, ut populus tot adversis & ferme propinquo excidio, quæ sub Christierno passi erant, nunc monitus, in posterum magis sibi caveret ab intestina discordia, insidiis & facili præsentium mutatione. Sed quomodo hoc à nonnullis observatum sit, in aperto esse. Vix enim restituta regno pristina libertate, cæptas adversus regem conjurationes, extra omnem tamen suam, quantum sibi conscius sit, culpam, primum à Petro Iacobi & Canuto, dein à Dalecarlis, pessimum nebulonem, alienæ se familiæ falso inserentem, imo sceptrum affectantem impunè foventibus; mendaciis, calumniis & insidiis adversus legitimum suum magistratum pertinaciter indulgentibus. Quin jactare audeant, se regem imposuisse fastigio suo: dum post Deum primi fuerint vel authores vel adjutores victoriæ Arhosiensis adversus Christiernum; quum tamen re solum cæpta nondum perfecta domum plerique recederent; & omnes regni arces à Gustavo non solum cum eorum sed totius regni viribus adhuc hostium manibus extorquendæ essent. Vulgum tamen Dalecarlorum sibi persuadere, omnia suis armis & ingeniis patrata esse, ideoque pro suo arbitrio quemcunque extollere & emovere regno velle. Si quis ergo subditos ad seditionem sollicitare velit, pronam & facilem istic esse viam. Qua ratione nemini sit lubido imperio præesse, si in perpetuo commutationum metu periculoque versari debeat. Præter illud conqueri illos, se nimiis tributis onerari, & minis ac tumultuando se ab illis liberatum ire: quum tamen non plus ab illis exactum sit, quam regni tot bellis & difficultatibus conflictati necessitas postulaverit, omniumque consensus admiserit, ad publica onera levanda, & fidem de ingenti ære alieno, quo regnum hactenus Lubecensibus obstrictum sit, aliquando liberandam. Suis autem seditionibus nihil aliud eos quam miscere patriam, seipsos præsenti capitis & famæ discrimini exponere, aliosque in contagionem publici mali secum trahere. Regi insuper impingi culpam annonæ, quasi ipse Deus sit, & in sua manu habeat vim cœli & temporum fata. Sibi itidem crimini dari, quod metationibus onerentur emporia ac cœnobia: quum id tamen authoritate & necessitate publica factum sit, ut supra dictum. Item monasteria & templa ab eo spoliari & dirui: quum solum inde subsidia quædam in publicum usum cum procerum con-

consensu depromta sint. Novæ religionis authorem perhiberi, si superstitiosos ecclesiæ ritus & flagitia monachorum exstirpari, potentiam episcoporum intolerandâ, qua olim in Regẽ insurrexerint, & externos principes subditorum cervicibus graves induxerint, minui, & incorruptum Dei verbum propagari velit. Se rem commissurum veræ religionis peritorum, à studio partium alienorum, & omnium ordinum judicio, ut, quæ pars sanam complectitur doctrinã, vincat, confirmetur & defendatur ab omnibus, & omnis discordiæ occasio in posterũ præcidatur. Significatũ insuper ordinibus, de regno opibus exhausto armis & deprædationibus hostium, ambitione & avaritia potentium & præsulum, atque metallicorum fructuum, per tot civiles motus incultu, novis subsidiis ad belli nervum, aulæ, legationum, reflectionis arcium, nuptiarum regiarum impensas, in beneficiorũ & præmiorum in nobiles aliosque bene meritos conferendorum copiam necessariis. Ab emporiis primariis querelas ad regem sæpe deferri de illegitimis per provincias commerciis. Quæ si rex ex lege, ut decet, corrigat, quasdam provincias obstare. Si verò conniveat, urbibus & publico hoc detrimento esse ipsiq; regi imputari: quæ quam gravia sint justo imperio intendenti, ipsos facile videre. Sed maxime metuendum esse, si ita subditi contra seipsos dissentiant & discordia civili collidantur, ne externi dominandi cupidis faciliorem viam ad spes pravas aperiant. Hæc incommoda serò ventilata & in animũ admissa annon justum satis ipsi momentum, ad imperium deponendum, senatui verò populoque, ad ejus difficultatibus medendum, ipsis ulterius sedulòque ponderandum committere. Quum rex urgeret responsum, silentio facto Ioannes Braschius episcopus Lincopensis primus sic verba fecit: Nos qui in statu ecclesiastico sumus, haud diffiteri possumus, quod sanctissimo patri Pontifici Romano juramenti religione addicti simus; ita ut nihil in doctrina aut aliis sacris ipso inscio aut invito mutare nobis integrum sit. Nisi quid minutarum superstitionum à monachis aut presbyteris institutum sit, quod eorum antistites non approbarint. Nihilominus etiam jurata fide, subjectione & obsequio præsenti nostro Regi devincti sumus, si modo nihil præcipiatur nobis, quod decretis & conciliis pontificum adversetur. In nostra itidẽ manu non est, aliquid sponte nostra resignare vel alienare de bonis soli vel mobilibus ecclesiæ; quæ Pontifex nos ut sanctum patrimoniũ religiosè tueri jussit. Ad istæc, rex senatum & nobiles rogat, num recte responsum sit? Turo Iohannis regni magister aulæ, & ejus socii se non aliter animadvertere posse ajunt, quin appositè responsum sit; licet nondum satis ad omnia capita. Hic rex admodum commotus: sibi non placere, hoc

modo

modo eorum regē esse. Se modestius ab illis responsum exspectasse. Sed se iam nihil mirari, si plebs insaniat & cornua regi obvertat: quū tales habeat authores & duces. Facta sua criminationem, quum decus & laus deberet, sequi. Si cœlum sit siccum aut nubilum; si fames aut lues saeviat, in se culpā conjici. Hoc nimirum esse præmium indefessæ sollicitudinis, & vigiliarum regiarum pro communi regni & omnium civium salute. Quosdā illorū optare securim capiti ejus impactam esse, licet nemo manubrium apprehendere velit, ut est in proverbio Suetico. Tali mercede & cura æquè se atq; alium quemcunq; facile supersedere posse. Equidē quum illorū caput & rex constitutus sit, plus laboris & molestiarū quotidie sibi pro patriæ rebus subeundum esse, quā quisquā eorū cogitare queat. Et tamē illos vel supra vel juxta se attollere conari præsulem, presbyteros, monachos & id genus alios pontificis clientes & municipia. Ut verbo dicat, omnes in se tanquā ipsis obnoxium imperium & censurā exercere, neminē fermè dicto audientē esse cupere. Proinde sciant, se hac lege regnum nolle, sed planè abdicare; contentū quē velint regē eligere, & in votis habere, ut talem nancisc antur qui illis semper & per omnia placeat. Hoc tamen præcauto, ut se bona fide liberent regno, atque sibi dependant omne suum patrimoniū & possessiones soli, aliaque quæ ex propriis in regni usum expendisset. Hoc postquā factum fuerit, se fidem de repentino abitu ex regno daturum, & nunquam huc rediturum. His dictis rex oculos lachrymis suffusus ex comitio statim in arcem vadit. Inde Cancellarius alloquutus ordines, eos in tanto negotio, in quo totius regni salus vertatur, Deum salutare consilium rogare & unanimiter in medium consulere monet. Ex duobus unum eligendum esse, ut vel exorent regem eique pareant; vel si videatur alius eligendus, Gustavo de omnibus expensis publicis satisfaciant, ut ex ipso audiverint, aliam viam non dari. Sed omnes attoniti sedere & inter se mussitare, donec declivi die solverentur comitia. Turo Iohannis prævio tympano & tubarum concentu ferox ingreditur hospitium suum in via jactans: à nemine se ethnicum, Lutheranum aut hæreticum hoc anno redditum iri. Postero die cum redirent ordines in conventum, in contrarias adeò sententias ibant, ut planè non congruerent, sed magis alienarentur animi. Quin populus senatum ac proceres urget absque strepitu & tumultu in rem consulere, & regi nihil indignum postulanti obtemperare, nisi malum experiri velint. Sed quum turbas & murmura passim miscerent, silentio tandem facto, Magnus Sommerus ita ordines adfatur: Quum salus & incolumitas regni nunc maximè in dubio sit; illis seriò per-

perpendendum esse, utrum duorum in medio positorum expeditu facilius sit. Vnum, recusare regem Gustavum & aliū sibi quærere, quam male illis eventurum sit, vel puerum, nedum viros pensitare posse. Alterum, exsolvere regi patrimonium & omnem impensam, in hac rerum difficultate illis arduum factu aut impossibile fore. Turonem quidem laude dignum esse, quod ecclesiam catholicam ejusq; antistites tam strenuè defenderet. Sed si nimis asperè ageret, periculum fore, ne plus inde mali quā boni redundaret. Non bene publicæ rei consulturum iri, si ita pro causa sua pugnent, ut totius inde regni securitas in discrimen vocetur. Satius esse cedere tempori & obliquato sinu paulum velificari, quam obstinatè renitendo publicæ salutis jacturam facere. Meliora paulatim, instaurato nunc regni statu, sperandā esse. Si verò, quod Deus prohibeat, rex esset discessurus, non diu ab hostiū huic regno quavis occasione imminentium insidiis tutos permansuros: quin exitio præsenti subjectam fore rempublicam, ut navim rectore destitutam. Hujus sententiæ non pauci accesserunt ex populo, clamantes, *si proceres ultra obnitantur, se regis Gustavi ope eorum pervicaciam ulturos.* Ita nobiles, inprimis VVestrogothi mitius agere cœperunt; & inter eos Magnus Bryntonis ad moderatiora consilia animum Iohannis Turonis induxit; nisi ultima pati vellet. Plerisque sententiâ populi victis, atq; re satis discussa stetit mittere conspectioris dignitatis viros ad regem placandum & revocandum, quod aliquoties tentatū eos frustra habuit: quum rex immotus adversus quosdam pertinaces staret. Tandem tamen humilibus & toties iteratis eorū deprecationibus se moveri passus, quarto die rediit in comitium. Isthic decretum de præcipuis consultationis capitibus editum est in hanc mentē. *Ordines regem & regnum ab omnibus insidiis & conjurationibus, præsentemq; statum pro virili defensuros. In perduelles & proditores, ubicunque deprehendantur, severè animadversuros. Fructus regni diminutos, & ad episcopos ac reliquum sacrum ordinem ex superflua translatos, ab iisdē ad coronam unà cum arcibus revocandos esse. Quæ verò sint oppignorata, à veris hæredibus ex lege redimi fas fore. Nimias opes, ut otii, luxuriæ & rebellionis materiam, præsulibus accidas, honesta vitæ subsidia relinquenda esse. Controversias religionis à peritis Theologis ventilari & decidi, purum Dei verbum in ecclesiis doceri, & contra male seriatos defendi è re fore. Residuum contributionum, à subditis solutioni æris alieni destinatum exigendum esse, VVikiæ & Gothlandiæ negotium integrum ad legatorum*

tribus regnis conventum & transactionem remittendum. De perfidia Sturio a Dalecarlis regi tradendo. De illegitimis negociationibus prohibendis. Hæc deinceps exsequutioni mandata sunt, præsertim de superfluis præsulum opibus ad coronam retractis. Præter arces enim, tredecim millia prædiorum, quæ episcopi & ecclesiastici possederant, ad coronam & ordinem equestrem redierunt: quum regnum & nobiles vix tertiam partem bonorum in comparatione possessionum sacri ordinis antea tenerent. Ex Dania legati Holgerus Georgii & Axelius Vgrupius nomine Friderici sui Regis, auxilium a Gustavo Rege petunt contra Ferdinandum Imperatorem Caroli V. fratrem: qui armis Holsatiam infestare agitabat, & in regnum Daniæ reponere Christiernum. Ne Gustavus arte Ferdinandi a fœdere cum Friderico dimoveri vellet. Vt conventus publicus de totius trium regnorum negotiis ex decreto Malmogiensi propediem instituendus. Vt Vikia a Gustavo restituerentur Friderico. Gustavus Rex auxilium Friderico promittit, & de fide sua dubitare vetat. Se & ingenio & tot exemplis doctum non tum pronum esse ad fidendum hostium artibus & dolis, quam illi ad utendum iis esse possint. Christierni immanes quoque actiones nondum animo ejus excidisse. Seque facile providere, si in Dania novum belli incendium ab ipso excitetur, etiam in vicinam Sueciam illud brevi transiturum. Itaque fœdus & amicitiam sibi cum Friderico salva & firma fore; modo ipse pro sese istinc servet. In nonnullis haud satis videri ex fide egisse; dum Severinum Norbyum non confestim ex pacto Malmogiensi VVisbyo exegerit, sed detrimenta non levia regno Sueciæ inferre passus sit, a Friderico jure ipsi resarcienda. Si enim ejus promissis de expellendo Severino fidem non adhibuisset; se Gothlandiam ei non tradidisse. Friderici legatos quoque neglexisse Lubecæ transactionem & discussionem de Gothlandia, uti convenerat. Et postmodo se inconsulto nova iniisse pacta de eadem provincia cum Lubecensibus. Tormenta itidem & alia instrumenta bellica sibi ex pacto non restituta esse; nec nobilibus Sueciæ possessiones & prædia in Dania. Nec servatam esse a Friderico pactionem de non tolerandis proditoribus unius regni in alterius regno: dum præter alios iste ex dolis & mendaciis consutus falsus Sturius in Norvegia toleretur. Hæc emendari fœderis & amicitiæ conservandæ causa se expetere. Conventum trium regnorum sibi quoque volenti fore: modo tempus & singulis accommodus locus a

Friderico

Friderico designarentur. De Vikia se prioribus literis mentem suam declarasse, & de eadem in dicto conventu ulterius agi sibi non displicere. Cum hoc responso & literis securitatis publicæ hic in Suecia pro se obtinendæ, ut petierant, si Ferdinandus Daniam incursaret, legati dimittuntur. Ad frequentes civium obtestationes & desideria, rex tandem in coronationem sui consentit, his tamen conditionibus: *ut tumultus apud Dalecarlos prius sedaretur. Si quid nævorum aut malorum occurreret, quod in posterum motus dare posset, hoc in tempore regem monerent, antequam se illigaret imperio.* Quod & factum est, & regis inauguratio proximis à die trium regum, ut vulgo vocant, feriis solennibus auspiciis ac ritu instituta est. Equites à rege creabantur Laurentius Siggonis Ericus & Ivarus Flemingii, Ioannes Turonis, Turo Erici, Birgerus Nicolai, Carolus Erici, Nicolaus Olai, Canutus Andreæ, Magnus Iohannis, Magnus Bryntonis, Petrus Durus, Benedictus Nicolai. Epulæ publicæ præbitæ, ludi equestres habiti omniaque ad festam lætitiam & applausum comparata fuere. Post inaugurationem rex aggreditur regni negotia, & senatum ponderare jubet responsum suum legatis Daniæ nuper datum. Illi pensitata re, *recte à rege responsum* aiunt, *tempus autem conventus publici trium regnorum proximam æstatem, vel quod opportunius videretur Friderico, & locum commodum Ladosiam aut Kongellam Daniæ decernunt. Si Vikia cedendum sit, impensas in Gothlandiam regno refundendas esse. Et ad Norvegos scribendum de non ferendo istic proditore Sturio.* Rex de his Fridericum regem Daniæ certiorem facit, & simul eum rogat de turbis nuper in Norvegia contra Sueciam, *num ipso consulto motæ essent?* A Friderico responsum, *se prorsus inscio hoc factum, & nunc serio monuisse Norvegos, ut nullum istic recipierent ex Suecia profugum aut proditorem. De loco conventus idem sibi placere. Sed tempus ad S. Laurentii diem dilatum.* Hic quidam annales ferunt, Gustavum viduis & virginibus nobilibus si conditionem nuptiarum sibi parem, ob penuriam nobilium virorum à Christierno magna parte sublatorum, invenire non possent, aliis honestis viris, etiam si nobili loco nati non essent, nubere permisisse: quos, ubi rectè factis & virtutis studio mererentur, honoribus ornare vellet. Inter illos fuisse Ionam cognomento scribam, qualis ex molitore factus, &

regis

impensa literis informatus, postea ex occasione commemorata Magni Greenii viduam uxorem claro matrimonio domum duxit. Rex illum insuper nobilitatis insignibus, dignitate & opibus donabat. Sed huic homini usu venit, quod illis, qui postquam diu in obscuro delituerunt, quum subito in lucem prodeunt, ejus impatientiores esse & facile offendere solent. Ita ex humili in altiorem sortem productus, dum eam reverenter habere negligit, seipsum tandem præcipitavit. Ad comprimendam insolentiam Dalecarlorum rex cum expeditis copiis proficiscitur, quos Tunæ collectos, corona militum cinctos, & ob tumultum denuo concitatos severè objurgat. Illi primo se purgare, deinde convicti culpam deprecari. Intercedente regni senatu authores factionis ad supplicium traditi, reliquis vitæ gratia facta est. Sic motus ille præsens compositus est. Occasio etiam regem alliciebat ad ulciscendum Norvegorum inprimis Vincentii præsulis Nidrosiensis & sociorum factiones & conjurationem cum proditore regni, Sturii nomen & genus mentente; nisi fœderis cum Friderico rege Daniæ respectus pacatiora consilia dictasset. Ad factiosos tamen in Norvegia scripsit, *ut, nisi sceleratum istum hominem ipsi plecterent, aut sibi traderent, se hostes suos, ubi deprehendere posset, persequuturum.* Hac denunciatione belli territi præsul & ejus amici, discessere jusserant proditorem, qui Rostochium profugus, ibi a senatu urbis regiis literis persuaso in vincula conjectus, capite pœnas perfidiæ dedit. Inde rex movet ad Helsingos, Medelpadios & Angermannos, causamque contumaciæ adversus præfectos & exactores tributi percontatur. Illis supplicibus & offensam regis deprecanibus Gustavus exorabilis ignovit, paucis in carcerem conjectis, sed mox dimissis. qua clementia effecit, ut eum in posterum magis revererentur, quam formidarent. Helsingis etiam sub data fide officii & promtæ militiæ, quoties opus esset, vetera privilegia confirmavit. Hoc anno magna frumenti penuria & fames Vplandiam adfligens, non poucos absumsit. Plebs mali pœnam mutatæ religioni acceptam retulit, ab episcopis & sacerdotibus sic docta. Sed tam sacer ordo quam populus intra se mali culpam hærere, nullo peccati experte, non recordatur. quæ plures neci datura fuisset, nisi rex ingentem frumenti copiam in

Livonia & alibi coëmtam inter egenos viritim pro æquo pretio distrahi curasset, & publicam inopiam ita sublevasset, ut etiã tributo regi pendendo sufficerent. In conventu Ladosiensi Fridericus rex Daniæ per suos legatos exceptiones movet ad responsum à Gustavo præterito anno Holmiæ ad Friderici postulationes datum: Primò *agit gratias Gustavo regi Sueciæ pro constantia amoris & fœderis inter ipsos.* Dein de damno *ipsi à Severino Norbyo illato resarciendo negat se teneri: cum ex ejus perfidia plus damni ipse acceperit: & dum eum persequutus sit, evasisse.* Discussionis Gothlandiæ negligentiam non sibi aut suis, qui prælati sint ad tres hebdomadas adventum legatorum Sueciæ, sed Regi Gustavo & ejus legatis, qui ad dictum diem ex pacto non advenerint, imputandam esse; & mulctam C. M. aureorum ab ipso ea de causa ex ejusdem pacti lege præstandam. Nova ejus pacta cum Lubecensibus de Gothlandia non fore præjudicio Gustavo, nec fraudi pacti Malmogiensi. Tormentorum Gustavi jacturam se præstare non posse, quum ejus incuria non perierint; sed ad Lubecenses pervenerint, qui nullam de iis satisfactionem subire velint. Ad querelam de prædiis nobilium Sueciæ in Dania nondum restitutis, respondet, Gustavum satis scire quibus conditionibus pactum de restituendis certis prædiis in Dania factum sit: quod jam impletum credat, aut si nondum impletum sit, se effecturum ut exitum brevi sortiatur. Idem se desiderare à Gustavo in restituendis certis prædiis Sueciæ ad nobiles Daniæ pertinentibus. Ex Suecia profugis in Norvegia non tolerandis se sæpe ad istius regni proceres scripsisse, & illum fallacem Sturium jam Norvegiâ exterminatum, Rostochii morari: cujus loci senatus à Gustavo de tradendo aut puniendo reo sit monendus. Vitiam regni Daniæ ex pacto Malmogiensi restituendam esse: quia à legatis Gustavi transactio de ea negligenter habita sit. Ad has Friderici exceptiones legati Gustavi reponebant. *Excusationem Friderici de Severino suo Regi non satisfaceve: quum non contraxerit cum Severino sed Friderico & senatu regni Daniæ, quorum pacto stare velit, & horum authoritatem fidemque sequi. Non posse ulla ratione probari, Suecicorum legatorum incuria disceptationem de Gothlandia prætermissam fuisse: etiamsi Lubecæ non eodem temporis momento quo præscriptum erat & ipsi optarant, adfuerint. Quippe loca, per quæ terrâ transeundum, hoste repleta periculosum iter fecisse. Maritimum verò itineri diuturnum adversum ventum remoræ fuisse. Quæ quum casu contigerit, humanitatis hic rationem habendam, nec tam*

districte cum illis agendum esse. Quin eo tempore advenisse, quo negotium de Gothlandia & aliis controversiis adhuc integrum commode transigi potuisset, nisi aliud quam simplex jus specioso prætextu quæsitum, & legatis Danicis remanendi animus fuisset. Sed hæc Deo & conscientiæ ipsorum se committere. Interim desiderare, ut Gothlandia, quam rex Daniæ incognita causa possideret, Sueciæ, cui iure deberetur, cum multæ dictæ præstatione sine longiori mora restitueretur, vel ab incorruptis judicibus res definiretur. Si verò juris via sibi præcludatur, nec magis respiciantur amicitiæ & vicinitatis officia, quam hactenus; sibi de alia, nimirum facti via quamvis invito cogitandum esse. Sed se moderatiora, non tam verbis, quam reipse præstanda, ab illis exspectare: quæ etiam pari affectu sit remuneraturus. Vikiam usque ad causæ cognitionem de Gothlandiâ & ipsa Vikiâ se bona fide retenturum. Quum de his hinc inde incassum disceptaretur, in alium commodum conventum res producta, & fœdus amicitiæ mutuique auxilii adversus Christiernum ejusque socios redintegratum est. Conventum inter regem Gustavum & nobiles regni Sueciæ, de decem marcis ex cujuslibet prædii beneficiarii, ut vocant, fructibus & proventu solvendis ad expunctionem æris alieni coronæ: de armorum lustratione equestri proxima hyeme instituenda. Quum legati Danici abiissent Ludosia, regni negotiis quantum pro tempore poterant peractis, rex voluit ut, quum ipse aliis justitiam administraret, sibi quoque lege frui liceret, & ut senatus regni jus diceret in lite inter se & Ingeburgis Stenonis Sturii senioris viduæ hæredes de quibusdam rebus soli, quas rex suo parenti vi extortas querebatur, in quarum possessionem Ingeburgis hæredes jam venerant. Ille autem desiderabat, eas ad veros hæredes, qui illis diu extra suam culpam caruerant, ex lege iterum redire: quum non legitimè præscriptum revocari posset. Causa satis dictâ cognitâque, senatus non aliter judicare potuit, quam quod tertia pars bonorum soli hæredum Ingeburgis regi jure deberetur. Hoc Turonem Ioannis causa cadentem admodum pungebat, & libenter vindex injuriæ, ut putabat, à Gustavo sibi factæ fuisset; sed pennæ ipsi pleræque jam evulsæ erant, ut altius volare non posset. Sequenti tamen anno non parum seditionis excitavit in Vestrogothia & Smalandia, ut suo loco dicetur. Ineunte anno rex concilium Orebroæ instituit, habi-

tum ab ecclesiæ antistibus & eruditis viris de instauratione sacrorum & ceremoniarum : ut in omnibus ecclesiis earum conformis usus esset, discordia sopiretur, concordia stabiliretur. Hoc concilium extat in historia ecclesiastica Sueogothica Baazii. Rex per suos Lubecam ablegatos agit de solutione æris alieni & rationibus ejus purgandis, quamvis ob moram Lubecenses pecuniæ summâ auxisse dicerentur. Cum iisdem transactum est de mutatione quadam privilegiorum ipsis à rege ante aliquot annos Strengnesiæ concessorum, quum regnum inde nimium caperet detrimentum. Convenit inter eos hoc modo : *Vt nulla alia civitatum Vandalicarum quam sola Lubeca frueretur immunitate à vectigalibus in hujus regni emporiis, Holmia, Calmaria, Sudercopia & Aboa: ita tamen ut mercium domini quotannis in dictis turbibus coram præfecto regio literis assertoriis juratis probarent, istas merces ad ipsos, veros cives Lubecenses, non alios pertinere. Si secus deprehenderetur, eas fisco regio addicendas esse. Nec aliter exonerandas & deponendas, quam invecteratus mos ante indulta hæc privilegia obtinuisset.* Post concilium Örebroense publicatum, rex aliquot idoneos Evangelii concionatores à se auditos singulis cathedralibus ecclesiis & earum episcopis commendavit, ut eos probatos gregi præponerent, & adversus vim tutarentur. Sed ad Scarensis ecclesiæ episcopum missus ita excipiebatur, ut mox fuga salutem peteret. Nec meliori fortuna usus scholæ ibidem rector, qui cum Evangelium Matthæi provectioribus scholasticis extra ordinem interpretari cæpisset, ab iisdem lapidum obrutus procella, & schola exactus, Vadstenas confugit. Hujus petulantiæ authores fuerunt isti ex proceribus gente Vestrogothis Thuro Iohannis, Nicolaus Olai, Thuro Erici, Magnus Bryntonis & episcopus Scarensis Magnus. Qui nulla alia causa quam ob Pontificiæ religionis antiquationem in regem conjurabant; exuta omni fidei & juri-jurandi regi antea præstiti reverentia. Thuro Iohannis dux & caput hujus conjurationis & postea subsequutæ seditionis, juratus Christierni cliens, quique proditorem animum occultè sub pectore gerere credebatur, tres suos filios in Vplandia degentes, Iohannem, Laurentium & Georgium præpositum ecclesiæ cathedralis Vpsal. literis hortabatur ad arma

&

& vires secum contra Gustavum jungendas. Sed Iohannes & Laurentius fratres tam constantes in fide erant, ut literas patris non resignatas de manu in manum regi traderent, roganres ne ipsis malo esset prava patris adversus regem molitio. Se pro regis salute vitam & omnia sua devoturos. Sed Georgius præpositus Upsaliensis alia omnia sentiebat, in prædio suo Biörnöensi paræciæ Frotunensis ex colluvie sceleratorum centum militum manum cogebat, patri suppetias laturus. Rex per literas eum monebat *quiescere, nec patris machinationibus se cum periculo capitis & fortunarum immiscere: ad se sub fide pub. venire, & patrocinio regio, ut reliqui ejus fratres, frui.* Idem monere ipsum fratres & cognati frustra. Quocunq; progrediebatur, patris literas quasi Fecialis ejus plebi inculcabat, quarum sententia erat: *Se Lutheranismum & templorum ac monasteriorum desolationem ulturum;* quo plebem in suas partes ductabat, eamque obsequium regi velut hæretico detrectare impellebat. Si quos sacerdotes Evangelium rite docere comperiret, eos verberibus æde sacra expellebat. In Helsingiam pergens regis prætorem Olaum Martini persequitur & die Dominica in æde ope sacerdotis istic captum cum ministris carceri tradit; qui tamen mox cura presbyteri in Norala liberatur, ministris præpositi eorum vicem iterum inclusis. Sed ipse præpositus è cœnaculo prospectans advenantes, per posticum in silvam clam evasit. Noralenses insequuti hominem & frustra quæsitum in silvis, tandem in lacum tacitis remis provecti, in lintre sedentem à tergo invadunt, & ubi deprehensum se sentit, in lacum se proiicere conantem corripiunt. Ille desperatione fugæ, an metu ne ob istam prædam obtruncaretur, catenas aureas & annulos, quos penes se habebat, in profluentem abiicit. Illi verò hominem Holmiam abducunt, ubi carceris incola per sesquiannum, postea tamen à Gustavo dimissus est. Noralenses pro Bollenäsensibus apud regem intercedunt, & ipsi noxam fassi gratiam facinoris supplices petunt, & impetrant. At Thuro Iohannis & reliqui conjurationis socii ad malè consulta non segnes & remissi, Smalandorum partem ad seditionem concient. Hi autem sibi legunt consulem Venecopensem Nicolaum Arvidi. Ille quidem integritate erga regem inconcussa, tamen simulatâ facinoris societate majo-

rem fidem apud conjuratos meritus, occulta principum rebellionis facilius elicit, & regi cuncta aperit unàque literas conjurationis interceptas ei transmittit: unde rex eorum flagitiosa consilia discit. Smalandenses quatuor regis præfectos trucidant. Regis sororem Iohannis comitis Hoiensis conjugem, quæ nuper ex Saxonia nuptiarum pro rege concilitandarum causa redierat, una cum secretario regio VVolfgango Gylero & aliquot civibus Ienecopiæ captivam abducunt. Quos ægrè postea raptorum manibus rex liberavit. Iidem sub sigillo civitatis Ienecopensis ad Ostrogothos aliosque scribebant, quomodo *resignata regi subjectionis fide, constituissent armis persequi iniquum regis imperium.* Hoc enim obtentu utebantur: uti scelus, quum justam ad sui patrocinium rationem non habeat, à vano prætextu authoritatem quærit. *Itaque eos secum ut vicinos facere & idem velle* cohortabantur. Parem in modum Thuro Iohannis Montanos & Dalios literis *ad defectionem* allectabat, *& ad Gustavum conjunctis viribus ob Lutheranam hæresin, quam foveret, regno exterminandum. Se sibi alium quæsituros regem, imperio magis parē & subditis æquorē.* Quæque alia hujusmodi indigna, non tam ex obstinata animi malitia quā præpostero & inconsulto vindicandę suę religionis ardore scripserat. Sed ne molitiones conjurationis sociis secūdum sua vota provenirēt, & rex improviso opprimeretur, pleræque omnes conjuratorum literæ singulari Dei nutu in manus regis devenerunt: unde cogitata facinora perduellium edoctus, malo suo tutius occurreret. Montani quoque & Dalecarli respondebant Vestrogothis & Smalandis, monebantque, *ut ipsorum exemplo discerent esse cautiores: dominationem quærentium improba consuetudine abstinerent, conquiescerent & captivos dimitterent. Si verò prava facinora mallent, facerent suo periculo; & scirent, seditionem, ut incendium, facilius excitari, quam exstingui; & in eam involutos potissimum aduvere. Se in fide mansuros, & omnes in caput regis conjurantes vi & armis persequuturos.* Vt conjurati firmius haberent adversus subitas hostium impressiones munimentum, mille militum copias sub Tivedia ad Hovam locant, ductore Nicolao Hualstadio: qui ex prætore sacerdos, ex sacerdote iterum tribunus militum factus erat; ad quemvis fortunæ habitum aptus, aut potius vertumnus. Ad eum mittunt literas, ex occasione ad quos da-

tæ erant, bene curandas. Sed accidit ut juvenis, civitatis Holmiæ apparitor, Iohannes cognomento Audax, quod ad omnia audenda promto esset animo, natione Vestrogothus eò mitteretur, conjuratorum actiones exploratum. Is per avia contendens in Vestrogothiam, hostium castra & excubias latens, apud suos aliquamdiu commoratur. Indè ad castra hostium redit, & à custodiis se non invitum capi passus, ad tribunum ducitur: qui ut exploratorem ex Vplandia huc missum increpat, & arctè custodiri jubet. Ille verò ut more exploratorum noscceret, non noscceretur, per quadriennium se Vplandiam vidisse negat; hactenus in Vestrogothia moratum, sanctè adfirmat. Mox quatuor militibus custodiendus traditur: quos ut deludat, post aliquot dies morbum simulans, tussit, screat, vomitum molestè & laboriosè minatur, quasi stomachum intemperie gravem exoneraturus. Familia domus hominem miserata, lectulum ei sternit, & valetudinem ejus utcunque curat. At excubitores malè habentis tædio, an quod infestam veri morbi vim crederent, securi tandem solum relinquunt: id quod ille unicè quærebat. Dum enim illi absunt, & nemo ex familia intus est, occasione capta, scrinium in angulo temerè locatum arripit, & literas conjuratorum in eo reperit. Mox suo loco reponens, lectum morbumque suum repetit & corpore se pessimè affectum fingit; voce, gestu, suspiriis ægroti dolores ingeniosâ & latente fraude imitantibus. Proxima nocte surgens, literarum capsulam secum aufert & clam se domo proripiens, lecto vacuo & mendaci morbo relictis, qua venerat via Vpsaliam reverti tur, & literas velut opima spolia ad regem adfert. Imò quavis præda chariores regi fuerunt istæ tabellæ, dum consilia conjuratorum tam securè sibi commissa, sed tam imprudenter & incuriosè servata regi quovis indice fidelius enunciabant. Vbi Vestrogothi ad Larvæ convalles ex edicto Thuronis Iohannis & Magni episcopi Scatensis convenissent, in lucem productum est, quod clam ante animis versarant. Populum enim sibi jutamento adstringere & proclamare regem Magnum Bryntonis constituerant; eique regium honorem habere cæperunt. Thuro Iohannis alloquetus Vestrogothos, gratias eis egit, *quod se ut primum procerum omni honore & benevolentia prosequuti essent. Quum verò*

rex, quem nunc habeant, à vera religione defecerit ad Lutheri sectam, & novam populo invito obtruserit fidem, à fundamentis demolitus sit & exspoliarit templa & monasteria, & in juramento coronæ præstito prudens præterierit caput de ordine equestri & sacro, eorumque bonis tuendis, non minuendis: atque sic fidem coronæ & subditis debitam violarit, ipsos quoque non obligatos esse vice mutua servare fidem sacramenti ipsi præstitam, sed è re fore publica sibi alium eligere regem. Si ergo velint amovere Gustavum, se prospecturum illis de alio probo rege, qui ipsis cordi futurus sit. Equidem *se non semel cognovisse quod boni Vestrogothi Lutheri sectam abhorreant odioque habeant, & in antiqua & avita perseverare religione, pontifici R. cardinalibus & episcopis morem gerere, atque ab eorum doctrina neutiquam divertere velint.* Episcopus Scarensis Magnus addebat: *Pontificem R. habere potestatem eos absolvendi sacramento fidelitatis Regi Gustavo hæretico præstiti, & hoc se facile procuraturum* Ceterũ Vestrogothi, incorruptis erga regem animis manifestè sentiebant, illos improba cupiditate & inconsulta temeritate transversos agi. Proinde penso melius consilio, duos ex concione pro se respondere jubẽt: *Se nullo modo posse incusare regem Gustavum, sed potius summo beneficio ipsi devinctos esse, pro liberatis ejus industria & virtute subditis & universo regno à crudeli dominatione Christierni, & defensa patria adversus omnem vim ac injuriam, in otio & pace administrata cuilibet justitia. De religione verò ipsorũ non esse judicare. fortè rem secus se habere, atq; fama ferret. Hoc tamen se videre, periculosæ aleæ opus esse, sæpe mutare regi. rarò in melius verti. nihil magis præstare, quam stabile imperium. Si tam stolidi essent, ut eorum consilium sequerentur, fore ut se, libevos & posteros in diuturnas turbas, & in præsens di scrimẽ ac perniciem, hujusmodi turbarum comites, præcipitarent. Proinde sibi tutius & magis ex usu videri, in fide semel regi jurata constanter perseverare.* Dicentis verba omnis concio erectis manibus & communi assensu comprobavit. Hîc multum attoniti conjurationis principes, secus quam cogitarant rem evenire, metu multitudinis securitati suæ consulere cæperunt, rogantes quatuordecim dierum spatium de pacis & amicitiæ regiæ commodiori ratione cogitandi, plebem & mox quoque exercitum suum dimiserunt. Militum dux VValestadius rogatus, *quid de literis conjurationis ad amicos scriptis fecisset?* respondit: *se cremasse, quum sentiret ex voto conata non processisse, nec vias per quas tran-*

mit-

mitti de erant, satis tutas esse. Sic illi conquieverunt, ignari literas interceptas esse. Dum verò singuli, destinatione animorum irritâ, capiti suo metuūt, Nicolaus Olai, Thuro Erici & Magnus Bryntonis, exilium grave & morti fermè æquandum rati, constituerunt in regno permanere & regis favorem experiri, vel juri se permittere. Spem enim illam fovebant, neminem ipsos facinoris alicujus convicturum, epistolis conjurationis, ut putabant, exustis. Ceterum Thuro Iohannis & Magnus Scarenensis non audebant se committere Gustavo & patriæ, sed rebus optimis convasatis abibant in Daniam & inde in Germaniam; ubi loco, non animis mutatis adhuc prava machinabantur adversus regem Gustavum & regnum; donec ad Christiernum in Belgium veniissent, & una cum Gustavo Trollio ipsi authores fuissent movendi cum exercitu in Norvegiam, uti postea memorabitur. Simulac rex comperit motus Smalandorum & procerum aliquot Vestrogothiæ, malo, ne morâ vires caperet, in principio occurrendum arbitratus, patentes emisit literas passim ad subditos; quibus eos monuit, *non venire in societatem hujus tumultus, sed omnia in meliorem accipere partem, & quieti publicæ consulere. Sibi animum esse, prima occasione regni senatum & ordines convocare, ut exquirat causas hujus seditionis, & remedia quibus hi motus absque Christiani sanguinis effusione componi possint. Omnibus notum esse, quanto cum labore & vitæ discrimine patriam à vi & manibus hostium vindicarit; & quomodo ipsi sua sponte & benevolentia se regem tale quid nihil affectantem, sed aliquoties recusantem elegerint. Se nihil cæpisse, tractasse aut decrevisse in religionis, episcoporum, monachorum, monasteriorum aliisve negotiis, nisi cum consensu procerum & ordinum. Testem Deum & conscientiam suam appellare, se nunquam voluisse aut in posterum velle aliter regnum, tot ante tempestatibus exagitatum, quam in pace & concordia ad populi salutem moderari, si per ipsum staret, nec inquieti homines aliò mentes tuas dividerent. Si qui novi aut offensiones in republica deprehendantur, præstare eas consilio & æqui juris via leniter sanare, quam vi & armis inflammare. Nulli equidem usui & decori esse Suecis bellum civile, quo in propria membra & reipublicæ perniciem grassentur; sed eorum hostibus lætitiæ & incitamento fore, ad eos discordia fessos opprimendum, & regem velut prædam in medio*

positam, occupandum. Proinde caverent cujusquam literis aut molitionibus à se defecti, sed in fide semel ipsi juramento firmata, ut bonos & non degeneres patriæ cives deceret, immoti perfisterent. Se nullâ occasionem prætermissurum, qua eorum commodis & bono studere posset. Ejusdem fermè argumenti literas ad ordines regni scripsit senatus, quibus eos ad quietem & fidem hortatur. Rex insuper Gudmundum Petri præfectum arcis Holmensis & Andream Simonis consulem Holmensem in Ostrogothiam misit, plena facultate instructos agendi cum Holgero Caroli, Magno Iohannis, cum sacro ordine Lincop. & senatu cujusvis urbis Ostrogothiæ & de tumultu Smalandorum aliorumque sedando. Illi cum pluribus operam sociantes, primò tentarunt animos populi: à quo ad duces factionis remissi, cum illis hoc modo transegerunt: *ut armis positis & captivis dimissis, præteritarum injuriarum oblivio sanciretur. Ut hæresis nulla in regnum introduceretur, sed vera religio cum receptis ritibus defenderetur. Ut subditi de redintegranda fide sua & existimatione regia literis caverent.* Hæc utrinque à rege & subditis rata habita & subscripta, pax ac concordia restitutæ sunt. Thuronem Iohannis & Magnum episcopum rex blandis literis & spe gratiæ in regnum revocare, sed frustra conatur: quum negarent se decreto Arhosiensi, cujus in literis mentio facta esset, adquiescere posse. Sed Nicolaus Olai, Thuro Erici & Magnus Bryntonis se literis ad regem excusatum eunt, petuntque comitiis ad se purgandum sisti. Comitia Strengnesiæ, ut desiderarant, instituuntur, ad quæ proceres cum rege & senatu accedunt. Rex *seditionis illos absque causa motæ, patriæ turbatæ & læsæ majestatis* accusat. Sed Thuro & reliqui conjurationis participes excusandis motus causis, regem incusabant *pravæ religionis, violatæ juramenti fidei in non defensis ecclesiasticis personis & bonis ad coronam & nobiles translatis, quorum cupiditate religionem mutasset; in expulsis regno episcopis & monachis, exspoliatis cœnobiis & templis. Item de facta mutatione missarum, ut vocant, sacramentorum, jejunii, cœlibatus clericorum. De subditis nimio tributo oneratis; peregrinis in senatum & arcium custodiam contra fidei & legis obligationem admissis. Conjugium regem cum extranea virgine principe, in civium oppressionem, à peregrinis sponsam huc comitantibus metuendam, inire constituisse.* Rex ad istæc respondet: *Animo suo maximè ægrum fore, si aliud hic in regno doce-*

decretur, quam quod Deus ipse jusſit, nimirum purum Dei verbum & Evangelium; idque decreto Arhoſienſi confirmatum eſſe, cui ſententiam ſuam ſubſcribat. Et tamen ob enatas in religione diſcordias nihilominus ad generale concilium ejuſque rectum judicium provocet: eoque hæreſis inſimulari non poſſit. Se ſatis recordari, ſibi poteſtatem à Deo commiſſam eſſe ad patrocinandum bonos & plectendum malos. Quod cum jurarit & hactenus impleverit, & porro in tuendo eccleſiam & ejus membra, id eſt Chriſtianos regni ſubditos implere paratus ſit, ſe violati in hoc juramenti regni non poſſe. Si vero ſecundum nonnullorum mentem dictum juramentum de epiſcopis, præſulibus & ſacerdotibus ſit accipiendum, & violatum exiſtimetur in eorum poteſtate civili & ſuperfluis opibus diminutis, id approbatum eſſe à regni ſenatu & populo in comitiis Arhoſienſibus ob graves clericorum, uti appellant, abuſus & motus civiles non ſemel ab illis adverſus ſupremum magiſtratum excitatos. Quibus ſi capiſtrum imponatur, & injuriarum in populum occaſio materieſque amputetur, ſe exiſtimare rectè defendi eccleſiam ejuſque membra. Aliàs ſi tuendi eſſent clerici in peſtifera ſua potentia & injuriis quas aliis inferunt, illud fore opprimere eccleſiam, non defendere & tutari, ut juramentum vult. Regem epiſcopos non exegiſſe regno, ſed ſeipſos, quum ad turbandum regnum hinc conſerint ad exteros principes, uti Guſtavus Trollius, Magnus Scarenſis, Iohannes Lincopenſis & alii. Se verò mirari, litem cum epiſcopis de eorum facultatibus, poteſtate & privilegiis novæ religionis cauſam allegari: quum ante eam receptam anteceſſoribus ejus non minor cum illius temporis præſulibus quam ſibi contentio fuerit. Itaq; ſe non aliter videre, quàm quod religionem prætexant proterviæ, ambitioni & avaritiæ ſuæ, vero improbarum molitionum adverſus principes fonti. Opes nimias & immunitates, in dominatum & rebellionis anſam male uſurpatas, illis aliquantum eſſe circumciſas; nec injuria: quum ex propriis eorum decretis, privilegio & beneficio mereatur exui, qui eo abutitur. Monachos verò exteſſiſſe monaſteriis, partim ob licentiam & luxum eorum refrenatum, & abundantes eorum reditus in meliorem regni, eccleſiæ & ſcholarum uſum ex ordinatione Arhoſienſi converſos; partim ob fictæ ſanctitatis larvam à ſanioribus deprehenſam. Cœnobia & templa ſe non ſpoliaſſe, ſed ſub imperii ſui primordia, cum conſenſione procerum neceſſaria inde bello ſubſidia prompſiſſe, quæ regno planè à Chriſtierno opibus exhauſto tunc alinnde non ſuppetebant. Ritus

eccle-

Vikia ex occasione armis à Christiano occupanda, si amicè non liceret. Qua re Gustavus etiam in procinctu fuit & cum instructis copiis in Vestrogothiam concessit, non ignarus, mutuo metu gladios intra vaginas contineri. Nec quid quam hac vice tentatum. Postmodo missus à Friderico in Sueciam Iesperus Brocmannus regius secretarius de Vikia ex pacto Malmogiensi restituenda, & quinquaginta millium aureorum mulctatitia pecunia. Sed quum rex Gustavus de utroque, ut anno superiori legatis Danicis in conventu Ladosiensi, respondisset, nihil ultra actum, sed negotii diremtio in conventum VVardbergensem dilata est. Circa finem hujus anni hîc sævire cæpit transmarinus morbus, sudor Anglicus dictus, quod in isto solo primum ortus, inde vicinas oras ac Germaniam pervagatus, huc tandem quoque penetravit. Iste morbus tam vehemens ac pestilens erat, ut, dum quis optima valetudine uti videbatur, improviso invaderet eum frigidus sudor. Quo correptus nisi statim lectum peteret, & bene tectus, ita ut ne minima quidem aura corpus ejus adflaret, ac insomnis per viginti quatuor horas virus exsudaret, intra duas aut tres horas exstingueretur. In comitiis Vpsa-
1530. liensibus tractatum inter cetera est de reliquis nominum, quibus Suecia nexa erat Germaniæ inprimis Lubecæ, solvendis. Quum vero istæc nomina ad universum regnum pertinerent, decretum est, *ex singulis regni templis quæ quatuor aut quinque aris campani nolas haberent, depromere maximæ proximam ad eorum solutionem: idq; cum minori subditorum onere & molestia fore, quam si ex proprio pensitare tributum necesse foret.* Incolæ Vikiæ in Norvegia tumultuantes obtruncant aliquot regis Gustavi ministros instinctu Danorum, ut putatur, qui omni studio ferebantur ad Vikiam quocunque modo recuperandam. Iacobo Crummio Vikiæ præfecto munus suum resignanti substituitur Achatius Claudii. Quo cum ita rex contraxit, ut ad arbitrarium tempus Vikia una cum fructibus ejus & reditibus pro sexcentis selibris argenti quotannis ad diem Michaelis pendendis frueretur, & simul inde aleret tot milites, quot opus esse crederet ad arcem loci Caroloburgam nomine Gustavi tuendam. In conventu VVardbergensi oratores regis Gustavi urgebant, ut antea, refusionem mulctæ & damni à Severino ex Gothlandia regno Sueciæ

nis factâ pace dati, à Friderico rege Daniæ præstandam; item tormentorum ad Blekingiam & Lystriam tempore pacis Suecis ademtorum, expensarum in Norvegia factarum, & prædiorum in Dania Suecis propriorum restitutionem. De Gothlandia litis cognitionem & alia ex pacto Malmogiensi & Nyloſiensi ſuſcipi apud oratores Danos ſeriò contenderunt, hoc fructu ut ſe obligarent Dani ſolennibus literis ad hæc pacta: *Vt rex Guſtavus Vikiam quam Chriſtierno tyranno jure belli ademerat, cum ſubjacentibus ejus bonis, ſalvis ſubditorum & ordinis equeſtris ordinario cenſu, jure & privilegiis, à die S. Laurentii ad ſexennium adhuc teneret, eoque elapſo ex fide reſtitueret Friderico regi Daniæ aut ejus ſucceſſori, ſublata, irrita & caſſa omni prætenſione & poſtulatione pecuniæ mulctatitiæ aut reſtitutionis damni. Ius tamen de Gothlandia, ſi quod haberent, Suecis integrum eſſet, uſque ad cauſæ cognitionem; ut & prædiorum in Dania & Norvegia ſitorum, quotquot eorum eſſent, recuperationem impetrandam. Incolume quoque fore & omni parte ratum fœdus pacis & mutui auxilii inter reges Sueciæ & Daniæ.* Orebrogæ iterum in conventu regis & ordinum agebatur de una cujuslibet ædis campana, ut vulgò vocant, aut æſtimatione ejus præſtanda; ubi verò hæc non ſufficeret, illius anni decimis ſuppleretur ad creditæ pecuniæ adhuc reſiduæ ſolutionem. Exigendi hujus ſubſidii cauſa emiſſi ſunt viri moderati regio mandato inſtructi: & à pleriſque ſubditis lenitate & ratione perſuaſis obtinuerunt, quod petitum venerant; exceptis quibusdam Dalecarlis in Lixanda, Alia & Gagnefæa: qui à metallorum redemtoribus, quos vulgò montium viros vocant, inſtigati æris campani nolas unctas & conſecratas ad profanos, ut ſibi perſuadebant, uſus tradere religioni ducebant, & ſemet exactoribus earum opponebant, authoribus præcipuis Magno Nicolai in Asboda, Andreæ Petri in Rankhyttan, ante quidem quieto & fido, ſed nunc opibus & felicitate elato ac rebelli. Hi coacto agmine, duce Nicolao in Sörby procuratores & exactores regios indignis modis & verberibus excipiebant. Incolas Tunæ, Torſenſis agri, Snäffuingię & Akerboę quoq; ſollicitabant ad parem motum. Regiam domum in Henemora & Thuronis Erici prædium in Räfuelſtadio diripiebant. Hoc cum ad regis aures accidiſſet, duos modeſtos viros Stephanum Henrici conſulem Vpſalienſem, 1531.

sem & Beronem Holmensem misit ad Dalecarlos cum potestate tractandi cum eis, & rectius eos de hoc negotio cius[que] causis docendi. Sed paulò longius ad Henemoram progressis à sexaginta militibus per Nicolaum in Söderby & Magnum Nicolai in Asboda emissis viasque passim observantibus intercepti fuissent, nisi alia ac tutiori via Holmiam rediissent. Vbi regi illorum molitiones expositi essent, *illis jam insaniendi, sed sibi suo tempore vindicandi spatium fore*, respondit. Mox Upsaliæ comitia indicit animo cum subditis præsertim Dalecarlis & vicinis agitandi de turbis denuò apud eos ortis; & commoda compescendi eas ratione. At seditiosi Dalecarli, præsertim ultra Longhedam colentes, non solum non accesserunt, sed contra literis ad regni ordines datis eos ad Arbogensem conventum sub ultimi supplicii minis satis pro imperio convocarunt: *uti memores aviti fœderis & fraternitatis, in unum consentirent, & de controversiis religionis, demolitione templorum & cœnobiorum & novis oneribus sibi impositis prius communicarent, quam regiis jussis satisfacere possent.* Sed ordines regni præsertim Helsingi responderunt; *se quidem meminisse fœderis & fraternitatis majorum, sed pacis & quietis pub. non turbarum causa factæ.* Hortantur eosdem *ad fidem regi integram servandam, & una cum ipsis tolerandam collationem æris campani ad solutionem nominum regni perquam necessarii; nisi bello cum exteris implicari, & mari occluso præcipuis victus adjumentis carere velint. Si quid offensionis adversus regis præfectos haberent, id jure non tumultu, sibi & patriæ noxio, persequerentur. Se vero nolle conventui isti Arbogensi, ut factionis incendio interesse.* Sic iste conventus, sociis in diversa tendentibus, dissolutus est. Sed ad concionem Upsal. sub dio in colle veteris Upsaliæ rex verbis factis ostendit: *Fidem eorum se fermè in dubium devocare, & pro subditis an hostibus habere debeat, non satis certum esse, alio motu super alium conflato.* Rogati porrò, *cur ad conventum Arbogensem invitati non comparuerint: sibi istic nihil negotii fuisse*, respondent. Inde causas exactionum nolarum illis exponit, nimirum *ut fides regni tandem liberetur, residuum debitæ pecuniæ integrè persolvatur, & incommoda longioris dilationis, à petentium creditorum impatientia, vi & armis metuenda declinentur. Se nihil inde in suos usus versurum, sed per honestos viros liquidam acceptí solutique æris rationem redditurum.* Quærenti

verò

verò regi, *cur in tam necessario negotio tam pervicaces & difficiles*
esset, non habebant quod jure obloquerentur. Erant tamen,
qui ne quidem à maledico ore sibi temperarent. Inde rex in-
census irâ, equum retorquere, gladium stringere, & se non
verbis more ignavorum, sed armis adversus rebelles certare,
si non aliter velint, paratum ostendens, ad pugnam & for-
mæ periculum faciendum præsentes lacessere. Quamvis
autem ad vim & arma, velut præsens iracundiæ & vindictæ
refugium decurrere, & equestri agmine, quo succinctus
erat, si caloris impetum & strictæ ultionis occasionem sequi
voluisset, istos rebelles circumfusos occidione delere in pro-
clivi fuisset; tamen animi sui potens iræque moderatus,
supplici & deprecanti multitudini ignovit. Subditi verò sa-
tiores denuo se verbis & scriptis obstringunt adversus om-
nes salutis & quietis publicæ hostes, ad exstirpationem per-
fidiæ & fidei constantiam erga regem, & residuum imperati
tributi solvendum. Rex finitis comitiis seditionem Dalecar-
lorum præcipuè factionis principum ita dissimulabat, ut ob-
livisceni quam vindicaturo propior videretur. Sed ille re-
bellionis memoriam animo, pœnam occasioni servabat, ut
post biennium patuit. Ne tamen interim dilatio supplicii par-
tium duces metu suspensos in desperationem adigeret, ut
malum reipublicæ novum cuderent, ille omnibus provisis
sedulo præcavebat. Dalecarli verò societate facinoris, quod
plures essent, se tutos rati, hoc solum in consilio habebant,
quod, dum in armis & excubiis erant, labores quotidiani,
quibus sibi suisque victus quærendus erat, neglecti jacerent.
Itaque consultare cœperunt de capessenda quiete, si rex his
conditionibus secum paciscì, privilegia eorum & hæc duo
præcipuè confirmare velit: *Ne transeat Brunsbeckii vadum, ubi*
trajectus in interiores Dalecarlorum oras patet, ipsis insciis & absq;
fide publica. Ne rex illis alios quam ex sua gente præfectos & judices
præponat. Leges pacis regi tanquâ domini aut victores, non ut
subditi, imò rebellionis pœnam meriti, ponunt: ne quid pu-
dori reliquum faceret insolentia. Vnde & factionis duces
hæc ante tempus, tacita conscientia sua prædamnati, ad re-
gem eliminare vetant. Nihilominus tamen sacerdos Tunen-
sis regi per literas patefacere, eumque rogare ut Dalecarlis
præfectum Ingellum Iohannis in Gylla, istic natum, consti-

tueret, sic illis facilioribus usurum. Rex etsi tunc severius cum illis agere jure potuisset, tamen de adventu Christierni certior factus, indulget tempori, si forsan die & quiete sanarentur, qui ratione non poterant; & simul illis desideratum præfectum concedit, silentio transmissis ceteris. Rex Daniæ Fridericus misit duas epistolas regi Gustavo, quarum unam Thuro Iohannis eques, Gustavus Trollius præsul olim Vpsaliensis & Magnus episcopus Scarensis ad Christiernum tyrannum profugi, scripserant ad Iohannem Andreæ episcopum Othoniensem, alteram solus Thuro Iohannis dederat ad Petrum Lyckium præfectum Nyburgensem de recipiendo sine sangvine Christierno in regnum Daniæ; quum Cæsar & ejus fœderati tentarent copiis & armis ejus restitutionem promovere. Quæ res etiam movebat Fridericum, ut auxilium maritimum ex lege fœderis à Gustavo per Axelium Vgupium peteret. Etsi hac tempestate ob motus intestinos & suspectam fidem præsulis Norvegici, justæ copiæ domi habendæ essent, tamen, si quid Christiernum adversus regnum Daniæ tera marive moliri pro certo constaret, in ipsius usum auxilium fore paratum Gustavus promisit. His peractis Laurentius Petri scholæ Vpsalienses rector, præsul Vpsaliensis electus est, de ecclesia præclarè meritus. Proxima æstate rex emisit classem magnificè instructam cum aliquot proceribus Laurentio Siggonis, Birgero Nicolai, Gustavo Olai & aliis, & cum nobilibus aliquot matronis ac virginibus, adductum huc sponsam regis, Ducis Saxoniæ Magni filiam. Quæ cum paulò ante festū Michaelis cum illustri suo comitatu huc prosperè adveniisset, rex cum ea solennes nuptias ipso die Michaelis celebravit. Circa idem tempus constitutio regia lata est *de illicitis regni portubus; & quomodo in licitis commercia exercēda sint.* Gustavus Trollius corrogat suppetias à duce Megapolitano, Marchione Brandeburgensi, & in Norvegia à præsule & ceteris episcopis, quos Christierno transmittat. Christiernus copiis & pecunia adiutus à Cæsare & Belgis, cum decem millium classe & comitibus Thurone Iohannis & Magno Scarensi episcopo ex Hollandia petit Norvegiam: hæc tria regna borealia recuperandi proposito. Sed vix in altum provecto, tanta ex euro procella oborta est, ut per illam tota ejus classis adflicta dissiparetur & elideretur, undecim solum salvis. Cum his

his ingressus Norvegiam ad se vocat Gustavum Trollium ibi delitescentem, & in publicum literas edit: quibus exponit adventum ejusque causam de repetendis tribus suis regnis. Qui ultrò se in fidem ejus dederant, illis præteritorum veniam & benevolentiam suam promittit, secus rebellibus. Ita in fidem suam subditos Opsloæ accepit, & sacramento adegit. Thuro Iohannis primates Daniæ & Sueciæ ac Dalecarlos blandis suis literis, in melius flexum Christierni animum, fidem singularis ejus clementiæ & libertatis publicæ promittentibus, ad defectionem sollicitare nequicquam conabatur. In Vikiam Christiernus cum mille ducentorum agmine movet, & Caroloburgum arcem obsidione cingit; quam etsi Suecica præsidia strenuè defenderent, tamen cæso eorum duce Achatio Claudii, tandem expugnat & incendit. Vbi rex Gustavus Christierni successum in Norvegia cognovit, Fridericum regem Daniæ literis admonuit *de obviam properando Christierni progressibus, & tutando Norvegos. Se pro virili ex pacto fœderis succursurum.* Ita rex Laurentio Siggonis, Holgero Caroli, & Canuto Andræ ductoribus pedestres & equestres copias Ostrogothorum & VVestrogothorum Ladosiam expedivit, ut Vestrogothiæ adversus vim hostis præsidio essent. Iacobus VVestrogothus & Petrus Iohannis cum agmine ad Dalios observandos & si quid moverent, reprimendos emissi sunt. Tordo Petri & Olaus Martini cum justis copiis Helsingiæ præsidio mittebantur. Rex Laurentium Siggonis per literas monebat, *ut omni ratione prudenter & circumspectè ageret, ne inopinato hostis superventu opprimeretur. Vt re communicata cum Danis, intentus esset eorum consiliis & molitionibus. Se mirari, cur Christierni fortunam in Norvegia tam securè transmitterent. Quare se nolle sua agmina magis quam Danorum in discrimen adduci. Temeritatis esse, cum hoste manus conserere, si opportunitas non alliciat, aut vires non æquent. Si verò Dani serio in hostem adversum ire & signa conferre velint, se quoque ut fœderatum deceat, suis partibus haud defuturum.* Lustratas Arbogiæ Vplandorum, VVestmannorum, Sudermannorum copias rex VVestrogothis auxilio misit, hortatus, ut militem ultrò reciperent, & commeatu juvarent. Præstare enim illos ad tempus alere, qui ipsos contra vim hostis tutaturi essent, quam hostili deprædationi omnia exponere.

ponere. Legatus ex Dania Christophorus Othonius nomine sui regis auxilium contra Christierni incursiones à Gustavo ex fœdere desiderat ac impetrat. Vterque rex suos & vicinos in fide confirmant. Gustavus autem duos legatos in Daniam mittit Petrum Durum, & Suenonem episcopum Scarensem, cum hoc mandato: *Vt regi & senatui Daniæ ob oculos ponerent periculi à Christierno tribus regnis intentati magnitudinem: quæ securitatem & remissas manus non ferat. Qua occasione tam facile in Norvegiam sit admissus, se ulterius doceri cupere. Non se videre causam justam, cur Gustavus Trollius in Norvegia tam diu à Friderico toleratus sit, & nomine Christierni cum subditis istius regni agendi licentiam habuerit; præsertim cum episcopis loci, qui non parum suis & ecclesiæ opibus tyrannum sublevarint, quod proceres quosdam Daniæ, non solum Sueciæ, insidiosis literis impune corruperit, & ad Christierni partes traduxerit. Præterquam quod cum Germanicis quibusdam principibus & civitatibus de modo ipsum in horum regnorum sedem & possessionem restituendi convenerit; sibi mirum accidere, cur Fridericus auditis his molitionibus Christierni & amicorum ejus, non statim expediverit agmina in Norvegiam, ad prævertendos Christierni conatus & impressiones. Si verò nunc occupatâ à tyrano Norvegiâ, Danicæ copiæ proximo demum vere essent adversus Christiernum mittendæ, periculum fore ne vires interim hostiles cum exiguo Norvegorum emolumento corroborentur. Sibi utique in tanto discrimine non cunctandum videri. Quod ulterius illis cogitandum & una cum suis deliberandum relinquat. Se verò non destituturum sua ope, copiis & impensis Fridericum, nec pro illis arces, aut terras mercedis loco poscere, veluti nec Fridericus idem vellet. Se jam Ladosiam transmisisse suum exercitum, ubi responsum & suppetias exspectet.* Absente Friderico rege in Holsatia senatus Danicus consultavit cum legatis Sueticis de viribus terra marique ad exigendum Norvegiâ Christiernum conjungendis. Quæ tamen tardius processere. Peditum agmen sub tribuno Gulielmo Suecis ad Ladosiam auxilio mittebant; quod tamen hoste ne quidem conspecto, mox recessit, haud absque populatione. Exercitus equestris Sueonum trium millium bene instructus excursionem fecit Ladosia Hisingiam, in hostem recta iturus. Postquam Christiernus qui tunc Kongellæ tendebat, eos con-

tem-

templatus est, ad Thuronem Iohannis: *Tu me profecto* inquit, *egregiè circumvenisti, negans ullum in Suecia equitatum esse. Qui nam ergo hi sunt? num muliebre agmen?* Itaque graviter ea re offensus Christiernus, ut postero die primo mane Thuro Kongellæ in viam abjectus amputato capite reperiretur: & mali consultoris, sed peioris patriæ proditoris condignam mercedem ab ipso hoste ferret. Adversus Suecos miles hostilis egressus, viribus inferior, sed loci beneficio & arte superior fuit. Quippe dux hostilis agminis loci peritior, quam Succi, ipsos quoque animosius quam cautius impetum in agmen hostile facientes, in amnem glacie sed ob rapidum aquæ cursum minus firmâ concretum elicit: in qua pars equitum mersi, pars vertentes terga, cum per objectum fretum ulterior in hostem non pateret progressus, excepti ab hoste tormentis, clademque non tamen inulti passi sunt. Dum enim Christiernus prope Bahusiam in paræcia Skiplandiæ castra metatur ad commeatum suis copiis curandum, qui jam deficere cæperat, Sueones ipsis intercludunt commeatum, aut advehentes eundem vel inquirentes hostes velitationibus aut capiendo ita atterunt, ut pauci supererent, ac superstites fame contabescerent. Idcircò inde castra movens Asloiam, vix duo millia in exercitu numeravit. Gustavus autem literis exprobrabat Friderico, quod tam remissè opem sibi tulisset. Si seriò manum auxiliarem præstare sibi voluisset, jam debellatum fore Christiernum. Hac re motus Fridericus classem aliquot navium Danicarum & Lubecensium adversus hostem emisit, ad opitulandum Magno Gyllenstiernio præfecto arcis Akerhusiæ, quæ ab hoste circumsessa erat. Hæ quinque optimas naves Christierno virtute & industria Friderici Brunii Lubecensis præfecti eripuerunt. Quod quum Gustavus ex relatione Axelii Iulii regii secretarii ex Dania huc missi comperisset, læto gratoque animo accepit, & desideranti Friderico navem prætoriam & classem suam subsidio promisit, simul ac armis necessariis instructa esset. Invenitum insuper Hafniensem operam & legatos suos concit. De VVikia pro mille ducentis aureis Friderico cedenta, cum præfecto Bahusiæ Claudio transigit. Iemptiis hoc rentibus rex suppetias mittit agmen selectorum militum ibuno Petro Nicolai, & simul eos hortatur ad constantem

erga Fridericum regem fidem, si sua amicitia & libero in Helsingia commercio frui velint. Rex Fridericus & Vandalicæ civitates iterum adversus Christiernum classem instructissimam armarant ducibus Canuto electo episcopo Othoniensi & Erico Gyllenstierniis fratribus & Reinholdo Heidenstorpio Germanorum militum tribuno, quæ appulsa in sinum Asloensem, igne in classem Christierni immisso, totam incendio perdit. Inde quum jam fermè conclamatæ essent res Christierni, & commeatus inopiâ utrinque laboraretur; legati ex castris Danicis ad Fridericum regē mittuntur, qui quo loco res essent regi exponerent, & nova mandata ab eo acciperent. Dum legati absunt, Canutus Gyllenstiernius & socii in colloquium, quod expetiverat, cum hoste descendunt, & regis Friderici nomine pollicentur ei fidem publicam, ut armis positis ipse coram cum Friderico patruo de conditionibus pacis ageret; & transactione forsan exitum non habiturâ, tutò rediret in Norvegiam aut Germaniam. Sed cum accessisset in Daniam, post quinque dierum spatium abducitur Hafnia Sunderburgum Holsatiæ arcem, ubi per viginti septem annos custodia detentus, in eadem tandem decessit: de quibus in vitâ Christierni, & historiæ Danicæ authores plura. Gustavus hanc transactionem non æquo ferebat animo, quippe *se insciō & imprudente contra fœderis leges factam*, de qua re ad Fridericum scripsit; & simul *de toleratis in Norvegia Gustavo Trollio & Magno Scarensi episcopo, manifestis Sueciæ perduellibus. Eos sibi transmitti cupit juri sistendos, vel istic includi: ne in perfidis molitionibus adversus patriam impune grassarentur. Quamvis enim custodiæ in Norvegia traderentur, mox tamen dimissos & in Daniā iterum adservatos, melius quam digni essent, in libera custodia, & gratuito victu haberi.* Itaque rex Gustavus indignante animo cum rege Friderico & senatu Danico expostulavit, *hanc ignominiam sibi pro labore, auxilio & impensis præstitis in debellando unà Christierno illatam. Nec esse quod Magni episcopi Scarensis insidias simplicitatem interpretarentur, & vulpi vestem ovillam induerent: quum satis per se nosceretur. Vel sibi dederent istos perduelles, vel ipsi plecterent.* Sed Fridericus ex Dania dimisit, quo vellent abituros. Sic illi ad Albertum Ducem Mechlaburgicum aliosque infensos hostes Sueciæ se receperunt, perfidis usi non solum adversus Gustavum

sed

sed & Fridericum animis. In colloquio quod Gustavus Sueciæ & Fridericus Daniæ reges, ut & Vandalicæ civitates per suos oratores de ope maritima Christierno ab Holandis lata, ejusque rei compositione Hafniæ & deinceps Amstelodami institituerunt, suo pro se quisq; honori, ut solet, æstimationi damni dati & securitati consuluerunt. Armorum lustratione & delectu virorum Arhosiæ facto, rex clam habet, quo agmina ducturus sit, ut solus arcani conscius imparatos invadat; & se præeuntem sequi jubet. Quum demum appropinquarent Montanis, ducibus & tribunis, ut parati essent, aperit: se rebellium toties Dalecarlorum effrenatam insolentiam aliquando compressurum: ne mali labes ad plures manaret. Rex simul advenit, Andream Petri in prædio suo Rankhyttio statim comprehendi curavit, & inde Magnum Nicolai in Asboda, carbonariis suis, in quas confugerat, extractum. Ita ducibus nudatam plebem ex Tuna, Lixanda, Mora & alia nolentem volentem, & una presbyterum in Lixanda Petrum, Edvardum in Cuprimontanis & Petrum in VVika, qui cum Magno Nicolai conjurarant, adesse jubet, & milite circumdatos, per suos amicos Laurentium Siggonis, Ivarum Flemmingum & Ioannem Olai in Haakestadio, severè compellat. Maximam tamen partem rex ipse alloquitur, percontatus: *Num meminissent pacti ante sexennium cum ipso initi, & quam prompta fide illud adfirmassent, quam malè servassent. Quamdiu ipsum pro ludo habere velint? sed nunc finem ejus fore. Se malle nullos, quam immorigeros subditos, & provinciam incolis vacuam, tectis solo æquatis, quam hostilem; aut se ita repurgaturum, ut ne canis quidem & gallinaceus relinquatur.* Mox rogat eos, *ubi profectionis terminos ipsi definituri sint, an ad Brunebeckii vadum, uti Magnus Nicolai & ejus socii vellent, an alibi? num regi non liceat transire Brunebeckium, nisi prius ab illis veniam ac fidem publicam emendicaverit? num quis nobilium vel plebeiorum unquam fando audiverit, in hoc vel alio quoquam regno consuetudine vel usu receptum, aut subditos tam projecto pudore fuisse, ut ad suum ingenium & arbitrium in ordinem cogerent regem & dominum suum; eique legem de modo & terminis itineris dicerent, cui jurata fide & reverentia sint obstricti? velut hi jam conaventur.* Omnes respondere: *Absurdissimum fore, subditos regi designare limites itineris in suo regno, & ex lege fidei pub.* Sed *quid causæ fuerit*, instat 1533.

rex percontando, *quod Steno senior & junior & Suanto Sturii nunquam ausi fuerint transire vadum Brunebeckii, nisi impetrata à Montanis libero commeatu?* illi subjicere, *in caussa fuisse suspitionem, proterviam & insolentiam rebellium Ultramontanorum adversus legitimum suum magistratum, & divini ordinis contemtum.* Ita protrahebatur colloquium fermè ad vesperam. *Iussi profiteri authores seditionis, nominarunt Magnum Nicolai, Andream Petri, Nicolaum Söderbyensem, Ingellum Iohannis.* Illi anquiruntur & capitis damnantur, bonis eorum publicatis: quæ tamen illorum hæredibus rex iterum ex gratia concessit. Reliquæ promiscuæ multitudini, quæ supplex veniam delicti rogabat & saniorem mentem pollicebatur, gratia facinoris facta est. ita tamen ut quæ opibus metallicis antea insolentior esset, æquali deinde cum ceteris regni subditis jure esse, & omnia subjectionis officia regi præstare cogeretur. His motibus domi sedatis, foris novi à Lubecensibus orti sunt, qui mare viginti quatuor navium classe infestabant, ad prohibendum Belgis in mare Balthicum ante insolitas nunc frequentes navigationes, ipsorum & aliarum Vandalicarum civitatum commodis haud parum inimicas. Classi isti præposuerant Marcum Meierum, qui ex humili loco suis artibus emergens Lubecæ consul tandem factus est. Hujus favore & consilio Georgius VVollenvveberus paulò ante senator & intra mensem consul & collega ei adjunctus est. Hi duo, homines audaces, rerum appetentes, pravè facundi, summam reipubl. pro suo arbitrio, spreta senatus authoritate, Lubecæ administrantes, huc suos ablegabant, qui desiderarent à Gustavo auxilia adversus Belgas, præ se ferentes, regem Daniæ quoq; in societatem hujus belli venturum. Sed explorato regem & senatum Daniæ hoc recusasse, & hujusmodi societatem his regnis septentrionalibus parum ex usu fore, Gustavus hoc itidem denegavit. Lubecenses istud indignè ferentes, in naves ac merces Suecorum in urbe sua manus injiciunt. Quâ injuriâ quamvis multis immunitatum suarum ademtionem mereri viderentur, tamen rex, ut potuit, dissimulavit; donec consul VVollenberus cum aliis nimis inflata & procaci voce jactitasset: *Sese, ut Gustavum ad regni fastigium extulissent, ita vicissim inde detracturos esse;* rex tantam eorum insolentiam amplius pati non potuit. Indignissimè enim acceptum, eos regiæ famæ ac honori obtre-

ctare

stare & insidiari: quæ principes juxta cum vita, nisi supra eam, æstimant; quod utraque non ad ipsos solum, sed etiam rempublicam pertineant. Quin cœlestis providentiæ auspicia, Gustavianæ virtutis merita, & consentientia Suecorum suffragia in creato rege posthabentes & velut proculcantes, sibique regii fastigii fortunam & arbitrium inusitata superbia, ex ope Gustavo nondum regi quondam in angustiis lata, arrogantes, rex eos loco hostium habuit. Quotquot Lubecensiũ hic in regno negociabantur, custodiæ tradi. merces eorum, omnemq; vectigalium immunitatem & libertatem, quam maledico ore corruperant, eis adimi jussit. Hoc istius Thrasonis VVollenvveberi & quicunque alii cum eo faciebant, intemperantia lingvæ & fastus effecit. Manifesto experimento, ut uno vel paucis prudentibus & moderatis rectoribus tota civitas fruitur; ita unũ vel paucos stolidos & feroces, si ad clavum sedeant & authoritate præpolleant, toti civitati detrimento & calamitati esse. Quamvis enim Gustavus postea captivos dimitteret, & post emotũ dignitate VVollenvveberũ Lubecenses privilegiorum suorum restitutionem sedulo urgerent, & ad controversiam sive jure sive per arbitros finiendam se offerrent; tamen istas immunitates difficilimis temporibus obtentas, nunc verò malè ab ipsis usurpatas, à se & subditis suis non amplius indulgeri tolerariq; posse rex contẽdit; in quo etiam tenax propositi perseverare pergit. Multis quidem iplorum promeritis istæc privilegia deberi Lubecenses jactabant. Sed illis responsum est à rege: *quæcunque auxilia & subsidia suppeditassent regi, tempore expulsi Christierni, non minus ipsis quam sibi profuisse ob tyranni odium tam infestum adversus Lubecenses, quam Suecos. Præterquam quod omnia ad assem illis essent persoluta; imò plus æquo. Velut planus ille Hermannus Israel, more æruscatorum & quæstui soli deditorum, qui etiam opertis oculis lucra sua quamvis injusta computent, octo millia & octoginta marcarum,* uti vocant, *Lubecensium unius anni solutionem ignaris creditoribus suppresserit, quæ in accepti tabulas non retulisset. Quin sibi potius gratias deberi à Lubecensibus, quod toties eis non absque suo discrimine & cum proprii commodi neglectu succurrisset, in occupatione Bornholmiæ, quam ad tempus bene longum ipsi possedissent, in expugnatione & direptione Helsingõre, in bello contra Severinum Norbyum communem tunc hostem.*

Sed quid detrimenti attulerint ei Lubecenſes in bello Gothlandico, ſatis in comperto eſſe. Ejus damni ſe potuiſſe expertem eſſe, ſi miſſis factis Lubecenſibus, opes militares in regni uſum impendiſſet. Parvi temporis intervallo conſul VVollenvveberus magis à ſe quam ſenatu urbis allegatus, ut nonnulli volunt, in Daniam ivit, ut Lubecenſium nomine cum regno Daniæ (rex enim Fridericus nuper deceſſerat) perpetuum fœdus paciſceretur, eoque excluderet Guſtavum Sueciæ regem & Chriſtianum Holſatiæ ducem [quod etiam ſequenti anno legati Danici ad Guſtavum faſſi] auxiliaque adverſus Hollandos peteret. Sed quum Dani hoc prorſus abnuerent & ſe in fœdere cum Guſtavo rege Sueciæ & Chriſtiano Holſatiæ duce permanſuros reſpondiſſent, fremens abiit. Gliſcentibus hinc inter Guſtavum & Lubecenſes odiis, Iohannem comitem ab Hoia, principem regis amicum & affinem per Hermannum Möllerum â rege Guſtavo in ſuas partes adduxerunt. Quum ille obtentu diuturnæ febris curandæ ſe Revaliam iturum ſimulaſſet, ſecedit Lubecam, & fruſtra revocante Guſtavo dux copiarum Lubecenſium conſtitutus eſt. Sed & conſilio Marci Meieri, Suanto Stenonis junioris, regni quondam gubernatoris filius, in aula Magni ducis Saxoniæ uſus civilis cauſa tunc vitam degens, dolo interceptus, Lubecam abducitur: prætexto, quod uti Guſtavus cives Lubecenſes eorumque miniſtros Holmiæ in vincula condidiſſet, & facultatibus mulctaſſet, ita Lubecenſes, ubicunque gentium poſſent, quemcunque Suecum apprehenſuros. Suantonem verò facile inductum iri ſibi perſuadebat, ut more levium juvenum, quibus natura profudit cupiditates, & in magna fortuna natorum nec minorem quibuscunque artibus affectantium, promtis Lubecenſium opibus adiutus, ſpe regni Sueciæ, quod ipſius pater & avus olim tenuiſſent, in Guſtavum & patriam hoſtis eſſet. Itaque ſubornatus à Meiero civis Lubecenſis nomine Ludenius Möllerus, ad Suantonem ſub amici perſonâ venit, & læto nuncio exhilaraturus, Claudium Biſterfeldium conſulem Nycopenſem, qui nuper ex Suecia adveniſſet, à matre ad ipſum literas, equos, numos habere ejuſque adventum Mollæ præſtolari ſignificavit. Simul, ne qua inſidiarum ſuſpicio in Ducis Magni animo ſuboriretur, ab eo petit liberi itineris literas ad Guſtavum regem

gem in Sueciam, quo se propediem cogitare dicebat. Suanto facile credulus, præsertim desiderio & fide eorum quæ ipse à matre expetiverat, it Mollam. Sed ibi nullum à matre nuncium, nullas tabellas reperit. Post paucos dies intempesta nocte Meierus & Möllerus accessere, turma equitum comitati. Sequenti mane fingunt nuncium advenisse, & multis blanditiis atque ingentium honorum pollicitationibus illicere juvenem tentant, ut Lubecensibus obsequatur. Quod cum nollet, invitum Lubecam abducunt. Dum ibi attinetur, illi literas suo & Suantonis nomine & adulterino ejus signo impressas, quod ille nesciebat, ad nonnullos quos sperabant rerum novarum cupidos, in Sueciam scribunt; consilio, etsi irrito, ciendi contra Gustavum motus. Tandem quum Suanto, ad recta eductus, nullis artibus aut promissis à fide erga Gustavum dimoveri posset, & quamprimum dimitti, vel causas detentionis sui doceri cuperet, responsum accipit, se non Lubecensium sed Meieri & VVollenvveberi captivum fuisse. Iussus ipsis scripto cavere de non postulando aut vindicando hanc injuriam, amicorum suasu hoc ipsis denegavit, adfirmantibus se eorum captivum non fuisse. Sic ipsi integrum fecere, quo sibi placeret abire. Atque ille recta Leoburgum ad Magnum ducem rediit. Hoc anno exeunte dies Luciæ Ericum principem, primum Gustavi filium, difficili matris nixu triduum durante, in lucem dedit. Regius medicus, qui etiam astrologus erat, quum in reginæ cubiculi atrio investigasset, ecquid procederet partio, & responsum tulisset, nondum enixam esse reginam cum doloribus luctantem, *ergo*, inquit, *omnes precamini Deum, ne illud in hoc temporis articulo fiat; si enim nunc in lucem edatur, infelici sidere nascetur, & vobis totique regno doloris filius evadet.* Vix effato medico, nascitur infans & flere auditur. Quidam volunt etiam in utero materno semel lacrymasse. Sed utut res sit, parum prosperum & optatum imperii ejus fatum regno fuit, quum ei admoveretur. De natalibus ejus tamen multum sibi gratulabatur regnum, quod certo successore, & si bene educeretur, meliori spe imperii, pravæ aliorum molitiones adversus regem supprimerentur & quiescerent. Ex Daniâ 1534.
legati Trudo Vlfstrandius, Nicolaus Lungius & Axelius Iulius cum Gustavo & regno Suecię nomine senatus & regni

Danici

Danici fœdus mutui auxilii adversus communes hostes pacis & commerciorum initum veneranr. Rex Gustavus & ordines regni illud ultrò approbarunt, & mutuæ amicitiæ, fidæ vicinitatis conservandę & status publici amplificandi causa feliciter pepigerunt. Quod quum anno MDXXXVII. inter Gustavum regē Suecię & Christianum regem Danię, nonnullis mutatis renovatum sit, eo referri satius erit. Actum est & confirmatum eodem tempore de jure & restitutione prediorum, quę nobiles Sueci in Dania aut Norvegia adhuc possiderent, sed à rege Iohanne ad nobiles Danos alienata & translata essent, à duodecim arbitris cognoscenda & absque mora determinanda; interim fructus illorum in sequestro essent. Agitatum insuper & decretum de bonis naufragis in alterutro horum regnorum, & navibus recipiendis pro æqua extractionis & servationis mercede. Quum rex satis edoctus esset de Lubecensium literis ad Comitem ab Hoia Iohannem datis & quomodo suis eum adversus Gustavum regem machinationibus involvere cogitarent, rex ab eis serio comitem avocare conatus, sub fide publica & amicitiæ redintegrandæ spe huc reverti monet. Ille verò surdus horum monitorum, cum uxore & liberis absque regis venia excedens VViburgo Revaliam, ubi reliquit suos, inde Lubecam abit, prætexto quasi anno millesimo quingentesimo vigesimo nono fidem suam tunc ad Lubecenses legatus interposuisset: nisi ad dictos dies æs alienum penderetur, cum triginta equitibus se illis militaturum, donec omne debitum esset exsolutum. Sed hic merus erat fucus: quum hoc tempore jam satisfactum esset Lubecensibus. Aut si nondum plenè satisfactum fuisset, tamen devinctiori nexu juratæ prius fidei comes obligatus erat regi Gustavo & regno Suecię, quam Lubecensibus; nec implere posterius promissum, si tale fuisset, inconsulto & invito rege poterat. Itaque cum meliora sibi de eo non polliceretur rex, arcem VViburgum ab Erico Flemmingio & Nicolao Grubbio Justis copiis obsideri & expugnari jubet. Cujus tamen Iohannes Gerstenbergius ultrò deditionem mox facit. Quum senatus regni Daniæ Gustavo regi operam suam obtulisset ad amicam compositionem inter ipsum & Lubecenses, si vellet; hanc conditionem rex accepit, missis in Daniam legatis suis Gustavo Olai in Torpa & Iohanne Olai in Hakestadhio, pleno mandato

mandato instructis, modò in Dania, vel alio loco quam Lubecæ tractatio susciperetur; nec ipsi fraudi esset pax domus Burgundicæ cum regno Daniæ & Norvegiæ, ducatu Holsatiæ & Lubecensibus facta, qua ipse excluſus erat. Quum Lubecenses vocati in Daniam non adessent, sed protracto tempore arma pararent contra Danos, legati re infecta domum redierunt. At Lubecenses lecto sibi duce Christophoro comite Oldenburgico cum quatuor mille peditum & sexcentis equitum armis invadunt Holsatiam, nullo indicto bello: quum Comes paulò ante scriptum publicasset de hac expeditione susceptа ad liberandum sobrinum suum regem Christiernum custodiâ, & regno restituendum. Lubecenses etiam in animo habebant adoriri mari regnum Sueciæ; & quidem absque omni belli indictione. Literis tamen pub. ad omnes civitates Anseaticas editis, graviter expostulabant de rege Gustavo: quod per eum non liceret privilegiis & immunitatibus suis in hoc regno frui, ideoque vellent fœderis socios supersedere advectione rerum necessariarum in Sueciam. His cognitis rex, ne præverteretur, arma adversus eos terra marique adornabat. Convenit etiam inter regem, senatum regni & nobiles de classe aliquot navium & celocibus in belli usum sua impensa parandis. Prompti enim erant patriam adversus vim hostilem suis etiam opibus tutari, alioſque exemplo suo incitare. Senatus & ordo equestris in Vplandia navem centum quinquaginta amphorarum bene instructam, expedivit. Idem in Finlandia & VVestrogothia factitatum. Subita irruptione in Holsatiam occuparunt hostes Eutinum episcopi arcem, Tritoviam ad Billenam fluvium & Plönam oppidum. Inde Segeburgum præcipuum Holsatiæ munimentum diripiunt, & ad Dravi ostium excurrentes in Daniam traiiciunt, invadunt Mööniam, exurunt & spoliant prædia nobilium, & occupant Sialandiam, Fioniam, Lalandiam, Falstriam & alia loca: quo tempore Bernhardus Mylius in partibus Lubecensium erat. Cives Malmogienses mira insolentia, instinctu Georgii Mynteri consulis, capto Magno Gyllenstiernio arcis præfecto, solo æquant arcem. Trudonem Gregorii & Claudium Podebuscium regni Danici senatores Hafnia Malmogiam venientes & harum rerum ignaros in novem hebdomadarum captivitatem abstrahunt.

Chri-

Christophorus comes cum classe Lubecensium petit Roscildiam : ubi Georgius Cocus ex urbe Malmogia cum centum equitibus comitis partibus accedit. Ibidem cives, ne diriperet urbem, sacramentum dicunt Comiti; qui Gustavum Trollium donat episcopatu Roscildensi. Quum verò Lubecensium naves in anchoris starent ad Helsingoram, prohibendi transitus ex Scania in Sialandiam causa, & postea ad Hafniam exscenderent in solum, Christianus dux Holsatiæ & senatus Daniæ sedulò auxilia petierunt à Gustavo rege adversus comitem Oldenburgensem, Lubecenses eorumque socios. Rex, ut fidus amicus Christiano affini suo ex lege fœderis opitulatur, & absque mora quatuor alas equitum & quatuor signa peditum Nicolao Olai & Nicolao Boethio ducibus in Daniam auxilio mittit, una cum decem navium classe, præfecto ejus Arvido Trollio, qui non levem cladem inferunt Lubecensibus in sinu Revalensi. Suis etiam literis rex Hollandos, Scanios, Sialandos, Blekingos & Hafnienses ad fidem erga Christianum constanter tuendam hortatur. Sed cum Hafniam, post octidui oppugnationem à Iohanne Vrnio præfecto, Christophorus comes & Lubecenses in deditionem accepissent, irrito negotio, magnisque impensis frustra factis, Gustavi agmina domum remissa sunt. Mox Comes Sialandia tota absque difficiliori negotio potitus est, quum caput provinciæ cepisset. Hinc in Scaniam traducto exercitu, hanc quoque in fidem suam Christierni suoque nomine cogit. Quin se pro rege acceptare, compellit. Quod Gustavus indigne ferens, equestrem ordinem in Iutia & Fyonia literis admonet fidei Christiano duci Holsatiæ de facta electione debitæ, nec minus admiratur subitam nec summa necessitate extortam deditionem arcium & urbium in Sialandia & Scania. Christianum verò confirmat de auxilio prima tutaque occasione tam in numis quam copiis sub cautione, & ne se inscio ac præterito pacem cum hoste faciat, præstando. Quod etiam, quum hortatu Gustavi Iutia & Fyonia jurata fide regem Christianum designassent, Gustavus ipsa re præstitit, Tretovio pecuniæ acceptandæ causa huc misso, & verè certum amicum in rebus Christiani incertis & ancipitibus se præbuit. Copias etiam bis mille equitum & sexcentorum peditum ducibus & præfectis Iohanne Turonis, Laurentio Sig-

mento dicunt Suecis, qui pertendentes expugnant Helsingoburgum, diripiunt & incendunt, captis consule Lubecensi Marco Meiero, Michaele Bleckio, Christophoro Hœckio & aliis. Nec suis partibus defuit Tycho Crabbius arcis præfectus, strenuè evibrans in hostem tormenta, primoque ictu sternens quatuordecim milites. Vnde reliqui terrore conciti, fusi vel capti sunt. Mille se ultrò fidei Sueonum tradiderunt. Qui unius mensis stipendium facere pro redemtionis pretio jussi, per reliquum tempus menstra æra meruere. De Marco Meiero non satis convenichat inter Suecos & Danos. Illi suum volebant esse captivum ob titulum victoriæ ab hoste reportatæ, ideoque destinarant eum in Sueciam mittere. Sed hi nolebant ex Dania dimittere, suum contendentes esse captivum, quum comprehensus Danis non Suecis manum & fidem dedisset. Tandem stetit sententia, mittere VVardbergam in custodiam ad Trudonem Vlfstandium, donec reges, quid de hoc fieri vellent ipsi decernerent. Inde Sueci cursum victoriæ persequentes, Lundam, Malmogiam, Coronam, Landscronam vulgò vocant, obsident. Quum Scaniæ ordo equestris resignasset juramentum Christophoro comiti, ut ante dictum, ille expiaturus hanc injuriam, proceres & nobiles in Scania & Fronia comprehendi facit, quotquot poterat, & eorum arces ac prædia diripi. Lubecensibus autem pro ope & opera sibi præstita, fiduciario jure concessit Gothlandiam, Helsingoburgum, Anconam, Falstriam, Möniam, Bergas Norvegiæ, & vectigal Öresundense. Quum hostes terra marique suas vires auxissent in Sialandia, & rex Christianus absque militari classe satis instructa copias suas trajicere non posset, ipse cum senatu Cimbrico misit ad regem Gustavum legatos suos, Ovenum Langium & Ivarum Iulium, qui Lubecensium machinationibus detectis regem sibi cavere monent, opemque in classe & pecunia suppeditandis, & ut hactenus, sinceram fidem continuare obtestantur. Rex Gustavus, fidei, si quis alius, observans, non ex ingenio verba dantium, & majora quam pro re, sui solum commodi causa, promittentium, sed quod pollicitus erat, præstat; & nunc illi octingentas selibras argenti, mox trecentas, postea etiam copias & classem submittit. Alius ex Dania legatus accessit Claudius Bildius

regis Daniæ Mareschallus, qui nomine senatus fermè in eandem mentem cum Gustavo egit, rogavitque pro solita fide conferre operam: ut Christianus ab illis legitimè electus & rex adpellatus, regno Daniæ tandem potiretur. Marcus Meierus, de quo jam antea, VVardbergæ captivus, à Trudone Vlfstandio non malè habitus, hoc gratiæ rependit hospiti, ut corruptis pecunia & spe majori aliquot ejus ministris & militibus urbis, arcem VVardbergensem Trudoni præriperet; & quidem hac arte. Milites conjurati sibi conficiunt scalas plagarias, quibus noctu clam subibant arcis murum, supra quem Meieri cubiculum erat. Ille verò funiculo per fenestram demisso scalas attrahebat; & cruribus earum supernè firmiter affixis, milites octoginta commodè ascenderunt, quos in conclavi suo condidit, donec Trudo mane descenderet arce in urbem, ad inspiciendam & considerandam navem istic fabricari cœptam. Sic absente Trudone Marcus cum suis manipulis in arcem descendit, obvios cædit, portas arcis occludit. Trudo reversus, & quid rei sit intelligens, effringere portas aggreditur. Sed à ministris in turri stantibus admonitus excursionis hostium ex urbe jam arci appropinquantium; ne in eorum manus incideret, arrepto equo fugam capessit. Tali fraude Marcus capit arcem, & in ea conjugem Trudonis & sex liberos. Facultates ejusdem diripit, & Axelii Göiæ aliorumque nobilium nummos metu belli istic depositos, sex millia aureorum. Vxorem tamen & liberos Trudonis, ad Christophorum comitem scribens, hac conditione solvendos captivitate recipit, si VVolffgango Gylero, qui à Gustavo rege ad ipsum transfugerat, uxorem & liberos, exorata à rege venia, restituere Holmiâ incolumes posset; quod impetravit. De ista arcis VVardbergensis occupatione senatus regni in Scania Gustavum statim certiorem facit, & hujus rei utile consilium ab eo petit. Rex illis rescribit, *sibi ingratum esse infaustum rei nec opinatæ nuntium, monetque in posterum ope divinâ magis, quam sua sapientia & virium fiducia nixos curatius agere, fidos sibi deligere milites, nec promiscuè quibuscunque, sed fidis fidere; & tutiora potius quam speciosa sectari. Si Meierus ex suo consilio ad se missus fuisset, fortè infectum fore quod nunc factum esset. Aliàs quantum in se esset, pro viribus illis subventurum. Iam procinctam in portu stare classem, modò vires*

hos conjungant ex fide promissi dux Prussiæ aliique; & ex Cimbria accipiat socios navales navicularium facere suetos, atque aliquot peritos militiæ maritimæ, quibus præfectis classis uti possit. Nihil enim hujusmodi virorum, quot opus sit tantæ expeditioni, commeatum omnem haud haberi posse. Cives verò VVardbergenses imperio stabant à Meiero, & pari ferocia exspoliabant prædia nobilium, donec Sueci milites obsessa VVardberga, eos præmonerent mali, nisi sponte deditionem urbis facerent. Ita fide Meiero renunciara, eoque hoste declarato, urbem in Suecorum fidem tradunt. In hac obsidione quatuor signa militum à Christiano missa sunt ad firmanda castra Gustavi, & sacramento sibi obliganda, ut ante convenerat. Sed compositò & fraude aliorum denegarunt fidem Gustavo, quam Christiano jurarant; licet Gustavi stipendio jam ad quinque mensis alerentur. Postea rex abnuit ulterius pendere stipendium sibi nullo fidei pignore auctoratis. Sed & nummi ejus usuales ex bonæ notæ argento, ad solutionem stipendii missum emissi, pro tribus solum marcis Danicis acceptati sunt. Deinceps æquum fœdus cum rege Gustavo à Christiano confirmatum est: & ne alterutro sociorum inconsulto pax cum quoquam hostium iniretur. Gustavus classem undecim navium præter frumentarias & liburnicas præfecto Magno Suenonis in VVesterby, contra hostes mare tunc ingenti classe pervagantes auxilio mittit affini suo Christiano. Hæc Danicæ & Borussicæ classi conjuncta se mutua fide obligat ad communem sortem subeundam, prædamque ex æquo à quatuor cujuslibet classis viris partiendam, aliaque ex formulis & præscripto legum nauticarum peragenda. Solventes verò, primò petunt Öresundam. Inde cognito classem hostilem ad Bornholmiam stare, eodem contendunt. Propius in conspectum hostium delati, illis venti commodum intercipere conabantur; etsi frustra laborarent, ingenti orta procella. Mox navis prætoria Sueonum aggreditur classem hostium, decertandi consilio. Sed hæc cursum avertit Hafniam. Nihilominus Suetica prætoria navis expeditè & citatis velis navigans, hostilem adsequitur; quæ, ut vulpes canibus cessim se subducens, occasionem fortunæ captabat. Nostra omnia tormenta in hostilem exonerans, dum navali prælio decernere conatur, illa explosa tormento dejicit nostris siparum.

Quod ubi adducere illi tentât, hostis interea plenis velis abit. Nostri tamen illicò consectantur, & tormentis ita perforant navem prætoriâ hostium, ut fermè depressa subsideret. Exinde cum reliqua classe congrediuntur & fortiter dimicant. quod si Danicæ & Borussicæ naves paria fecissent, nec eos nox oppressisset, ea die superiores evasissēt. Postero die viginti fermè navium hostilium partim onerariarū, partim militarium majorū & minorum prælio subactarum aut deditione captarum nostri ad VVismariam, Dravæ ostium atq; Suineburgum potiuntur. Christianus verò pluribus in Sialandia arcibus & munimentis occupatis, in Fyoniam progressus, terrestri prælio ad Asnicium facto, sex millia hostiū fudit, in qua, præter alios alicujus nominis viros, Comes Tekelaburgēsis in acie cęsus, Iohannes comes de Hoia captus, & mox, dū descendit equo, ab Holsato nobili Detlevo Reventlovio ex inveterato odio interfectus est. Gustavus Trollius graviter vulneratus, brevi postea Gottorpii decessit. Hęc nobilis victoria Fyonenses & Scanios fidē subjectionis Christiano jurare persuasit: qui paulo post etiam Hafniam classe Suecorū adjutus obsedit. In Sueciam ipse Christianus profectus, & magnificè exceptus *amplissimas gratias coram egit Gustavo, pro verè fraterno auxilio in rebus arctis sibi præstito, in eodem affectu perseverare rogat, & adhuc aliquo subsidio pecuniario ad expensas belli sublevare. Se satis ipsi daturum pro omni credita pecunia, & debita fide, studio & amore tantam Gustavi beneficentiam quavis occasione prosequuturum.* Præter hæc aperit Gustavo arcanum consilium Caroli V. de Friderico electore & comite palatino, qui Christierni tyranni filiā Dorotheam Caroli ex sorore neptem in matrimonio habebat, ad tria hęc regna, quantum per ipsum stet, evehendo. Quod consilium sequenti anno se prodidit. Cum Gustavo renovat fœdus ante pactum. Qui ipsi suppeditat quatuor millia selibrarū argenti & tredecim millia nummorum uncialium, pro quibus Christianus ei oppignerat Bahusiam, Akerhusiam & VVikiam in Norvegia. Octidum post abitum Christiani Holmiâ honorificè dimissi, regina Catharina prima Gustavi uxor morbo lethifero correpta decessit. Dum Lubecensis classis in statione ad Hafniam, defendendis urbem & prohibendi Suetici auxilii causa, sedet, Suecis & Dani circumfusa illis â tergo sua classe ita clausum mare tenent, ut nulla hosti spes inferendi commeatus esse

Qui

Quin eadem occasione quinq; præstantes naves militares intercipiunt, quas Henricus rex Angliæ Lubecensibus subsidio miserat ex lege fœderis, & spe regni Daniæ, at nonnulli volunt, ipsi facta: quasi in ipsorū potestate jam esset. Coronam Sueci, cum vim in naves ipsorum ad urbē stantes & nautas exercitā dirisciuntur, ad deditionē compellunt, tutam ibi stationē nacti. Quum nostri constituissent octo majores naves in altū ad urbē Hafniā demergere, ut ostium portus & exitū hosti obstruerent, Hafniēses contra emisere quasdā naves hoc prohibituras. At Sueci noctu plures conficiunt crates terra aggesta cōpletas, quibus pro munimento ad orā littoris usi, & tribus colubrinis in eo locatis prætoriam navē impetunt ac deprimunt. In quam cum scaphis & lintribus impetu facto, cædunt capiuntque obsidiones, ac tormentis ac reliquo instrumento bellico exuunt navē. Hoc ubi Lubecę percrebuit, cives expediunt octodecim armatas naves præfecto classis Georgio VVollenvvebero: quibus Suecos facile debellari, & portu aperto urbem copiis & commeatu juvari posse credebant, si præfectus à tergo, Lubecēses qui Hafniā obsederant, à frōte Suecos invaderēt, & sic utrinq; circumsisterent non evasuros. Sed ubi Sueci hoc consilium accepere, classem suā in duas partes dividunt, unā ad Hafnienſia castra præsidio relictā, alterā adversus VVollenvveberum expeditā. Sic in alto concurrētes præliantur à meridie ad solis occasum, eo successu, ut Suetica classis hostilem in fugam ageret. Inde Sueci receptum & hyberna in portum Coronarium petunt. Vbi ab commeatu laborabāt, eum frustra à Danis desiderāt; quamvis illi profugos spe hujus aliaq; mercede allectarent. Tandē tamē necessariis à Gustavo milites sublevabantur.

Coroneburgum ope tormentorum ex nave Sueonū prætoria 1536.
Danis usu datorū à Christano expugnatur ut & VVardberga; quæ cibi penuria fermè ad ultimū redacta, & ab Alberto Peltschero arctā obsidione pressa, deditionem facere coacta est. Marcus Meierus, qui arcē illam dolo recuperatā, ut ante dictū, hactenus tenebat, captus, & in quatuor partes dissectus, totidē rotis ad Helsingöram impositus est. Eodē supplicio afficitur ejus socius Georgius VVollenvveberus. Cum enim vi pœnalis mandati, uti vocant, camerę Imperialis, emotus esset officio consulis, & specie honestioris ex urbe discessus, præfecturam Bergerdorpensem ad Bilenum fluvium recepisset, indeque iter faceret Bremam, ab episcopo Verdensi captus, & ad ejus fratres

Henricum ducem Brunsvicensem in arcem Lycaoniam (vulgò VVolfferbytum) transmissus est. Vbi post diuturnum carcerem, ipsis quoque Lubecensibus ei crimen intendentibus, quod bello non necessario contra Christianum Holsatiæ ducem ex mera libidine moto, abdicatoque senatu, & se novisque suffectis, aliisque seditiosè admissis non parum vexasset rempublicam, tandem dictam pœnam dependebat. Ita homines inflati, turbidi & inquieti, dum tranquilla miscendo quærunt emergere, & ingenio non nisi suo utentes, multa non necessaria injustaque agunt, etiam patiuntur, quæ jure meriti erant. In comitiis Arbogensibus decretum est de *militia equestri, classe & copiis maritimis supplendis ab ordine equestri & præcipuis provinciis: de ope Christiano regi Daniæ ulterius adversus communes hostes, & novum inimicum Fridericum electorem Heidelbergensem, Norvegiæ regnum auxilio Caroli V. & præsulum in Norvegia affectantem, ferenda: quum vicinum incendium, nisi in tempore occupetur ac supprimatur, facile proximas partes corripere queat.* Hæredes Iohannis comitis de Hoia literis ad regem Gustavum significarunt se jure ipsum convenire velle de interfecto comite, & ut arces quas hic possederat, ejus hæredibus restituerentur. Sed rex respondit, *se nullam ejus mortis vel defectioni causam præbuisse. Quidquid incommodi & pernicies hoc ipso cepisset, id acceptum referret & Lubecensibus, qui eum in suas partes traxissent; & sibi ipsi, qui incerta hostium promissa certæ regis amicitiæ, affinitati, fidei, beneficiis antehabuissent. Arces vero ipsi non donatas, ut jure dominii ad hæredes suos eas transmitterent, sed ut fiduciarias & ad tempus vitæ cum fructibus earum teneretuti literæ concessionis evidenter docerent. Se tamen non recusare, quin relictam comitis viduam & liberos, si in regnum & fidem suam redire velint, omni favore amplectatur.* Diritissima conjuratio, jam ante biennium cum Regis Gustavi secretario Germanico, VVolffgango Gylero contra Gustavum agitata, hoc anno detecta est. Hæc aliquot Germanos Holmiæ, quam non germanos cives, quin diabolum & malitiam ipsam, contra magistratum à Deo institutum & tam bonum regem, authores habebat. Conjurarant regem vel pulvere tormentario, regio sedili in æde sacra suffosso, vel sica aut veneno de medio tollere. Quo perpetrato arcem, proceres, magistratum urbis & cives Sueticos exscindere, eaque vastitate omnibus illata,

...ata, vacuum imperium & urbem tradere Anſeaticis civi-
...tibus. Quidam nauta nomine Iohannes VVindranckius
...ad immittendum pulvèri nitrato, quo rex delendus eſſet, in-
...ſidium funiculum conductus erat. Ille à ſociis largè invita-
...tus & vino plenus, hoc per ebrietatem aperit vicinæ ſuæ, hæc
...marito, maritus arcis præfecto Girmundo Suenonis, hic regi.
...Sic re enunciata, examinata, convicta & confeſſa, rei omnes
...rapitis & rotæ ſupplicio affecti ſunt, bonis eorum publicatis.
...Ad interceſſionem tamen reginæ Margaretæ relictis plera-
...que hæreditas à rege reſtituta eſt. Equidem juſta Dei, cui
...regum à ſe proximorum ſalus cordi eſt, ultione, dum
...vitam inſando parricidio regi ſuo & patri patriæ ereptum
...erunt, pro qua tuenda ſuam honeſtè vitam profundere ob-
...ſtricti erant, eandem infami ſed condigno ſupplicio ipſi
...perdiderunt. Hujus proditionis & ultra metuendi periculi
...cauſa, præſertim quod rex Chriſtianus Hamburgi inſcio
...Guſtavo & contra datam fidem, cum Lubecenſibus & Vanda-
...lis civitatibus pacem feciſſet, claſſem ſuam & copias ex Da-
...nia rex domum revocavit. Sed Chriſtianus miſſis legatis Hol-
...gero Vlſtandio & Axelio Vgrupio excuſat ſe Guſtavo, quod
...principibus & amicis interceſſoribus, ipſaque neceſſitatis vi victus
...pacem cum Lubecenſibus & eorum confœderatis iniverit: ut Bur-
...gundicæ domus conſiliis & machinationibus de Friderico Comite
...Palatino in Daniæ regnum introducendo commodius obviam iret.
...Hanc pacis compoſitionem ſibi non parum gravem fuiſſe, dum Lu-
...becenſibus & ſociis civitatibus ſua in regno Daniæ privilegia &
...immunitates confirmare, inſulæ Bornholmiæ uſum fructum ad an-
...nos adhuc quinquaginta pro ope eorum & impenſis belli adverſus
...Chriſtiernum geſti concedere; atque ſi Albertum Ducem Megapo-
...litanum & Chriſtophorum Comitem Oldenburgenſem è Daniæ
...regno intra ſex hebdomadas abduxere poſſent, quindecim mille au-
...reos promittere neceſſe habuiſſe, præter alios prioris compoſitionis
...Lubecenſis irritæ factæ, & belli jam in tertium annum tracti in-
...gentes ſumtus. Regem Guſtavum, Albertum Ducem Boruſſiæ,
...Comitem de Hoia, Bernhardum Mylium & alios Chriſtiani ami-
...cos hac pace quoque contineri; ita tamen ut Guſtavus Lubecenſibus
...privilegia in Sueciæ regno ſalva relinqueret; & de controverſiis
...cum illis ac hæredibus comitis de Hoia & Bernhardo Mylio coram
...rege Chriſtiano in Dania intra ſemeſtre jure experiretur. Quod ut

facilius posse, se præstantem ei jurisconsultum & pragmaticum daturum, qui causam ejus expediè ageret. Si verò amicæ compositioni vel latæ à Christiano sententiæ Gustavus adquiescere nollet, Danos ad opem illi contra adversarios ferendam obligatum non iri. Contra ea Gustavus, se inscio nec opinatò adversus tot tabellis & signis expressam & firmatam fidem, nec consiliis actisque ullis intra quatuor menses secum communicatis, initam cum Lubecensibus à Christiano pacem sibi admodum adversam significabat. Inprimis quod Christianus recepisset, se nulla ope Suecis adversus inimicos suos subventurum, si jure vel amicè inter ipsos & Lubecenses convenire non posset. Quid si iniquas adversarii ferrent conditiones, num illis vellet, videntem & prudentem, quasi captum oculis aut mente, subscribere? Equidem se auxilio Christiani destitutum & solum, fidum tamen hactenus ipsi amicum & affinem novi belli periculis expositum iri. In quo non tantum magna ipsi fieret injuria, sed etiam directè contra fœderis inter ipsum & Christianum leges pugnaret. Se verò causæ suæ fiducia in controversiis cum Lubecensibus, Comite de Hoia & Bernhardo Mylio incorruptum subire judicium esse paratum, atque si fidum advocatum ex promisso Christiani habere posset. Interim se dilationem in annum & semestre causæ melius instruendæ petere. Si cum Lubecensibus inire pactionem pacis voluisset, uti nunc fecisset Christianus, se confestim initio hujus belli hoc potuisse, præsertim ipsis Lubecensibus ad istud se offerentibus & quibusdam regis amicis se interponentibus. Quippe Lubecenses per legatos suos sollicitasse secum fœdus adversus Hollandos, ducatum Holsatiæ & regnum Daniæ, spe compensationis Hallandiæ & Scaniæ, potestati regni Sueonum subjiciendæ. Se vero noluisse deserere Christiani partes ut ille nunc se deseruisset, sed ex fide tueri fœdus tam sanctè pactum. Legati Danici quocunque possunt honore verborum regis causam excusantes, & Gustavi animum placantes, non hanc esse mentem dictæ compositionis, ajunt, ut Christianus Gustavum deserat, sed in fœdere persistat. Si legatos suos Hafnienſi conventui sistere velit, omnia sibi integra fore in manibus, & exitum causæ, qualem ipse exoptet. In hoc responso Gustavus adquievit. Quin excusanti Christiano cessionem Akerhusiæ, Bahusiæ & VVikiæ arcium hactenus ob seditionem præsulum in Norvegia dilatam, & petenti classem Gustavi in Daniam adversus vim domus Burgundicæ remitti, tam æquus & moderati animi erat Gustavus,

vus, ut resignata Akerhusia, contentus pignore arcis Bahusiensis & VVikiensis, quatuordecim ipsi naves armatas mitteret. Quæ ubi Calmariæ portum ingressæ essent, fama detraditâ Christiano ob commeatus inopiam Hafniâ allata est. Lubecensibus in Sueciam ad intercessionem Christiani sub certa lege libera navigatio, dimissis Teutonibus hic detentis, iterum concessa est. Rex Gustavus à Christiano desiderans cohortem militum post recuperatam Hasniam exauthoratorum sibi stipendia ex mutui fœderis pacto facere, misit eâ causâ in Daniam Georgium Linthenerum. Sed rumor etiam inter conspicuæ dignitatis viros & quosdam ex senatu divulgabatur in Dania, quasi rex Gustavus illis militibus ad Scaniam invadendam uti vellet: veluti potentiæ æmuli ad quascunque auditiones, nonnunquam etiam fictas pro veris acceptas, & ad suspiciones proni sunt. Quod tamen Gustavo nunquam in mentem venerat, tantum abeerat, ut faceret. Quidam tamen tribuni militum Danicorum, præsertim Conradus Penningius contra fas gentium sævius tractari & compedibus vinciri dictum Linthenerum jubet. Nonnulli etiam ex senatu & ordine equestri dein ad custodiâ solutum scripsere, ne plures ducentis quinquaginta educeret milites, nisi hostile quid ab illis exspectare vellet, & cum illis è regno faceseret. Quod ægerrimè ferens Gustavus graviter expostulavit, *tam malam gratiam sibi referri pro benefactis.* Hæc foris. Sed domi Gustavus secundas nuptias celebravit cum illustri virgine Margareta, Erici Abrahami in Laholm Equitis aurati & VVestrogothiæ gubernatoris, regni senatoris filia. Post nuptias suos legatos ex conventu Hafniam ad Christianum, jam regem Daniæ misit, Laurentium Siggonis regni Mareschallum, Birgerum Nicolai in VVienäs, Gustavum Olai in Torpa & Christophorum in Schällerydh regni Cancellarium cum mandato de confirmando inter utrumque regem fœdere, de exposcenda satisdatione pro mutuo data à Gustavo ingenti vi pecuniæ Christiano, & lite de bonis inter trium regnorum nobiles controversis terminanda; quæ pleraq; feliciter peracta sunt. Instrumentum enim fœderis rex Christianus & senatus regni Daniæ sua subscriptione & sigillis solenniter firmarunt. In mutuæ fidei & gratitudinis

significationem Gustavo se Christianus obstrinxit, ad subsidium classis duodecim navium mille quingentis viris & aliis necessariis instructæ, & mille equitum, quingentorum peditum auxilium, re sic exigente, quinque mensium spatio conficiendum & præstandum. Cavit etiam Gustavo de proventibus VVardbergæ, Bahusiæ vel VVikiæ arcium percipiendis, donec debitam pecuniæ summam ipse vel hæredes ejus in solidum solvissent. Verum contra hunc contractum vel mutuum pignoris usum excepit Gustavus, & admittere velut iniquum noluit: quum credita Christiano pecunia viginti quinque millium & centum aureorum Rhenanorum summam expleret; fructus autem oppigneratarum arcium vix quadringentos octoginta quinque aureos quotannis æquarent. Nec in contractu expressum erat, an iidem in vicem usurarum, an verò sortem imputandi aut deducendi essent. Si verò ex credita XXVMC. aureorum summa annuæ usuræ pendendæ sint, eas non fore minores MCCLV. aureis, quinque pro centum æquis usuris computatis. Quum ergo Gustavo Christianus duas Norvegiæ arces Bahusiam & VVikiam pignoris vel hypothecæ loco tradere vellet, & solutionem æris alieni differret: cupiebat Gustavus dictas usuras mille ducentorum quinquaginta quinque aureorum quotannis sibi Holmiæ ad diem S. Iohannis pendi, donec caput ipsum aut summa sibi solveretur. De lite possessionum ordinis equestris in tribus regnis adhuc indefinita convenit, eam Halmstadii S. Olai die per duodecim arbitros finiri. Num Linthenerus tam indignè in Dania consicio Christiano tractatus fuerit, scire Gustavus expetit. Sed quid ad istæc à Christiano responsum sit, in Annalibus siletur. A Gustavo
1537. rege legati in Russiam ad Magnum Ducem Iohannem Basilidem mittuntur Canutus Andreæ de Norrenääs Eques auratus, & Bero Claudii de Köppas. Post solennem Magni Ducis salutationem, legati nostri rogantur, *num quid donorum adferrent, quibus Principem honoraturi essent?* Traditis donis, in aliud palatium introducuntur, ubi senatus illis datus est. Negotiorum summa hæc erat: *Regem Gustavum desiderare novam quinquaginta annorum pacis confirmationem, tabulis nuper ab oratoribus Gunmundo & Matthia Laurentii subscriptis, nunc rescindendis: quum mandati fines in*

eis

ei Gummundus exceſſisſet. Cognoſcendam & tollendam vim depræ-
dationum, ac inſolentiam Ruſſorum in finibus Finlandiæ. Commer-
cium in Ruſſia modum & loca Magnum Ducem Suecis mercato-
ribus certò definire velle. Suos autem pravæ monetæ in Sueciam in-
uectione abſtinere. Fundos in Narvia Sueonum proprios à Sueoni-
bus ex more priſco coli. Re maturè utrinque conſultata reſpon-
ſum & unanimiter decretum eſt, ut fœdus antiquato priori, ad
ſexaginta annos renovaretur. In conventu Sabolinenſi de fœderis
confirmatione & limitum terra marique diſtinctione ageretur ſecun-
dum regis Magni & Ducis Novogardiæ Georgii tabulas & or-
dinationem: ita ut limites ducantur à mari per Syſterbeckium, &
inde per omnes finium terminos uſque ad lacum Caianenſem. Quæ-
cunque injuſtæ actiones & lites inter utrumque jure abſque dolo malo
& ſine armis terminentur: Suecorum lites à præfecto Notheburgeſi
& Kexholmenſi, Ruſſorum à præfecto VViburgenſi. Profugi ex Sue-
cia in Novogardiam, aut ex Novogardia in Sueciam ſive ſervus
ſive ancilla, debitor aut fidejuſſor cum omnibus abreptis bonis ſuo
cuique territorio reſtituantor. Viæ, portus, itinera ſingulis utrin-
que legatis & mercatoribus tuta liberaque ſunto. Si bellum inter
Rutbenos & Polonos vel magiſtros Livoniæ oriatur, Guſtavus &
regnum Sueciæ his contra Moſchum nullam opem ferat. [Sed ne ex
diverſo Rutheni Sueciæ hoſtibus ſuppetias ferrent, incuria
oratorum prætermiſſum erat.] Pravæ monetæ invectio in re-
gnum Sueciæ etiam ſub pœna vetita eſt, ſalvo interim fœdere pacis.
Laurentius Siggonis, Holgerus Caroli & Iohannes Turonis
in Smalandiam cum exercitu miſſi ſunt ad domandum iſthic
incolas rebelles & pervicaces, inprimis Morenſes & Veren-
dios, qui in bello Lubecenſi adjutaſſent Scanios regis hoſtes
commeatu, abnuiſſent tributa & decimas, vendicaſſent ſibi
domos in nobilium prædiis exſtructas velut hæredes illorum,
homicidia impunè aliave inſolenter patraſſent. Fagos &
quercus exſtructis earum loco villis pro lubitu & contra in-
terdictum cum magno coronæ & nobilium detrimento ſucci-
diſſent, quibus jus non eſſet. Recenſebatur eadem tempeſtate
omnis exercitus Lincopiæ, civibus urbis & Vadſtenenſibus
temporaria immunitate à rege donatis. Decernebatur iti-
dem, militiæ equeſtris operas, pro ratione redituum ex præ-
diis in certos codicillos referendis, citra fraudem eſſe præ-
ſtandas. Sorore Guſtavi I. Margareta Iohannes Comitis de

Hoia

Hoia vidua Revaliæ defunctâ filius ejus Petrus Braheus domum ad bonorum suorum in Suecia possessionem revocatus est. Rex Gustavus Laurentium Siggonis regni Marschallum & præfectum arcis Örebroensis, Birgerum Nicolai præfectum arcis Leckö̈ensis, Gustavum Olai de Torpa, & Christophorum Andreæ de Hedåker misit Hafniam ad transactionem quandam inter comitis de Hoia hæredes, Bernhardum Mylium & Lubecenses instituendam, cui interpositurus erat suas partes Christianus rex Daniæ, ut ante convenerat. Ericus Comes de Hoia postulabat *fratris sui Iohannis liberos ad maternorum bonorum hæreditatẽ admitti, & ad VViburgi & Novi castelli vel parium possessionem, ut parens eorum possederat.* Respondere legati, *Gustavũ comiti Iohanni non dominii & hæreditario sed fiduciario jure dictas arces concessisse, nec aliter vi legũ Sueciæ potuisse. Regem tamen erga eos boni ac fidi avunculi animo ac favore regio fore, si modo ipsi se dignos eo præstarent, nec patris vestigiis in turpi & ingrati animi defectione insisterent. Vnum etiam filiorum se ad maternam hæreditatem admissurum, sed ea lege ut Christianus rex Daniæ & Ericus frater comitis caverent de fide ejus erga Gustavum. Alteri filiorum in Comitatu paterno de victu prospiciendum esse; ita tamen ut sumtus alimentorum ex regia dispensatione & dignitate utriusque fratris, æqualiter decernerentur.* Bernhardus Mylius desiderabat *immitti in possessionem uxoris suæ bonorum in Suecia, aut æstimationem quindecim millium aureorum sibi præstari.* Ad hæc responsum, *regem nihil ipsi præstare aut refundere velle, quum tam perfidè adversus ipsum & regnum egisset, cum tot impensarum & bonorum virorum jactura. Præterquam quod famosis suis libellis & mendaciis lacerasset regium nomen & famam.* Lubecenses adhuc urgebant *reliqua æris alieni, & ne jure privilegiorum legitime sibi in Suecia quæsito obtentoque deturbarentur; neve Suecis permitterentur transitus ac navigatio per fretum Öresundense.* De his quum diu utrinque sed incassum disceptatum esset, & Gustavus honestis atque æquis non indignis conditionibus pacem cum civitate Lubecâ paciscivellet, tandem quinque annorum induciæ inter illos convenere. Dani quædam in medium protulere, quibus se gravari à Suecis querebantur: nimirum *de novo & inusitato Nylosiæ vectigali, & de Bahusiæ recepto vectigali, de commerciis VVardbergæ & Halmstadii in Suecia recusatis.* Hæc

ad

ad æquam deciſionem, receptum uſum & juſtam moderationem facile reducta ſunt. Sed majoris difficultatis erat lis toties recocta inter nobiles Suecos & Danos de prædiis avitis Suecorum in Dania & Norvegia, & Danorum in Suecia. Hujus litis componendæ cauſa delecti utrinque arbitri Halmſtadii convenerunt. Vbi Nicolaus Petri de Akeröö à Tychone Crabbio repetitum ibat avi materni Nicolai Claudii de Viik bona, quæ Tycho à rege Daniæ Iohanne emerat. Sed Tycho contra contendebat, *Suecos ſe olim obligaſſe regi Daniæ Iohanni in ſuis fidelitatis literis, ut ſi quis opponeret ſe regi aut filio ejus, fama & bonis exueretur. Quod cum Sueci feciſſent, earum bona fiſco coronæ Danicæ ſub Iohanne jure addicta fuiſſe, à quo ille Nicolai Petri prædia iſtæc emiſſet.* Sueticis arbitris cupientibus, ſibi copiam fieri iſtarum tabellarum, Dani binas exhibuerunt, unas anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono ea ſententia, qua dixi, publicatas, de quibus egi ſuperius in vita Iohannis II. alteras anno milleſimo quingenteſimo quinto Calmariæ editas, quarum argumentum etiam in vita Suantonis Sturii ſenioris fuſius enarravi. Continebant autem Sueticorum & Germanicorum aliquot legatorum regniq; Daniæ ac Norvegię ſenatorum ſententiam de publicandis quorundã Sueciæ procerum Calmariam evocatorum, ſed contumaciter, ut putabant, abſentium bonis; inprimis de Stenonis Sturii ſenioris & Suantonis Nicolai, Sueciæ quondam gubernatorum, Nicolai Claudii, Stenonis Chriſtierni, Petri Turonis, Achatii Iohannis, Trottonis Magni equitis, & Antonii Erici prædiis: quę ut vacuas poſſeſſiones nobiles Dani juſto emtionis titulo ſibi adquiſiviſſent. Ad primas literas Suetici arbitri reſponderunt: *quum ſubditi regem Iohannem elegiſſent, hoc ſibi jus ſervaſſe, exemplo etiam Danis uſitato, ut ſi fidem juramenti rex ſubditis præſtitam prior violaſſet, ſubditis quoq; impune à pactis recedere liceret. renunciationem ergo fidei Iohannis ex juſtis cauſis factam, Suecorum obligationem ſolvere.* Ad alteras reſponderunt: *In pluribus comitiis à tempore ſententiæ Calmariæ latæ, præteritas offenſiones perpetua oblivione deletas eſſe. Velut etiam in pactione Chriſtierni II. & Chriſtinæ Stenonis junioris viduæ & civitatis Holmenſis, antequam Chriſtierno arx & urbs traderentur, factum eſſet, cum promiſſa reſtitutione omnium bonorum in quocunque horum trium regno ſitorum. Sed iſtam pactionem poſtea non à Sueonibus ſed Chri-*

Christierno ruptam esse: dum cum Suecis tam immaniter egerit, & non solum vitam & fortunas, sed etiam omnes literas & documenta illis ademerit. Vt ergo Sueci bonis suis hæreditariis in Dania & Norvegia privarentur, contra omne fas & æquum esse. Quum Dani reposuissent: *literas pactionis Christierni nullius ponderis & efficaciæ esse, quum tam injustæ fuerint ejus actiones; subjecere* Sueci: *si literæ quibus Suecis fidem suam obstrinxisset, essent rescindendæ; pari ratione diplomata ejus, Danis nomine bonorum emtorum & oppigneratorum data, nullas vires habitura esse.* Quum Nicolaus Petri Magnum Gyllenstiernium convenisset de bonis maternis in Dania & Norvegia sitis, arbitri Danici responderunt: *Eadem bona dictæ sententiæ fuisse subjecta.* Sed Sueci reponebant: *Si maritus damnatus fuisset bonorum suorum, quod tamen haud factum esset; non uxorem eidem culpæ succubuisse.* Dani: *si non aliter, tamen jure belli fuisse deperdita.* Sueci: *eandem rationem fore bonorum nobilitatis Danicæ in Suecia.* Porrò scisciatati Sueci; *cur Nicolai Haquini & Nicolai Brahei uxorum bona in fiscum regni Daniæ non addicerent, quum in majori culpa fuissent?* Ad hoc regerebant Dani: *Eorum uxores regni Danici incolas esse.* Sueci percontabantur: *Num aliam legem pro alienigenis, aliam pro indigenis haberent?* Ad quæ Dani siluere. Tandem Sueci arbitri, *sententiam illam, cui tam presse insisterent, iniquam & naturæ legi contrariam esse,* dixerunt, *ut tam innocentes viduæ & pupilli quam viri in impari culpa parem subirent pœnam.* Quod ulterius Danorum conscientiæ permitebant, & simul eis in mentem revocabant Gustavi & nobilitatis Suecicæ beneficiorum præterito bello in illos collatorum memoriam. Scribit eadem de re rex Gustavus suas ad Tychonem Crabbium literas; quibus ei exprobrat *acres illas contentiones de obligatione Suecorum erga Iohannem regem Daniæ, quibus quærat contaminare nobilitatis Suecicæ nomen & famam; quod tamen ei non successurum sperat. Hujusmodi obligationem regnis inusitatam vi, necessitate & diffidentia erga Suecos per regem Iohannem post obtentum pactis regnum & firmatum, à subditis extortam fuisse. Notas etiam esse insidias Iohannis adversus Stenonem Sturium & alios proceres paratas; nec minus peregrinorum præfectorum in populum dominationes. Inprimis hoc satis eluxisse ex filii ejus Christierni tyrannico imperio & fallacibus promissis. Si rex Iohannes sperato eos favore complexus fuisset, effecturum, ut ejus clementia*

sub-

...orum fidem provocasset. Sed quum in discrimen adduci suam ...florum salutem cernerent, inexpugnabilem necessitatem, quæ ...ferrum frangere diciur, securitati suæ quocunque modo con... coegisse. Quod præter istæc exprobret Suecis, eos Calmariam ...a rege Iohanne, in quorundam Germaniæ principum legato... conventu, vocatos abfuisse, se dijudicandum omni Christianæ ...prudenti cognitioni relinquere, num obligati fuerint hostium suo... judicio se sistere: qui non solum bonis sed & capite eos damnare ...sissent; & haud dubiè sic constituerint. Cur ipse Tycho noluerit ...ad Christophorum Comitem Oldenburgensem, Hafniam ipsum ...vocantem; cur? quod hostis ejus esset. Equidem si quis non certus ...vitæ suæ & salutis, vel centies ab hoste vocetur, non tamen, nisi ...plane demens sit, se ejus manibus commissurum. Se non induci posse ...credat, ideo Tychonem velle bonis suis in Dania privari, quod ...tui vocationi non paruerit. Monet ergo Tychonem cum reli... quis collegis seipsos excutere, nec nodum in scirpo quærere; sed ita ...rum moderari, ut quilibet ad justam bonorum suorum possessionem ...redeat, nec penitus oblivisci meritorum, nec stricte nimis agen... do communem concordiam turbare. Hîc ex occasione silen... tio non transmittendum, quod, quum anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto rex Chriſtianus ad regem Guſtavum Holmiæ viſeret, inter alia fidem ei dedit de reci... piendis hæreditariis in Hallandia poſſeſſionibus, quas olim reges Daniæ fiſco ſuo addictas aliis nobilibus regni vendi... derant. Quin hoc confirmavit Guſtavo patentium literarum fide. Elector Saxoniæ, Iohannes Fridericus, Philippus Haſſiæ Landgravius & alii nonnulli Germaniæ principes Evangeli... ci & civitates, quum Guſtavi conſtantiam in religione, fidem in amicitia, potentiam in armis perſpexiſſent, per legatos & literas ſuas fœdus religionis cum eo expetunt. Idem Da... niæ rex Chriſtianus per ſuum legatum Axelium Bragdium regi ſignificavit, & ex uſu fore putavit iſti fœderi nomen ſuum, ut ipſe dediſſet, quoque dare; ad quod negotium provehendum ſuas etiam curas obtulit. Guſtavus legatis Germanicis honorificè exceptis reſpondit: *In omnibus quæ ad Chriſtianam fidem, & veram Evangelicam doctrinam promovendam ac tuendam facerent, ſe talem præbiturum, ut nihil in ſe deſiderari facile poſſit.* Sed regi Chriſtiano hoc reſponſum dabat: *Si prius edoceri poſſet, quibus conditionibus ad iſtud fœdus nomen ſuum*

suum profiteri velit Christianus, se propensum ad idem, ut deceat, fore; amicè petens, ut in hoc & aliis in rem suam consulere velit, uti sibi de ipso fraternè polliceatur. Se par pari quavis occasione relaturum. Christiani legatus etiam in mandatis habebat agendi cum rege Gustavo *de argento & pecunia, quam Christiano proximo bello mutuam dederat, quid de ea fieri vellet, num ejus solutionem ad certi temporis terminos prorogari vellet.* Ad prius respondebat Gustavus: *Christianum anteà hac de re ejus mentem accepisse. se non quidem adeò desiderare annuas usuras, sed malle caput & sortem creditorum nummorum recuperare. Veruntamen quum ipsi hoc tempore commodum non esset illam exsolvere, se bono & amico animo designatas usuras remittere, & sortis nimirum viginti quinque mille & centum aurorum solutionem in quatuor annos proferre paratum esse. ita ut quotannis sex mille ducenti septuaginta quinque aurei dependantur, donec totum exsolveretur. Id Christiano fore tolerabilius quam expressas usuras annuas præstare: quibus uti posset in subsidium sortis expungendæ.* Ad posterius: *Æquum esse, ut dictum fœdus non solum à Christiano approbetur & ratum habeatur, sed etiam in propria persona ad illud obstringatur. An vero illud fœdus ultra poenali obligatione stabiliendum sit, quum Christiana & regia fide, ut sancte servetur, jam confirmatum sit, se ejus arbitrio permittere.* Ante biennium ex Moreæ Australis in Smalandiâ rusticis coorti sunt latrones & grassatores, quorum dux erat Iohannes Andreæ. Hi pervagati silvas interfecerunt aliquot regis prætores & ministros, inprimis Matthiam Mogium. Rex plebem eos persequi &, si possent, corripere hortabatur. Sed illi in Blekingiam transfugientes, tutum ibi receptum habebant. Proinde rex Gustavus Axelium Bragdium, Axelium Vgrupium & Mauritium Olai per literas monuit, *ut memores istius capitis fœderis de non recipiendis hostitio aut ferendis in uno alterove regno latronibus & aliis sceleratis, Iohannem Andreæ & socios apprehendi & in arcem Calmariensem transmitti curent, ut memoratum fœdus sanctum tectum servetur.* Secunda Gustavi conjunx Margareta primo filii Iohan-
1538. nis, postea regis Sueciæ, partu, exeunte anno S. Thomæ die, felix erat. Rex Holgerum Caroli & Christophorum Andreæ in Norvegiam misit ad litem in conventu Opsloensi dirimendam inter Trudonem Gregorii Daniæ & Iohannem Turonis Sueciæ regni senatores de litigiosis aliquot in Norvegia pos-

possessionibus, & tradendo ex fœderis lege ad supplicium Berone, qui regii ministri Nicolai Iesperi fratrem occiderat, & in Norvegiam transfugerat. Quædam naves Rostochienses hic authoritate regia attinebantur ad satisfaciendum Norcopiæ & Vadstenarum mercatoribus pro direptis earum navibus & mercibus, post Hafniam Christiano regi Daniæ deditam. Quum rex cognovisset, colonos Smalandenses novas villas in sylvis glandiferis exstruxisse cum detrimento pub. & desolatione antiquorum prædiorum ac fundorum: qui redigerentur in pascua, nemora & alias commoditates ad prædia antiqua pertinentes, eas prohibuit & dirui jussit. Si qui verò prisci & vacui fundi reperirentur, qui frugiferis sylvis non essent incommodo, & vivis testimoniis aut scriptis documentis probari possent, in illis ædificari permisit rex prædia tributaria, ex quibus definita & æqualis annua pensio præstaretur. qui verò destituerentur evidentibus hujusmodi fidei faciendæ argumentis, in fundis exstruerent villas in emolumentum coronæ, unde & *coronaria prædia* adpellarentur. Iohanes Andreæ latronum ductor, de quo supra, Lubecam ex Blekingia profugit. Istic Ericus comes de Hoia & Bernhardus Mylius donis aliquot oneratum in Blekingiam ad motus istic ciendos remiserunt. Ei se adjunxit Nicolaus Dakius in Blekingia natus, in territorio, quod *regium* dicebatur, colens, homicidii & incesti reus; cui ad intercessionem propinquorum & amicorum qui opulenti erant, pœnæ capitis gratia facta est, sed hactenus, ut vadibus datis ingenti mulcta vitam suam redimeret. Is cum majori parte mulctæ præstita, reliquæ pendendæ vel non sufficeret, vel ex protervia solvere nollet, exigentibus acrius prætoribus, vadimonio deserto & omni spe melioris vitæ abjecta, sylvas petebat, & cum Iohanne Andreæ aliisque latrocinia in obvios exercebat; donec opibus factionis confirmatis, anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo apertam seditionem, ex eaque bellum faceret, Dackianum ab authore dictum; quod non nisi triennio post magna cum difficultate repressum quievit. In conventu Arbogensi præter alia decretum est, *ut, quum sedulo vigilandum & ad quorumcunque hostium vim arcendam quasi in specula standum sit, in singulis in posterum provinciis armorum & exercitus lustratio instituretur. Vt argenteæ monetæ cyectio inter-*

1539. *diceretur.* Regis Christiani III. legati ex Dania VVodislaus VVobisserus, consiliarus & præfectus Draxholmensis, & Axelius Vrnius secretarius, regi Gustavo significarunt de itinere Brunsvicensi regis Christiani, & qua ratione in rem Gustavi nihil aliud effecissent, quam ut Bernhardus Mylius Lubeca decedere, nec in locis suspectis versari jussus esset. Ex colloquio verò cum legatis Gustavus eos suspectos habere cæpit, quasi eo fine huc solum missi essent, ut elicerent arcana regis consilia, & vix aliud negotium haberent. Sed cognito, Saxonem & Hassum principes & quosdã Bernhardi Mylii amicos & cognatos Brunsvigæ Christianũ ejus nomine conveniisse, & expostulasse tanquã de injuria Mylio à Gustavo in denegatis uxoris sue bonis illata; rex irritatus respondit: *Se spem bonam concepisse de affine suo rege Christiano, ut justam ipsius causam sibi commendatam haberet, publicam innocentiam tutaretur, & rem eo deduceret apud amicos suos, ne ab hujusmodi perfido, perjuro ac proditore tam indignè, contumeliosè & infamibus mendaciis & calumniis apud Evangelicos principes ejus existimatio laceretur. Quamvis autem rex Christianus & Dani cum rege Gustavo & Sueeis fœdus inivissent, tanquam fidum & æternum, quod servarent Sueci; & de Danis non nisi fiduciam bonæ vicinitatis, pacis & concordiæ fovèrent; ei tamen confœderatorum animos non respondere; quod non unis experimentis didicerit. Danos enim hoc fœdus suo magis quam communi utilitate metiri & servare. Quippe illis ab hoste aliquo petantur, Suecos statim posci opem terra marique. Si Sueci sollicitent Danos de auxilio sibi præstando, parum hoc præsto esse. Ab iisdem recipi Sueciæ capitales hostes Bernhardum Mylium, Olaum Brömsium, VVolffgangum Gylerum & alios plures, eorumque perfidas & injustas actiones foveri, contra Gustavi & Sueonum justas & æquas purgationes & defensiones supprimi, & in deterius præter omnem ejus culpam interpretari. Lubecenses in nupero conventu Hafniensi haud dubiè cum Gustavo amicam pactionem aut pacem fecisse; nisi deterruissent eos Dani; quo alio consilio? quam ut Suecos intra angustias contineant, & pro suo arbitratu tractent. Regem Daniæ miratum esse hîc in regno æquari quasdam vias; quasi hoc ipsi periculo futurum esset. Hanc verò non levem adversa suspicio-*

nis significationem esse. Nuper etiam Hafniæ regis Gustavi præfecti ministrum Georgium Iohannis, quem privati negotii causa eò miserat, pro exploratore habitum & excussum esse, si forte literas quasdam occultaret. Promissa Christiani de solvendo æris alieni Gustavo præstanda, non magis quam alia apparere. Regem Christianum & subditos ejus talem de Gustavo sparsisse apud Germanos & Danos famam, quasi fœdus ferire cœpisset cum Imperatore contra regem Daniæ & Evangelicos principes. Vnde non aliud colligere posset, quam eum velle se in sinistram opinionem apud exteros adducere, & quot posset inimicos adversus se excitare. Quod num justi fœderis aut fidi vicini sit, quemvis facile dijudicaturum. Hinc nata mutuæ diffidentiæ semina, suspicionibus, fama & rumoribus aucta, vicinorum actionibus & consiliis curiosius animum intendere fecerunt. Quum regius præfectus Georgius Ioannis judicium territoriale in VVesbo instituisset, & duo ejus ministri vadimonium caperent à colono istius loci, qui boves & equos contra regis interdictum in Daniâ distraxerat, rustici hoc solum nomine eos occiderunt. Quoties præfectus eò juris dicendi causa redibat, rustici armati in judicium veniebant, minantes ipsi & ministris mortem; quasi ipsi jus in vi & armis haberent. In tributis pendendis se difficiles & contumaces præbebant. Inter illos nonnulli sacrilegi & facinorosi pari insolentia interminabantur eidem direptionem & incendium prædiorum. Rex Gustavum Olai de Torpa aliosque nobiles in Smalandiam misit investigatum facinoris authores, & justa ultione punitum vim in regios ministros exercitam. Inde ad Gedanenses scribit de Olao Brömsio istic in urbe à Nicolao regio secretario deprehenso, qui tam perfidè adversus regem cum ingenti pecuniæ jactura egerat, sibi transmittendo vel istic judicio sistendo: sic regem remissurum actionem adversus ipsos & dissidium. Ad sextum diem Iunii nascebatur regi filia Catharina, postea Edzardo comiti Frisiæ orientalis nupta. Quum regis & regni bona tributaria hoc tempore non parum acciderentur & alienarentur, dum ea nobiles ubicunque poterant, ad se emptionis titulo transferebant; sed & in finium inspectione inter nobiles

& tributariorum prædiorum possessores instituta, plerumque modo hic modo ille coronæ fundus nobilibus favore arbitrorum adjudicaretur, idque in fraudem census regii, à quo nobiles immunes erant, & directè contra legem fieret, rex severè interdixit: *ne quisquam nobilium, clericorum, prætorum aut civium sub offensa & vindicta regia auderet emere, pignori capere, aut pro mulctis sibi vendicare ullas bona aut prædia censualia. Limitum verò inter coronam & nobiles litigiosorum inspectioni rex in posterum suos delegatos scripto mandato instructos interesse voluit. Si quis contra faceret, in eum ex lege animadversurum iri.* Rex in autumno, gravi, lento & deploratæ fermè spei morbo correptus, tamen Dei beneficio convaluit. Ex Daniâ legati Canutus Gyllenstiernius & Birgerus Vlfstandius petebant regem ipsum in limite velle ad colloquium cum affine suo rege Christiano accedere: ut istic ageretur de utriusque regni bono & stabili statu ordinando, cui petitioni rex locum dedit. Ad negotia verò peculiaria legatorum, regis responsum hoc erat: Ad primum caput: *Scaniis commerciorum usu in Suecia citra veterem consuetudinem interdictum fuisse; quæ tamen Suecis in Daniâ libera essent*, reposuit rex: *sibi hoc ignotum esse, nec facile credere posse Scanios absque gravibus causis commerciorum hic in regno cultu prohibitos fuisse. Quod si investigatum deprehenderetur, rite emendatum iri.* Ad alterum caput: *Famam passim ferre, inter regem Gustavum & se omnem vicinitatis & amicitiæ necessitudinem exstinctam & intermortuam esse. qua re utriusque hostibus animi magis crescant*, responsum: *se pro certo tenere, regem Christianum coram Deo vel hominibus justam conquerendi causam non habiturum, se in culpa cujuscunque dissensionis aut existimatæ discordiæ fuisse; sed se erga vicinum & affinem suum, in rerum angustia adversus hostes ejus verbis & factis fidum, opibus & copiis promtum hactenus fuisse. Sed quid auxilii consiliive contra suos adversarios & manifestos transfugas, proditores & perjuros à Christiano sibi vicissim præstitum sit, hoc se ejus conscientiæ ponderandum dare. Quin se ab illo, nullo suo merito, in sinistram vocari suspicionem, & plus fidei haberi vago & fallaci plebis de se rumori, quam testatis & publicis regiæ beneficentiæ documentis. Et forte se apud alios Christianos principes non absque regii nominis dede-*

ure indignè traduci, quasi omnia vicinitatis, fraternitatis & affinitatis jura & fidem conculcare, omnem propinquitatis conjunctionem & amicitiam obliterare velit. Quod ut in posterum silentio ac patientia transmittat, sibi nimis arduum & molestum fore: si pro benevolo suo affectu non nisi malæ existimationis notam mereri debeat. Ad tertium caput: de querelis sibi à rege Gustavo non ante scripto insinuatis, quibus ut in colloquio & conventu solenni satisfiat se opem daturum, ita responsum: se non posse dissimulare, quomodo toties de justitia administranda, & jure possessionum suarum tot tabulis ac promissis firmato tandem exsequendo à nobilibus imploratus esset. Quod ut fieret, se impensè cupere, et tot flagitationibus aliquando liberetur & cuique jus suum reddatur. Ad quartum caput: regem Christianum cum reliquis suis cognatis ita se apud Germanos aliosque gessisse, ut nemo eum jure insimulare possit, & nolle se regi Gustavo causam de inferiis sibi factis expostulandi dare, respondebatur: quia nullius alterius nationis mentione in suis tabellis facta, Gustavus propriasque suas difficultates Christiano bona mente modestè & maturo consilio significasset, tali morsuncula aut retorsione parum opus fuisse. Si tamen, quæ literis & sigillis sibi ac subditis promissa ac firmata sint, & alia quæ Christianam & propinquam necessitudinem deceant, nec uni parti emolumento, alteri detrimento sint, bona fide serventur, rata habeantur & præstentur, se non habere de quo conqueratur, aut æquas conditiones respuat. Ideoque de illis tractandi animo per se vel legatos suos commodo utrique loco & die compariturum. Lubecæ oratori Sebastiano Erlamio huc misso ubi senatus dabatur, gratias egit regi de fide publica Lubecensium legatis data ad agendum de pace. Senatum populumque Lubecensem excusavit de legatione non ampliore huc missa, ob alienum anni tempus; numerum senatus nondum suppletum; & quorundam adversam valetudinem. Ne Rex gravius in ipsos consuleret propter nuperos motus adversus ipsum à MarcoMeiero & Georgio VVollenwebero concitatos: quorum culpam nolit luere novum senatum & multos bonos cives innoxios; quibus hoc nolentibus esset. Petebat insuper, regem ipsum suæ præsentiæ copiam facere velle, ut commodius & majori cum fructu de pace, concordia & societate veteri instauranda & renovanda coram agi posset. Quod si regi commodum non esset, se pro tempore minora negotia senatui aperturum, do-

nec ad caput rei descenderet. Illa esse hujusmodi: ut rationes iniret alieni inter regem & Lubecenses ad liquidum deducerentur. ut detentio vel arestum, uti vulgò vocant, mercium Lubecensium hîc relaxaretur, & civibus sua nomina absque noxa & remora exigere liceret. Ad isthæc à senatu, quum rex ipse propter corporis imbecillitatem oratorem audire non posset, hoc responsum accepit: *Regem nullam Lubecensibus causam ad nuperum bellum præbuisse, sed ipsos ex mera insolentiâ regis & subditorum suorum navibus in libera Imperiali civitate, contra vicinitatis & amicitiæ fœdus manus injecisse; regem injuria & insigni probro affecisse. Quibus ad justam defensionem impulsus, ingentes belli expensas fecisset: quas cum omni damno dato Lubecenses ipsi refundere tenerentur. Quod autem orator negaret, novum senatum tunc in tumultu urbe pulsum, in crimen vocari posse ob improborum aliquot civium culpam; senatum tamen non posse per privatam suam innocentiam excusare, quod publica civitas aut populus admisisset. Nec enim inficias iri posse, quin pars senatus aut vires subministrarit improborum audaciæ, aut consilio consensuque eos juverit; eaque ratione se aliene culpæ participem fecerit, ac jure ad expensas teneatur. Ut autem rex Gustavus illis illorumve creditoribus ablata & non necessario bello moto perdita restitueret, se nulla lege naturæ cogi posse. Quippe ex vulgato dicto: neminem propriam culpam alii objecture posse; æquum ergo esse, ut ex damno sua culpa dato ipsi obligentur. Regem tamen ut pacificum Principem nolle honestas pacis conditiones repudiare, si orator plena potestate de pace agenda instructus esset.* Respondit orator: *In hoc summam rei & legationis suæ verti, ut si rex vetera illis privilegia restitueret, & civitates Hanseaticas ad mare Balthicum sitas iisdem ornare velit, æternam, æquam & ratam pacem utrinque facile sint inituri.* Monitus orator, *si aliam potestatem haberet nomine Hanseaticarum civitatum agendi, easque simul includendi, præter fiduciæ literas, illam regiis senatoribus exhiberet: ne quod uno die decretum esset, altero irritum fieret.* Ille regerit, *Lubecam caput esse Hanseaticarum civitatum: quæ nisi cum illis ea de re convenisset, ipsi in mandatis non dedisset.* Post aliquot dies orator Lubecensis ab ipso rege auditus, hoc responsum retulit: *Notum Lubecensibus & aliis esse, uti regnum Sueciæ antea magnâ discordia agitatum*

utum fuerit; interdum inter regem & subditos, interdum inter sacri & civilis ordinis homines, nonnunquam cum vicinis principibus. Vnde reges Sueciæ necessitate circumventos, nisi instar jumentorum ad mactationem duci vellent, coactos fuisse ex consilio prælatorum & aliorum ad Lubecensium desideria, quæ regni fuerunt detrimenta & libertatem ejus venalem fecerint, rata habenda & confirmanda. Lubecenses verò una cum clericis statim à coronatione regia huic rei velut leones prædæ inhiasse, sibi persuadentes, regem ipsis mancipio fore; quod tamen illis Dei beneficio non provenerit. Si quidem Dei virtute & gratia populum suum & regnum à cruentis hostium consiliis & sæva dominatione vindicarit, & gladio ac viribus armatis suos à Lubecensium jugo ac vi liberarit; velut Moses Israelis posteros educebat Ægypti carcere in terram promissam; & eripuerit Sueciæ regnum excidio ac turbis, & in quietum statum ac pacem reposuerit. Ideo se non posse eorum Deo & hominibus excusari, ut regnum suum armis recuperatum Lubecensibus velut spolium objectare, & restituere illis nunc culpâ suâ amissas & antea dolo extortas immunitates ac privilegia: quod bellicosum principem non deceret, nec jure ac consuetudine receptum esset. Quapropter sibi spem facere de illis ut qui Christiani sint & Evangelici audire velint, non tam impensè ipsius & regni detrimentum ac perniciem sui commodi causa, sed potius, ut Deus vos docet, vias & compendia tam proximo quam sibi salutaria & proficua quærant. Quod si fiat, serite & honorificè suas quoque partes expleturum. Ne verò legatus qui pleniori potestate agendi de pace non erat instructus, diutius impendente hyeme itineri incommoda, detineretur, regni senatus eum cum hoc responso dimisit: Regem etsi gravi injuria à Lubecensibus affectum, tamen publicæ tranquillitatis majori studio, quam acceptæ injuriæ memoria, paratum esse cum illis amicam pacem redintegrare, sed illis conditionibus quæ juri majestatis, libertati & regno non essent detrimento. Nec tamen velle prius ullas conditiones accipere, quam sibi pro dato damno, belli sumtibus & injuriis satisfactum esset: quum non ipse, sed illi belli causam dedissent. Cetera amicè cum illis & omnibus vicinis transacturum, regia tamen authoritate & eminentia, regnique libertate salvis. Hoc responsum Balthasar Funckius comitatus oratorem Lubecam senatui Lubecensi tradere jubebatur. Orebrogæ senatus & proceres regni, 1540.

rerum momentis serio discussis, quantum in Principum regno destinata stirpe sit reipublicæ stabilimentum, & quanto promtius tutiusque cooptetur jam certus, quam quæratur incertus successor; æstimatis verò maximè Gustavi meritis, justo, benefico & prospero ejus imperio, in regia familia ejusque continua serie regnum fecerunt hæreditarium. Cujus ut rata magis fides esset, digitis stricto regis gladio impositis, juramento & sacramenti usu firmarunt. Ritus autem ante præmissum à proceribus juramentum, ab ipso rege adhibitus talis erat: Cum senatores regni & equestris ordo collocassent in stricto regioque gladio digitos suos, rex his verbis velut sacro carmine præivit: *In nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Amen. Ex omnipotentis Dei divina vi & potestate mihi & omnibus meis regiis hæredibus ac principibus concessa vobis & omnibus meis subditis imperandi, extendo hunc justitiæ gladium super vos in testimonium.* Mox jussit eos solenne juramentum præstare. Et præstitum est in præsentia regis & duorum ejus filiorum Erici & Iohannis principum, à regni senatu, proceribus & episcopis. Idem postea Nylosiæ in conventu publico confirmatum & signatum est. Ibidem regni constitutio à cancellario Conrado à Phy ex regis jussu de justitia recte administranda & felici imperii statu conservando publicata est. Seditio Laurentii Iohannis in Ostrogothia contra nobiles & alios qui Evangelicam fidem amplectebantur excitata, mox factionis ducibus capite plexis, conquievit. Inde in conventu Calmarienſi inter Suecos & Danos legatos definitum est de ære alieno cum æquis usuris quinque pro centum Nylosiæ proximo anno a.d. XVI. Februarii solvendo, vel ducentis equitibus, ubicunque placeret, usque ad plenam solutionem alendis, aut immittendo regem Gustavum ejusve nomine delegatos in possessionem arcis Bahusiæ, Akerhusiæ & VVikiæ, aut si immissio istæc cessaret, regni Daniæ commissarios & senatores quotquot legerentur, sub existimationis suæ periculo obligatos fore cum quinque equis & ministris Nylosiæ convento loco se sistere, nec inde digredi, donec Gustavo regi satisfactum esset. Ibidem de Gothlandia & qua ratione ad Sueciæ regnum redire possit, sed irrito conatu, agebatur;

resque

usque in sequentis anni comitia Calmariensia una cum aliis de prædiorum in utroque regno & confœderationis jure controversiis suspendebatur. Vnde princeps legationis Conradus à Phy concellarius regis offensam incurrit, quod non tam accuratè & prudenter negotium egisset, atque rex jusserat. Cæcilia regis filia vertente anno in lucem edita, & postea in matrimonium Christophoro Marchioni Badensi elocata est. Ob annonæ penuriam hic ad tempus prohibetur evectio frumenti, boum & aliorum ad victum pertinentium: ut domesticæ necessitati serviret domi natum; donec uberiori annona etiam in exteros dispesci ac distrahi posset. AEris alieni summa, nimirum triginta unus mille nonaginta septem cum dimidio nummi unciales Nylosiæ persoluti sunt regio nomine senatoribus aliquot regni à Gustavo eò missis per amicos Christiani. Qui etiam ab illis in solutionis fidem receperunt omnia chirographa & signatas obligationes, cum dictæ summæ apocha. Constitutio à Gustavo edita est, *Vt prædia tributaria sarta tecta facilius habeantur, impensam tertia aut quarta parte pensionis annuæ deducendâ sublevari. Recognitionem ædificiorum sub pœna publicationis prædiorum statis temporibus instituì. Qui majorem partem prædii tributarii possideret & maxime idoneus esset ad possidendum, illi facultatem fieri redimendi reliquorum partes pro æquo & usitato pretio. Nec ulli potestatem fore dicto aut facto contra illam eundi.* Quod eo consilio fiebat, ut unum prædium ab uno possessum majori cura haberetur, commodius instrueretur & melius coleretur, nec plures de eo contendendi & rixas fovendi locum haberent: nec tributo regio à pluribus unum commune prædium colentibus fraus fieret. Item edictum publicatum Vpsaliæ *de sacerdotibus non onerandis hospitando, nisi volentibus, & pro æquo pretio; exceptis regiis ministris literis commeatus sub sigillo regio instructis, qui tamen necessario victu contenti essent.* Ad comitia Calmariensia rex mittebat oratores ex senatu Conradum à Phy, Stenonem Erici, Laurentium Siggonis, Iohannem Thuronis, Birgerum Nicolai, Magnum Iohannis & Georgium Normanum cum hoc mandato & potestate, ut congrederentur cum Danico Senatu in limite 1541.

Brömsebroensi, animo decidendi controversias inter utrumque regnum intercedentes, quæ proximè elapsis comitiis Calmarienſibus huc dilatæ erant, donec ambo reges ipsi convenirent: ne interea tempus inutiliter tereretur, & reges longa aut inani disceptatione diu fatigarentur, sed pax, concordia & quies ocyus utrinque sanciretur. Dicti regis Sueciæ senatores & legati cum regis Daniæ Christiani senatoribus & legatis Axelio Braggio, Trudone Vlffandio, Canuto Gyllenstiernio, Birgero Trollio & Iespero Brocmanno congressi, de his capitibus egerunt: *de jure Gothlandiæ Suecis competente. De octingentorum mille thalerorum, ut vocant, damno resarciendo, quod passus esset Gustavus in nupero bello, pro regni Daniæ & incolarum ejus defensione & salute susceptο. Vt prædia in Dania & Norvegia quotquot istic sibi vindicant Sueones, illis absque impedimento restituantur; & sententia de illis in Dania lata tradatur Gustavo, & cassa & irrita pronuncietur. ut capitis decreti Hamburgensis de Regis Gustavi & Sueciæ regno Comitis Ioannis hæredibus, Bernhardo Mylio & Lubecensibus rescindatur. Vt disidium inter regem Gustavum, ducem Prussiæ ac Dantiscanos componatur. Vt Gustavus in fœdus Euangelicum recipiatur. Vltimò de utriusque regis conventu agatur.* Capita priora de Gothlandia & Suconum bonis in Dania & Norvegia, remissa sunt à legatis Danicis ad arbitros utrinque à studio partium alienos eligendos. Reliquis verò posterioribus à Christiano satisfactum iri fidem dederunt. Postea Reges Gustavus & Christianus obsidibus utrinque datis in utriusque regni limite Brömsebroensi convenientes pacem quinquaginta annorum & fœdus adversus quoscunque hostes renovarunt iis legibus: *Vt paribus animis & fide commune bonum procurarent, malum arcerent. Eosdem hostes, nisi pax interveniat, haberent: & socii stipendio durante bello, aut deficientibus cibariis, nec statim suppetentibus, ab altero socio pro æquo pretio juvarentur. Vt bellum, pax cum hostibus de trium regnorum sententia iniretur: ne quid temere aut in fraudem socii fieret. Leges militares litibus finiendis & quæ exercitui pro norma vitæ & actionum essent, conderentur. Terrestri bello Sueci Danis & Norvegis prima compellatione & expeditione subvenirent duabus equitum sex peditum centuriis. Dani & Norvegi Suecis totidem equitibus, sed octo peditum centuriis. Secunda*

cunda expeditione, si majores hostium vires essent, quater mille quingentis militibus, aut pluribus, si necesse foret. Maritimo bello instructa classis utrinque præsto esset. Locus aut provincia in socii solo hosti erepta, socio bona fide restitueretur, cujus ante fuerat. Si verò castella aut munimenta hostilis terræ occuparentur, ea vel solo æquarentur, vel socio milite ac præsidio communirentur. Pars bello lacessita dimidium rerum ab hoste captarum obtineret: quia sumtus belli vel solos vel præcipuos fecisset, pars auxiliaris tertiam partem teneret, donec ipsi belli expensæ refunderentur. Si verò pares utrinque sumtus facerent, ex æquis partibus bona hostilia capta dividerent. Si unum horum trium regnorum tam gravi bello infestaretur, ut solum ei sustinendo diutius non sufficeret, alterum regnum obligatum erit succurrere infestato regno, nulloque modo illud deseret, sed finire bellum victoria aut pace adjutabit. Si verò quietum regnum bello adflictum non ulterius usque ad pacis aut belli finem adjuvare posset, aut pacem pecunia venalem coemere & consummare nollet, & oppressa pars pro se pacem ex necessitate facere cogeretur, hoc ipso non faciet contra fœderis legem, sed illud nihilominus firmum ac ratum erit. Regnum tamen ad pacem ineundam compulsum, maxime operam dabit, ut alterum regnum eadem pace comprehendatur. Sed si Dei Omnipotentis providentia (quod utraque pars indies à Deo precabitur) & amicorum interpositione cum trium regnorum hæreditariis hostibus æterna pax initi posset, unum regnum se non sejunget ab alio, nec solum, sed reliquis consultis & conscientibus pacem faciet. Pace verò irrita, societas tamen & mutuum auxilium stabunt. Nullum horum regnorum fœdus, amicitiam aut contractum cum quoquam principum aut reipubl. inibit; aut privilegia & immunitates promittet, in fraudem alterius. Si unum ex his regnis adversus quosdam suorum hostium seorsim bellum facere velit, & socio tale, ut minus necessarium, viribus juvare commodum non sit, illa pars, quæ contra alterius consilium nihilominus bellum urget, de auxilio, quod non abnuendum, cum socio seorsum aget, libero utrinque transitu. Omnis rebellio ac seditio subditorum communibus opibus reprimetur ac plectetur. Si quædam offensiones aut dissensiones inter hæc tria regna de privilegiis, sive jure alterutrius regni, sive alia causa oriantur, sex aut duodecim arbitri secundum negotii naturam, communi consensu & jussu eligentur, & statu commodoque utriq; loco plena cum potestate convenient, veritatis investigandæ,

justi

justi injustive cognoscendi causa. Quod ubi factum, sub Christiano honore, fide & conscientia obligati erunt inde non digredi prius quam absque omni privato affectu & cunctatione negotium illud vel jure decliderint, vel amicè composuerint. Et quod ita cognoverint & pronunciarint, scripto consignatum exproment, ea integritate, quam Deo & hominibus probare possint. Si lis aut dissidium oriatur inter quosdam trium horum regnorum nobiles, equites alioswe incolas de rebus soli, proprietate, homicidio aliave causa, sex vel octo pro re nata boni, non suspecti arbitri consensu jussuque communi constituentur, qui litem secundum loci, in quo res controversa sita aut delictum admissum est, statuta dirimant aut amicè componant. Si quidam horum regnorum equestris ordinis viri aut alii incolæ fortè falso accusentur & deferantur ad suum dominum vel regem, eoque nomine ejus offensam mereantur & proscribantur ex sua patria, atque se recipiant in aliud horum regnorum, ibi tolerabuntur & fide publica ac patrocinio, prout fas & jus est, non cum alterius regni adversâ voluntate aut probro, fruentur, donec in jus vocentur aut ad amicam transactionem. Si eorum causa tam justa sit, ut jus & judicium admittat, octo arbitris à studio partium alienis, quatuor ex uno & quatuor ex altero regno sistentur, qui eorum causam ventilent & examinent, eamque jure vel amicè, ut ante dictum est, decidant; & quidquid illi pronunciarint, princeps & reus ratum habebunt. Si verò causa rei manifestè injusta sit, ut si quid insidiosum aut hostile machinatus sit adversus regem suum aut patriam scripto aut ore, verbis aut factis, atque sic ei lege frui non liceat; nequaquam in aliquo horum regnorum feretur in præjudicium aut injuriam alterius; sed ut profugus & facinorosus justa persequutione & damnatione afficietur. Si nobilis alicujus aut alterius minister fugiat ex uno regno in aliud, nec à domino suo, cui servitutem servivit, cum bona gratia & literis commeatus dimissus sit, à nullo istic detinebitur, aut in servitium recipietur. Si verò in mandatis aliquid habuerit, & ausugerit cum codicillis rationum, absque domini sui apocha; detinebitur in carcere vel sub idonea satisdatione ab illis apud quos deprehenditur: donec hujus facinoris arguatur, & promeritam pœnam subeat. Omnibus inconsultis & temerariis dissidiis occurretur; concordia & pax resarcietur & stabilietur, salvo tamen singulis regibus eorumque posteris ac hæredibus suo jure, regalibus, privilegiis & libertate, salva etiam pro regnorum, temporum, seculorum

statu

statu & fato addendi, augendi, mutandi, detrahendi huic fœderi, ex communi consensu, & facultate. Singula fœderis capita sub pœna vel mulcta C. M. numorum uncialium cum expensis damni dati inviolata servabuntur. Secundum superiorem confœderationem decretum inter utrumque regem factum est in Rotnebyo Blekingiæ in hanc sententiam: Si rex Gustavus, Lubecenses & alii in decreto vel recessu, ut vocant, Hamburgenſi comprehensi coram rege Daniæ aut arbitris ejus litiaturi sententiæ latæ parere nolint aut æquam insistere viam, sed regem Gustavum & Sueciæ coronam infestent, Christianus rex ei contra eos auxilio & consilio præsto erit. Si Elector Saxoniæ & Landgravius Hassiæ aliive quocunque modo juverint & promoverint Bernhardum Mylium ad moliendum quid hostile contra regem Gustavum & Sueciæ regnum, pari modo Christianus rex subveniet regi Gustavo. Si verò Christianus Gustavo cavere pro Bernhardo, & iste per jugulum revocare velit calumnias & famosos codicillos in Gustavum editos, se ter mille thaleros, ut vocant, ex dote uxoris aliàs in publicum additurum. Si dux Prussiæ à Christiano rege corrigi nolit, aut regi Gustavo tradere profugos ex Suecia VVolffgangum Gylenium, Olaum Brömsium, Fridericum VVidmannum, Iohannem VVittium, & plures alios, sed inimicum quid machinetur adversus regem Gustavum & regnum Sueciæ, Christianus ex lege fœderis Gustavo opitulabitur. Dantiscum cum rege Gustavo amicè conciliabit, quod si non possit, fœderi nihilominus stabit. Statim post hanc confœderationem Christianus occludit Hollandis transitum Oresundæ insciо Gustavo, eosque sibi inimicos reddit. Dum Gustavus est Calmariæ, legatus Christophorus Richerius à Francisco Valesio rege Galliæ, nunc bellum adversus Carolum V. parante ad eum venit, societatis & amicitiæ contrahendæ causa. Quod tam gratum fuit regi Gustavo, vt per legatos suos Stenonem Erici reginæ fratrem, Conradum à Phy, Canutum Andreæ equitem auratum & Georgium Normannum ad regem Galliæ missos cum eo fœdus, uti pluribus munimentis insisteret, confirmaret his conditionibus: ut alter alteri suppetias veniat sex mille militum copiis præter classem & arma, quum ab ipso postulabitur; sed impensa postulantis. si majore ope opus sit, invicem sibi succurrant cum viginti quinque militum exercitu & quin-

quinquaginta navium armata classe adversus quemcunque exceptis, qui hoc fœdere essent inclusi, nimirum regibus Daniæ, Scotiæ, duce Borussiæ, Geldriæ & Cliviæ, item regi Angliæ, si intra semestre suum ad hoc fœdus nomen det. Si rex Scotiæ quibusdam copiis auxiliaribus Franciæ egueri, regem Sueciæ ea causa compellatum Gallis classem sex millium virorum impensis Scotorum expedire paratum fore. Paremoperam & auxilium regem Scotiæ ex Gallia in Sueciam expromturum. Si quis confœderatorum principibus hujus fœderis, vellut regi Sueciæ vel Galliæ bellum facerent, Gallos obstrictos fore Suecis talem opem ferre, qualem Sueci ipsis ferent. Subditis utriusque regis libera fore jura commerciorum in utroque regno absque ullo interdicto. Milites emissos tam tuto commeatu fruituros in eo regno, in quod devenirent quam in propric;
1542. *modo quieti essent.* Has conditiones juramento & patentibus literis firmabant. De Nylosia cum Elfsburgi arce majoris præsidii ergo conjungenda decernitur. Quod tamen triennio post demum effectum est. A Ferdinando I. legatus Iohannes Georgius Paumgartnerus huc ad regem Gustavum accessit, *de censu*, ut vocant, *Turcico in bellum contra Christiani nominis hostem, etiam à rege Gustavo desiderato.* Sed rex Gustavus *erarii bellis intestinis & quorundam tyrannide exhausti, aruque alieni difficultate civiliter hoc excusabat, aut si quid opum supereresset, adversus vicinum hostem Russum non ferme minus infestum, impendendum esse. Se tamen, si Christiani principes & membra imperii cum ceteris Christianis regibus & ordinibus jungere suas vires & animos contra Turcam velint, suis quoque partibus non defuturum, cum spe cautionis Ferdinandi de pari ope & animo in quovis necessitatis articulo.* Circa hæc tempora Nicolai Dackii seditio, ut tabes, morâ invalescit, & plura membra corripit; ita ut primò ad centum, inde ad aliquot millia factiosorum excresceret; & à cædibus ac rapinis vires sumens, ægrè comprimeretur. In Moringia australi regium ministrum Nicolaum Andreæ cum tribus servis Dackius trucidat. In VVartorpio Nicolaum Laurentii territorii præfectum & Arvidum VVestgothum virtute bellica clatum capit, ejus prædium exspoliat; inde vestibus exutos arbori alligat & telis transfigit.

Gud-

Gudmundum Slattium nobilem virum ſocii ejus impetunt, prædium ejus Gräſſkiälenſe diripiunt, in morbo jam biennium decumbentem & in extremis ferme agentem tribus glandibus plumbeis Dackii commilitones aut potius ſicarii tranſverberant, beneficium rati, ſi mortem ipſi feſtinarent. Ne quidem à ſacris præcones manus abſtinent. Quid enim illi divini aut humani juris fœdus curarent? quibus nihil ſanctum erat, quod eorum avaritiæ & prædationibus obvium eſſet. Ex æde VVekelſongenſi rapiunt Magnum Petri de Lima cum Magno Holmio, qui ſcribæ operam poſtea Dackio locavit. Colonis iſtius paræciæ pro ejus ſangvine ingenti vi pecuniæ redimendo fidem ſuam interponentibus nihilominus prædam in ejus villa faciunt, quam in Blekingiam abripunt ibique partiuntur. Vt rex accepit, quomodo ſeditioſi iſti receptu & viribus à Blekingiis inprimis conſule Rotnebyenſi juvarentur, ad Chriſtianum I. ſcripſit de puniendis eorum receptatoribus. quod & Chriſtianus promiſit, ſed nullo fructu atque exſequutione. Guſtavus, ne vires ſeditionis nimis augeſcentes tandem remedium ipſum ſuperarent, omnia, quæ ſupprimendæ illi facerent, adhibuit. Smalandenses literis monuit, ut memores juratæ fidei & obſequii in regem, quieſcerent, nec ſe miſcerent factioni reliquorum, nec eos domo aut menſa reciperent. Adverſus ſeditioſos coegit armatam manum, ut qui molliori via nollent, vi coercerentur, Guſtavo Olai & Severino Kylio ducibus. Interim Dackius Suantoni Sturio arcis Stegeburgenſis præfecto, ſi ducis partis capere & avitæ eos libertati permittere velit, nimis feroci ſpe ac ſpiritu obtulit regnum & cum ſuis obſequium; quaſi, qui vix ingreſſus limen regni, jam rerum potiretur & nutu ſuo partiri ſceptra ac poteſtates valeret. Sed quid ſibi non promittit effrenis & armata malitia? Suanto perfidum inceptum averſatus, ſua ſorte contentus, & fidei integer manſit. Armorum ferias, quas cum eo Guſtavus Olai & Severinus Kylius pacti erant, non ſervavit Dackius, nullius fidei homo; Thutonis Trollii aulam Berquaram deprædatus, uxorem ejus à puerperio recentem lecto exegit. Duos prætores regios occidit. Magnus princeps regi Guſtavo hac tempeſtate natus, poſtea dux Oſtrogothiæ & Baliæ factus eſt. Incendium in-

gens

gens Vpsaliæ ortum majorem urbis partem absumpsit. Ab incendiariis excitatum creditur, ab hoste publico emissis, quum intra tecta passim funiculos incensos & fomitem reperirent. Rex Daniæ Christianus invitat regem Gustavum ad colloquium in limite & consilium de novis insidiis Christierni liberis & horum tutoribus contra tria regna cognatis. Sed Gustavus ob domesticos Dackii motus & aliorum hostium vicinorum Russorum, Megapolitanorum, Lubecensium, Cæsarianorum, Palatinorum, & Christierni fœderatorum abesse non poterat. Quippe domi in perpetua cura adversus eorum machinationes excubabat, & ad vim arcendam paratus, copiis in patriâ forisque apud amicos principes conductis & in expedito stantibus, ab hoste externo magis formidabatur, quam lacessebatur. Dum verò Dackii intestinus hostis aut verius latro grassari pergit, Laurentius Siggonis & Iohannes Turonis in Smalandiam excurrunt, aliis cum agmine in Ostrogothiam missis: ne coloni forte vicini mali contactu ibi quoque tumultuarentur. Bina militum signa à Gustavo Holmia ducibus Botuidô Laurentii & Petro Hannobero emissa, dum ad Gustavum Olai & Iohannem Turonis firmandi copias eorum causâ tenduntur, Kindiâ, inter prærupta montium & sylvarum, quum, inneribus dejectu arborum septis, alia via non pateret, deprehensi & circumfusi cæduntur; haud tamen inulti. Quippe mox trecenti Dackianorum ad pagum Haddetorpium in paræcia Slaka ab Abrahamo Erico & Botuido Laurentii partim somno graves exusti, partim in acie trucidati sunt, quatuor solum nostrorum desideratis. Mox clades clade, & quidem iusta, ut in perduelles, cumulatur, dum Laurentius Siggonis, non solum titulo sed & virtute dux, scelleris duces Iohannem cum quadringentis militibus, Ionam Hanium cum trecentis & Nicolaum Scarfuium cum centum fudit. Hac strage aliquantum domiti Dackiani, pacis cum rege Gustavo desiderant. Quin rex, ut malo & sanguini civium finem quocunque modo faceret, in pactiones cum illis ivit. Agrestes & plebeii obtentu, ut solent, motibus civilibus sumto; querelis de injusto imperio, de injuriis sibi factis, jure à dominis & prætoribus denegato, nec fide promissorum servata, de ornamentis non

uni ædi sacræ detractis, & ceremoniis veteribus sacrorum abolitis, de invidia cultiorum vestium & ædificiorum illis facta; de armis ademtis, de interdicto cædendi sagum, de nimio tributorum onere aliaque ad regem deferebant. Quorum etiamsi quædam vera esse possent, tamen qualiacunque conjurationem adversus magistratum & arma civilia non excusabant. Nihilominus rex, si quiescerent & parerent, nec intestino tumultu seipsos aliosque ad exitium usque fatigarent, illis quæ hactenus ignorarat & remedio digna videbantur, emendationem promisit. Quin graviter eos allocutus, *præsenti statu, quem pravi homines inconsulta audacia permiscerent ac turbarent, contentos esse jubet: & dum ad veterum temporum sortem iterum aspirando, pristinæ libertatis imaginem & quas non immunitates sibi somniarent, videre, ne inani spe ac desiderio præsentem felicitatem temerè permutarent.* Nec enim omnia prisca regno salutaria; nec annis, sed ratione & usu hominum instituta retinenda esse. *Quin novum hoc magis in rem patriæ fore, ut pacis tempore de bello quoq; cogitetur: ne subitò exorti motus imparatos opprimant; ideoque regnum majoribus & concinnius armatis copiis, instructiori classe & armis, quam ante, præmuniatur. Ad luculentorem autem & necessarium belli apparatum majores etiam solito expensas & tributa requiri. Quod tamen à vulgo parum pensi habeatur, veteres subinde mores crepante, nec quid nostrorum temporum necessitas jubeat, aut utilitas regni suadeat, æstimante. Nihilominus plebem à vi hostium per magistratum suum defendi, tutela armorum & securitate publica frui cupere, sed quam minimo suo impendio; & , ut proverbium habet, calescere velle, sed integra salvaque lignorum strue: quasi commoda absque onere quodam & impensa esse possint. Post fidos & cordatos cives, regni præsidia esse arma, classem, fiscum; quibus majorum ætate non satis suppeditantibus, non unam nec levem cladem & calamitatem accepisse patriam. Quantos autem ipse sumtus fecerit in extrahenda jugo Christierni patria, & aliis deinde hostibus vicinis aut domesticis debellandis, cui ignotum esse? & tamen modica subditis tributa imperasse. Quæ si nunc paulum intendantur, annona ingravescente & crescentibus rerum pretiis, nihil mirum aut insolens fore. Si tamen cum superiorum temporum & nuperæ ætatis adflicta fortuna contendantur, levia & pene nulla esse. Etsi enim major tunc frugum ubertas & rerum vilitas, quam hodie, tamen fructus regni grassantium*

quorundam principum & præsulum avaris & violentis manibus prædæ fuisse. Quod verò intolerabilius, vitam, facultates & corpora tyrannorum libidini, conscientias alienæ dominationi, & animas æternæ salutis discrimini obnoxias fuisse. Nunc verò patriam Dei ope & Gustaviana cura non solum à sævissimi tyranni manu, sed & superbo episcoporum regno & animorum periculo exemtam, verâ libertatis & tranquillæ pacis aurâ respirare. De quo sibi cives maxime gratulari, in quiete & fide esse, nec malevolorum pravis sermonibus aut factionibus auferri, fas & pietatem erga suum magistratum postulare, publicæ & domesticæ prosperitatis interesse. Bis mille Dalecarli armati suppetias ivere regi contra Smalandos; sed pactione cum rebellibus facta, domum remissi, & laudata eorum fide promptaque opera, alii occasioni parere jussi sunt. Rex Gustavus iterum per Daniæ Regem Christianum, ablegato Georgio Cörpero, à novis Christierni tyranni cognatorum & fœderatorum adversisque molitionibus sibi cavere monitus, ad colloquium de junctis viribus contra communem hostem parandis invitatur. Patentes ab eodem literas accipit, quas rex Daniæ ad Smalandenses destinarat, si Gustavo sic placeret, hujus sententiæ: *Si res ipsorum gravis eis fuisset, se hanc rationem initurum cum Gustavo ipsis volentibus, ut remedium huic rei aptum inveniretur.* Sed quò hæ literæ valerent, Gustavus suspicatus, in manus Smalandensium devenire noluit: ne his velut classico quodam, aut nova spe ad majorem rebellionem accenderentur, aut, quas vellent, pacis leges Gustavo ferrent. Itaque literas istas in Daniam remisit. Christianus insuper per secretarium suum Gustavo significabat, se transitum per Daniam aliquot Germanicis copiis, in Sueciam stipendii sub Gustavo merendi causa euntibus dedisse. Se propediem plures auxilio submissurum. Gustavus Cancellarium suum Christophorum Andreæ in Hedâker & Georgium Normannum in Daniam comite quoque Christiani secretario, expedit, ut regio nomine cum Christiano consultarent de via & modo procellis motuum belli ac seditionis foris domique imprudentibus occursandi; & de auxiliaribus copiis ex legendis ab eodem capiendis. Quia verò suis legatis Gustavus mandata dederat, ut post negotium regi Daniæ expositum sejungeretur; & Normannus diversus iret in Pomeraniam, ad duc-

ducibus Barnimo & Philippo liberum istic recensendi militis à Gustavo conducti spatium & tutum iter petendi causa; Christophorus autem in Dania subsisteret, ad responsum à Christiano accipiendum, cum quo statim huc terrestri itinere reverti jussus erat; ille, incertum qua mente sibi inspiratâ, illic remansit, nec responsum remisit. Revocatus domum non paruit, sed specie valetudinis curandæ, uxorem ac liberos cum pretiosis quibusque in Germaniam adduci fecit, atque istic commoratus, animum redeundi, ut ferè bestiæ solent, amisit: non tamen ex dignitate munetis, & fide patriæ debita. Gustavus fœdus religionis, ad quod ante à Christiano allectus erat, cum Saxone & Hesso fecit, publicæ securitatis & ecclesiasticæ quietis communibus opibus tuendæ causa. Dackius autem, ut ad illum redeamus, obduratæ perfidiæ homo, pactis haud diu stetit. Prædatione in speciem prohibita & pace indicta, mox tamen ad ingenium redit, cætus in Sunnerbo & VVexionia cogit, agrestes denuò concitat. Quidam tamen eorum, qui Laurentii Brömsii prædium exspoliarant, à Gustaviano milite, in confinibus Smalandiæ & VVestrogothiæ adversus tumultuantes excubante, capti pœnæ servantur. Dackius autem magis stimulatur literis Alberti ducis Megapolitani ad eum missis per civem Rostochiensem Iohannem Pflugium, qui factiosa etiam colloquia cum eo serebat. Postmodò in Daniam digressus & literis liberi commeatus à Dackio instructus, in quibus nomine ejus mutato Laurentium Iohannis adpellabat, istic captus & capite plexus est. Paulò ante mortis supplicium, ut Christianus Gustavo per literas indicarat, fassus est: Albertum scripsisse ad Dackium, *Sibi compertum, quomodo cum Smalandis adversus Gustavum conspirasset, & per emissos obtulisset Christiano regnum Sueciæ; quod ille tamen recusarit, & copiis Gustavum contra se suosque juverit. Verum si Dackio ejusque asseclis placeat, se regem eorum fore, ac ducem ad profligandum regno Gustavum; ita tamen, ut pecuniâ conducendo militi, & ope sua ipsi præsto esset.* Dackium respondisse: *Se jam regi Gustavo conciliatum, sperare fidem promissi sibi servatum iri; quod si Gustavus faciat, se meliorem sibi regem haud exoptare. Si minus, adesset Albertus, sed bene nummatus. Ita nec suam ei operam clausurum.* In pessimo deinceps instituto progressus

Dackius, à Rotnienſibus receptum & commerciorum libertatem expetit. Sed illi, donec regis animum de hac re diſcerent, abnuunt. Inde odio inteſtino ex ſævitia in ſuos orto, quod conſenſum factioſorum & vires ſeditionis diſtraheret pronum eſt, dum Magnum Hanium, Smalandenſem colonum gente non obſcura natum obtruncat, & ſenes aliquot ruſticos duris compedibus conſtrictos abripit ſęvèque tractat, in ipſius vitam non pauci factioſorum coire & conſpirare cæperunt. Hiſce mox acceſſere nobilium aliquot familiæ: quum Georgii Erici prædium exuſſiſſet, Iohannem Kylium ſenem, Iohannem Nicolai & Iacobum Andreæ in Ölandia trucidaſſet. Quum ergo ſe non ſatis tutum cerneret, ad Magnum Iohannis, Petrum Bragdium & Georgium Erici regni ſenatores ſcripſit: *agerent cum rege de ſua ſecuritate & prædiis aliquot ſibi concedendis: ex quibus regi centum milites ad tuendam Smalandiam alere poſſet.* Homo impudentiſſimæ audaciæ pro maleficiis beneficium repoſcit, ſed qui arma in manu ſua habebat; & ſiducià Cæſaris, Alberti ducis Megapolitani, Bernhardi Mylii, archiepiſcopi Iohannis Svvinefootii, Olai Beronis & Lubecenſium, opem ipſi contra Sueciam & Daniam, ut non ſemel ipſe palam jactarat, promittentium, arrogantior factus, quidvis petendi, ac ſi negaretur, ſuo ſibi arbitrio ſumendi facultatem eſſe credebat. In eandem ferè ſententiam ad ipſum regem ſcripſit. Rex ipſum ad ſe evocatum it ſpe tuti aditus, ſed ille tantorum facinorum conſcientia regi non fidens abeſt, & ſeditioſas actiones urget, colonos immunitatis præmio ſibi addictiores facit, cædibus & direptionibus incumbit. Rex comitiis Örebrogæ indictis, cum procerum conſenſu ex omnibus regni oris contrahit Vadſtenas militem, ut juſtis armis Dackio & factionis ſociis, ne nimis invaleſcant, obſiſtat, & duces ſuis expeditionibus & hoſtis conatibus percitos fidoſque homines explorandis intentos eſſe jubet, & inde ſua inſtituere conſilia, progreſſus & actiones. Dackius vero Moringiam auſtralem populando pervagatus Calmariam tendit, & duobus caſtris ad Haſnoum & Kleckebergũ eam obſidet. Sed à Germundo Suenonis arcis præfecto cæſis amplius centum ſtrenuè repulſi Dackiani Stegeburgum aggrediuntur. Inde quoque fortiter à Suantone Sturio arcis præfecto rejecti, unius menſis inducias paciſci cæperunt. Eaſdem à Suan-

ton

tone obtinebant his conditionibus : *ut tormenta & equos sibi ablatos reciperet, & inprimis aquam recentem:* qua maximè arcibus & munimentis belli tempore opus est. Insertum etiam pactis, *ut dux eorum in gratiam & fidem regis Gustavi reciperetur.* Suanto Sturius in Tiustiam , Iohannes Turonis & Laurentius Siggonis conjunctis copiis in Kindiam & vicinas oras moventes, Dackii milites & socios partim in fidem ac deditionem accipiunt, partim internecione delent, Dackio etiam in utroque femore graviter vulnerato. Sic , uti consuerunt adversa plerumque vulgi animos & fidem commutare, plerique superstites dissipantur & fugæ se mandant , extremam cum Dackio fortunam non laturi; nisi quos illius falsus rumor de sævitia Sueonum victorum in quosvis, etiam inermem sexum, ad seditionem revocarat. Ipsum verò præcipuè animabant promissa & literæ Alberti Mechlaburgici, Cæsaris, Electoris & Magni episcopi Scarensis , postea interceptæ. Vnde cognitum, quod Cæsar Nicolao Perenotto Granvellano intimo suo consiliario in mandatis dederat, proficisci aut scribere in Suecia Comitis Palatini causa, & civibus persuadere: *uti sub fide religionis & privilegiorum confirmationis, Comitem palatinum pro rege suo acceptarent.* Inter Cesaris mandata etiã reperta ejusdem syngrapha, & præter alia hæc verba: *Et nos de gente Gothorũ sumus.* Literis Magni episcopi Scarensis inclusæ erant electoris ad Dackium , quibus ipsum hortatus ad institutum suum provehendum , confirmat de insignibus nobilitatis , honoribus & præmiis. Itaque resumens vires , cædibus & rapinis obvia depopulari pergit. Contra eum expedita nova agmina ducibus Axelio Erici , Iacobo Baggio , Germundo Suenonis , qui rebelles armis cæsos, vel supplicio affectos , vel deditione acceptos perdomuerunt. Tandem etiam ipse Dackius à Raphaele Petri ejusque sociis in Blekingiæ sylva Rödebyensi circumventus, quum vivus capi non posset, telo transfigitur & Calmariam abducitur : ubi in quatuor partes dissectus , rotis impositus est, capite ejus cuprea corona insigni. quidam captum & in crucem actum perhibent. Talis istius immanis perduellis fuit exitus ; qui sub velo mutatæ veteris religionis & concussæ libertatis in integrum restituendæ, omnem licentiam , vim & proterviam , latrocinia & incestas libidines , quarumcunque legum & pudoris habenas nihili

faciens, exercuerat, & à regis Gustavi hostibus ac invidis ad turbandum & penitus evertendum regni statum instigatus erat. Sed & socii ejus dignas conjuratione pœnas suo tempore persolverunt. Conradus à Phy, vel ut quidam vocant, Pyhy, aliàs vero nomine Peutingerus dictus, juris consultus qui Lipsiæ invitis parentibus, Iohannis Vnberdii filiam Catharinam uxorem ductam, & per Germaniam ac Belgium secum tractam, homo vagæ & desultoriæ libidinis, quasi impedimentum itineris aut sarcinam abjiceret, istic deseruerat, & in egestate ac miseria reliquerat. Hinc in Sueciam comite concubina profectus, regi Gustavo operam suam obfert ingentia de se professus. quod promtæ linguæ & versuti ingenii esset, magnis honoribus, etiam cancellarii dignitate ornatur. Sed malæ cupiditatis, utilitatis privatæ studio & avaritiâ muneris decus fœdans, in legationibus in Galliam pravè versatus, & officii mandatique terminos egressus, cum Principibus & magnatibus exteris, ab iisdem largitione & pollicitationibus captus, arcana consilia, inscio rege & collegis, agitavit. Ottonem Ducem Brunsvicensem spe summi militaris officii in Sueciam illexerat. Qui cum se offerret, si quo usus operæ esset, rex ea se non adeò indigere ostendebat. Et tamen, ne virum principem ignominiosè rejiceret, cum annuo cum salario dimisit. In Dania, Gallia & alibi magnam pecuniæ vim octoginta quinque millia, sexcenta & sexaginta sex numorum uncialium, intra quinquennium inconsulto Gustavo mutuò sumserat & interverterat. Vnde carceri inclusus, imminutæ existimationis pœnâ expilationes & fraudes suas luere cogebatur. Rex Gustavus ulcisci Ducis Alberti insidias in hoc regnum non semel tentatas subita incursione
1544. in ejus Ducatum cogitabat, nisi hyems interveniisset. Ineunte anno Arhosiæ comitiis habitis rex ipse apud ordines regni concionem habet: Præmissis solennibus, *illis recognoscendum dat, quomodo arduum illud imperii ex solo amore patriæ susceptionem hactenus sustinuerit, regnum quod valde quassatum, servitute ferme oppressum & viribus exhaustum acceperat, nunc quietum, liberum, opibus firmatum, & contra vim externam internamque munitum reddiderit, atque in otio & pace per viginti quatuor annos tutatus sit. Nec solum civilem regni statum bene fundarit, sed etiam, ut decet fidum magistratum, animarum & salutis æternæ subditorum curam egerit.*

gerit, sublatisque erroribus, abusibus & superstitione, de sana & Christiana doctrina & bonis verbi divini ministris animarumque custodibus illis prospexerit. Quamvis eo nomine apud quosdam non magnam gratiam inierit; quum tamen non pro se & suo arbitrio, sed in publicis conventibus cum bonorum virorum utriusque ordinis sacri & civilis consilio, religionis emendationem instituerit. Se mirari, quid adeò superstitiosos ecclesiæ ritus abolitos & pontificios episcopos terum desiderent, ejusque rei causa turbas dent: quum satis constet, eos plus detrimenti, quam commodi regno attulisse, & in causa fuisse, ut nonnulli veterum regum & regni administratorum tam indigne regno & ditionibus expellerentur, nonnulli bello & tumultu tam acerbè conflictarentur. Quid usuvenerit ætate Caroli Canuti, notum esse; quum Iohannes præsul eum absque omni honesta ratione regno exterminaret: quid incommodi præstiterit senex antistes Iacobus bono principi Stenoni Sturio seniori; & nuper archiepiscopus Gustavus bono principi Stenoni Sturio juniori; quid jam agitet præsul Scarensis Magnus in hujus regni perniciem, in recenti memoria versari. Non ergo esse, quod adeò votis expetant tales animarum & salutis prædones potius quam præsules ac custodes. Quod verò illos pro suo lubitu grassari non permiserit, nolle se perperam fecisse videri. Ut paucis omnia complectatur, se egregio publico semper pro viribus adfuisse; de quo ad cujusque viri boni conscientiam & testimonia provocare velit. Sed quid præmii reportarit à quibusdam, in propatulo esse. Quin quo plus beneficii illis præstiterit, eo minus gratiæ retulerit. Ut, nisi Dei & conscientiæ suæ fiducia, similibusque bonorum principum exemplis se erigeret, jam dudum ob tantam ingratitudinem se abdicasset regno. Iam verò convocasse ordines, ut certior fiat de causis motæ nuper seditionis. Si quarumcunque offensionum se insimulare easque probare possint, se paratum emendare. Quod etiam per literas significarit Smalandensibus ad comitia Ostrogothica evocatis; sed illos adventum ejus præstolari noluisse. Se sibi persuadere non potuisse, subditos, rege tam benigno, imperio tam justo, ferrum & arma in ipsa patriæ viscera defixuros: quum vi nihil opus fuerit, ubi jure agitur. Quin irreparabilem jacturam vitæ, facultatum, sanguinis hac fœda seditione patriæ illatam esse. Regni fructus & opes per multos annos publico bono & adversus externum regni hostem tam impensè collectas, nunc adversus proprios subditos consumtas esse. Præterquam quod hosti motibus istis intestinis ad pravas molitiones contra regnum janua sit aperta. Se quidem &

propriis & fœderatorum viribus satis parem fuisse ad insolentiam justis armis tam severè vindicandam, ut liberis posteriisque eorum terroris & cautionis exemplum in reliquum tempus ederetur. Sed ex singulari gratia & commiseratione erga ipsos & amore ac studio erga patriam, suique officii memorem, quum sciat se regem servandis subditis non perdendis datum esse, se promeritæ pœnæ temperasse, ut adhuc spatium regressus ad sanam mentem ac meliorem statum, & juratam sibi fidem instaurandi facultatem haberent. Si verò domi à subditis nihil nisi malevolentiam & turbas exspectare, & tamen hostiles insidias foris imminentes propellere debeat (quod non possit, nisi rebus domi pacatis & tutis) alia sibi consilia necessariò capienda esse. Nec enim Christierni tyranni cognatos & amicos, aliosque hostes, ut quidam opinentur, altum stertere, sed in regni excidium, ni Deus prohibeat, satis vigilare. Proin se scire velle, qua ratione, quibus & quot copiis & auxiliis regnum adversus infectos patriæ hostes tueri destinarint. Et ut resiliuam factiosorum turbam seriò reprimant, eorumque authores justo supplicio subdant, cæteros in fide contineant, juncti animis & viribus adversus omnem vim & metum opus fore. Quod si sponte animi ex usu publico fecerint, se nullos imperii labores detrectaturum, eamque viam instituturum, ut ipsi, eorum familiæ & posteri regium amorem & animi propensionem jam verbis declaratam, ipsa re experiantur. In iisdem comitiis Athosiensibus Sueciæ regnum, quod suffragiis & electione antea deferebatur, hæreditarium factum, & ancipiti, incertæ & sæpe pravis aliorum cupiditatibus ac turbis opportunæ eligendi rationi tollendæ, & maximè insignibus ac fermè incomparabilibus Gustavi I regis erga regnum ac patriam meritis remunerandis, ad familiam regis Gustavi ac mares ejus hæredes ac posteros solenni lege & pacto, quod *unionem hæreditariam* vocant, alligatum & adstrictum est. Ista successionis lex postea, ut hoc ex occasione addatur, anno MDCIV. Norcopiæ, & anno MDCXI. Nycopiæ unanimi ordinum regni consensione repetita & ad ipsius temporis ac reipub. usum accommodata est. Sed deinceps à morte GVSTAVI MAGNI deficientibus maribus hæredibus, & superstite unica filia regis Gustavi Magni CHRISTINA Principe, annis MDCXXVII. MDCXXXIII. MDCXLIV. eadem lex successionis renovata, & ad CHRISTINAM Reginam transscripta est. In ejusdem coronatione

tione, quæ solenniter celebrata est anno MDCL. & comitiis successio regni à morte Reginæ, cujus vitam Deus diuturnam esse velit, CAROLO GVSTAVO Principi, Comiti Palatino &c. ejusque filiis legitimis, & posteris maribus ac hæredibus descendentis, ut vocant, lineæ communi ordinum regni assensu & suffragiis designata, jurata & confirmata est. Quum regis Gustavi primogenitus filius dux Ericus idibus Ianuarii rex Sueciæ diceretur, undecim annorum erat. Eadem hora conspiciebatur illustris arcus cælestis. Non uno discrimine & minis tempestatum tunc impendentium adversus Sueciam ab Comite palatino & aliis Christierni hæredibus, & à nostris vicinis Alberto Duce Megapolitano, Russis & pluribus aliis, discussa & decreta sunt, indictis comitiis Arhosiensibus, sequentia capita: *Vt ordo equestris & nobilitas per indicem libellum regem certorem faciant, quot milites & equos pro modo facultatum & possessionum soli expedire possint, si quid adversi accidat regno. Vt arces prudentibus præfectis sub obligatione fidei, & veterano, fido ac perito milite, qui ante in præsidiis fuerit, instruantur. Si regnum ab hoste ex mari Balthico petatur, universi regni milites Arhosiæ, si ex mari occidentali, Scaræ, si in Smalandiâ, Vadstenis conveniant; quæ vallo, fossa & aggere adversus subitam hostis incursionem cingantur. Milites in numerum referendos, ut de supplemento in tempore cogitetur. Civitates in proximis nundinis Diensibus regi significent, quanta manu ipsi regnoque opitulari velint. Præfecti provinciarum ad primas regis literas, una cum magistris equitum & tribunis militum cogant exercitum. Si ab hoste nimis potente strages nostris inferatur, ut nova subsidia & vires in promtu sint, ex Smalandia quintus, ex aliis provinciis septimus quisque delecti in procinctu sint, sed extrema necessitate viritim agmina scribantur. Holmiæ octingentorum militum præsidium imponatur. Arx Holmensis & Gripsholmēsis tormentis, annona, milite aliisque necessariis ita muniantur & instruantur, ut obsidioni tolerandæ, si ingruat, sufficere possint. Ædes ligneæ urbis Holmiæ destruantur, triremes validæ exstruantur, arcendis hostibus & excursionibus inter Stocholmiam & Gripsholmiam idoneæ. Vt nemo Holmensium in civium numero sit, nisi unius anni annona instructus. Vt Bothnienses & Finlandi primo vere commeatum*

Holmiam advehant, oris littorum & portubus Finlandiæ & Stockholmiæ adversus subitas impressiones. & pro tuto itinere vel transitu nostratium bene munitis & custoditis. Vt viæ militares & regiæ purgentur. Vt duo vel plures, si necesse sit, ex senatu quot mensibus regi præsto sint, ne solus indies nimiis negotiis oneretur. Hoc anno a. d. V. Martii leges aulicæ à Gustavo auctæ & publicatæ sunt. Reliquiæ factionum & seditiosorum Dackii militum passim in sylvis latitantium aut vagantium exstirpantur. Georgius Lyckius ex Dania legatus, *sui regis nomine pecuniam Conrado Peutingero & Christophoro Andreæ creditam, tormenta Christiani Stenoni Erici utenda data & dein oppignerata, & æs alienum Gustavi militum mercenariorum, quum per Daniam huc in Sueciam iviſſent, contractum repetebat.* Sed Gustavus *ad nummos dictis personis creditos solvendum se obligari* negabat: *quum partim injussu ejus mutuo sumti, partim in rem ejus conversi non essent; aut si versi essent, sibi non liquere; quod se prius exploraturum, & inde Christiano satisfacturum. Tormenta dicta usu à Christiano accepta & oppignerata inficias ibat Steno Erici. Militibus mercenariis, antequam pedem extra regnum posuissent, satisfactum esse, ut eorum apochæ testarentur. Hoc si monitus fuisset ante eorum abitum, maluisse Danorum bono creditum de summa deducere, quam illis solvere. Sed jam ferum esse. Reliquam victus impensam non oportere Christianum tam rigidè exigere, quum ad ejus usum pars istorum militum sustentata esset.* Rex Gustavus à Christiano rege Daniæ comprehensus est fœdere pacis, interpositione quorundam regum & principum cum Carolo V. Christierni nomine factæ, sed hactenus, ut intra semestre ratum haberet. Quod tempus fermè contractius Gustavo accidebat, non absque suspicione festinationis à Christiano injectæ, ut hac occasione solutus & seiunctarum hîc partium esset à Gustavo. Sed ille jam ab aliis hoc resciverat. Hac æstate cælum valde pluvium erat, & ager inde tam madidus, ut periculum calamitatis frugibus adhuc in solo exstantibus esset. Ideo Gustavus ad deprecandum à Deo meritas delictorum pœnas, hoc anno, octo dierum & deinceps quot annis quatridui supplicationes publicas, pio & salutari instituto, indixit; seriò hortatus populum ad fugiendum verbi divini contemtum, luxum, crapulam, juramentorum abusum & levitatem, homicidia,

micidia, ſtupra, adulteria aliaque delicta, plagarum publicarum cauſas: earum verò remedium optimum ratus, ſerias ad Deum preces, & ad meliorem mentem receptum. Ex Muſcovia legatis expoſtulantibus de vi & moleſtia ſubditorum Sueciæ in limite Ruſſiæ habitantium, Rex regeſſit, longè majorem inſolentiam, prædationes & incendia exerceri in Suecos à Ruthenis. Et quum iſtæc emendari utrinque per arbitros & ex æquo ac bono vel per ſententiam dirimi in finibus proxima æſtate vellet, Rutheni hoc cum indignatione & minis accipientes, infecta re abierunt. Albertus Dux Megapolitanus quærens aliquo malo afficere Suecos, huc miſit profugos ex Suecia Olaum in Grelleſtadio, Matthiam Caroli & Carolum Biurium. Hi Stralſundia excurrentes in Blekingiam, iſtic nacti literas fidei publicæ à VVernero Paſſebergio præfecto Blekingiæ, & in fines Sueciæ evagati, trucidant præfectum regium Cronebergæ, Georgium Ioannis, quum ad judicium Kongehæredenſe proficiſceretur; & mox receptum in Blekingiam petunt. Rex accuſari reos in judicio Rotnebyenſi, quod eſt Blekingiæ, curavit, ſed intendentes crimen ſævis dictis à ruſticis repulſi ſunt. Poſt tamen Trotto Makius unus latronum captus & capitis ſupplicio ad VVexioniam ſubjectus, de Alberti Ducis Megapolitani tentata incurſione in Smalandiam exhibitis ejus literis, profeſſus eſt. Die S. Viti naſcitur in arce Holmenſi Regis Guſtavi filia Anna, poſtea comitis Palatini Georgii Iohannis uxor. Rex author civibus non ſolum mare Balthicum, ut hactenus, ſed etiam mare occidentale navigandi: quia civitates ad mare Balthicum ſitæ nimium hic quæſtum exercerent; cujus æquas partes ipſi ad ſe derivare poſſent. Cives navibus onerariis exſtructis, Regis conſilium cum non exiguo ſuo compendio ſequebantur. Regni monetæ evectio ſub pœna capitis vetita eſt, ob nummariam difficultatem & alias cauſas ante ſuo loco memoratas. Quum per occultos Guſtavi inimicos & invidos atque per extorres quosdam Suecos libelli in Regem maledici in Germaniâ & alibi paſſim ſparſi eſſent, Rex ad ſuam exiſtimationem & regium nomen à calumnis vindicandum, in lucem edidit prolixiorem apologiam. Ad primum calumniantium caput, *quod Regnum Sueciæ injuſto titulo poſſideret, quum abſque legitima vocatione ſeipſum*

seipsum regiæ dignitati ingessisset, respondit ex historia Christierni II. Daniæ Regis, qui regnum Sueciæ vi & armis subjugum servitutis redigere tentarit: quod cum non posset, leoninæ pellis vulpinam adsuisse, & in proceres ipsumque Regis Gustavi patrem ac familiam, ac in regni subditos promissis & fidei simulatione circumventos immanissimam sævitiam, variis innocentium supplicio, duro carcere, cædibus, rapinis, violentis fœminarum stupris & aliis atrocitatis exemplis exercuisse. Vnde subditi non ut adversus Principem suum, sed ut communem patriæ pestem & hostem publicum, qui totius regni excidium quæreret, arma justa ipso Gustavo duce sumserint. Tyranno autem regni finibus expulso, & libertate patriæ restituta, sibi tanquam libertatis per Dei opem vindici & patrono omnes regni ordines ex divina providentia, per legitimam electionem liberaque suffragia, quamvis non semel reniten. regnum & imperium detulisse. Ad alterum caput, Quod in Christianam religionem inusitatas & Christianæ fidei contrarias mutationes invexerit, ita se explicat: se errores quosdam in religione, rituum abusus & superstitiones ex verbo Dei per orthodoxos Theologos satis refutatas, justa moderatione tolli, & earum vicem talem religionis emendatæ & ceremoniarum formam introduci curasse, quæ verbi divini normæ & puritati fidei esset congrua: quo nomine etiam ad generalis concilii censuram ulteriùs provocare velit. Episcopis quo regiis opibus & ambitione faces tot motuum intestinorum fuissent, nervos eorum, fortunas æquo ampliores animosq; minimè Apostolicos aliquantum depressisse, eosque justis & honestis stipendiis assignatis, ad ecclesiastica munia fidelius obeunda remisisse. Vnde quidam ultrò se abdicantes officio & spontaneum eligentes exilium, in exteris locis per sibi deditos domi clientes & factiosos homines non desierunt turbare patriam. Ad tertium caput, Quasi clandestinas societates cum quibusdam Regibus & Principibus in aliorum Principum & Imperii Romani perniciem inivisset, quo sibi Imperatoris & Germanicæ nationis odium & sinistras suspiciones pepererit; respondet: se quidem cum vicinis & aliis Regibus & Principibus fœdera fecisse, non tamen in fraudem ullius, sed justæ defensionis adversus injustam exterorum hostium vim, pacis & quietis publicæ conservandæ, amicæ consuetudinis & commerciorum causa, salvis aliorum Principum & Rerumpub. eminentia ac libertate: quod publicis documentis probare possit. Talia autem fœdera jure naturæ & gentium semper licita fuisse. Ad quartum caput, Quod pecuniarum submis-

tatione, inquieto ingenio, & occultis suggestionibus exterorum Principum & Rerumpub. pacem & quietem turbarit, motusq; inter Christianos excitarit, reponit: Se Deum testem vocare posse, quod in sua regia functione, quæ ad Dei gloriam, nec solum ad patriæ sed etiam quantum in ipso esset, ad aliarum Christianarum Rerumpub. salutem, pacem & concordiam facerent, sectatum esse. Nec immiscuisse se rebus alienis, quum satis ipsi negotii in suis esset. Se verò opes, non superfluas quidem, quæ tamen honestè partæ nec sibi pudori, nec aliis graves, & aulæ statui necessariæ essent, clam vel palam ad permiscendas aliorum Respublicas, impendisse, neminem amicorum aut inimicorum unquam probaturum. Ad reliqua capita: Quod erga confœderatos, bene meritos, vicinos, & ministros suos præsertim exteræ nationis, haud ita ut deceat, se gesserit, ita regerit: quod ipsi exprobretur se fœderum leges migrare, hoc nihil aliud calumniam struere, quam ut omnes Christiani Principes & Respub. ipsi adversæ reddantur, nec apud quemquam in posterum aliquid honestæ opinionis aut fidei habeant. Ceterum in hoc se appellare non modo suam sed & sociorum conscientiam, qua fide & integritate in fœderibus & pactis versatus sit. Beneficiorum merita, quantacunque etiam jactentur, pari vice, si non majori compensasse. Erga vicinos se ut fidum amicum & confinem præbuisse. Nec meminisse se unquam difficiliorem fuisse, nisi quid ab eo postularent quod contra communia jura & omnem æquitatem pugnaret, aut cum publicæ utilitatis ac libertatis damno conjunctum esset. Ministros suos etiam exteræ gentis, si fidi essent & publico magis quam sibi ipsis studerent, ita ornasse, ut potius causam ipsi grates agendi quam expostulandi haberent. Si infidi non parem gratiam meruerint, de seipsis non alio querantur: uti nuper Conradus Peutingerus Cancellarius, qui per peculatum & sordes indignum se Regis favore fecerit. Vltimò rogat Imperatorem, Principes, Resp. aliosque, quum omnibus placere in nullius potestate sit, calumniis de se & mendaciis non temere credere, nec existimationis regiæ obtrectationi faciles aures præbere, priusquã adversus eam se justè defenderit. Et quemadmodum ipse non tulerit quemcunq; extraneum cujuscunq; loci & ordinis à suorum quoquã infami sermone differri; ita suam innocentiam & honestam famã apud extraneos & suos laborare ne permittant. Hoc se omni amicitiæ, vicinitatis & favoris officio remuneraturum. In comitiis Arbogensibus super alia regni negotia, 1546.
consultatum est de regni hostiũ & exulum proditorum apud Danos, Lubecenses, Palatinos, Mechelburgenses receptu, in

Regis

Regis & regni invidiam contra fœderis leges facto inhibendo: de Caroli Holgeri itidem liberatione, qui à Rege Gustavo cum literis & mandatis ad Romanum Imperatorem missus, VVormatiæ, ubi tunc Cæsar morabatur, medio luce per quosdam Germanos, qui Regis Gustavi olim ministri fuerant, proditur & calumniosè defertur atq; à Nicolao Hastedio captus abducitur, interceptis omnibus regiis literis. Iste Hastedius præterita æstate singulari beneficio à Rege affectus, dum pro eo solverat ter mille nummos unciales, malum regi pro bono rependit; ex pessimo hominum genere, quos demerendo non devincias, sed irites. Sanè beneficia in ingratos, improbos ac perfidos collata, non solum, ut semen in sterilem terram jactum, pereunt, sed etiam insolentiæ odii noxæque materia sunt: ut verè benefacta male locata, malefacta, non authoris sed accipientis culpâ, dicas. Actum insuper de Christophoro Andreæ regni olim Senatore & Cancellario nunc exule, & quid de eo faciendum esset. Discebatur ad annum millesimum quingentesimum quadragesimum secundum, qua ratione legatus in Daniam missus, emanserit. Istius emansionis causam vi & injuriæ sibi tanquam à Gustavo illatæ adscribebat, eoque non leviter in suis ad Regem Daniæ literis illum tetigerat. Nunc autem in his comitiis senatus regni & nobiles permoverunt Regem, ut ipsum sub literis tuti reditus in regnum revocaret. Quod & fecit, easque literas per fratrē ejus Ericum VVitebergam, ubi tunc erat, transmisit, adjunctis insuper Senatus literis, quibus eum ad reditum in patriam hortabantur & de integra juris via adversus quoscunq; certum faciebant. Quod si recusaret, offensam publicam & legis rigorem experturum. Sed velut surdo omnia dicta: donec biennio post Lubecæ decederet: ubi in primaria æde quam Dominicanam vocant, conditur, tumulo sic inscripto: *Anno Domini MDXLVIII. die XXV. Martii obiit nobilis ac strenuus Vir* D. CHRISTOPHORVS ANDREÆ *VVestgothus, artium liberalium Magister, Eques auratus, regni Sueciæ Senator.* In iisdem comitiis agitatum est de Regis Gustavi liberis ex dignitate alendis. Consultum insuper de remediis arctioris annonæ jam per quadriennium ingravescentis; & post maturam deliberationem leges annonariæ Vpsaliæ & Gripsholmiæ editæ sunt: quæ non solum

solum præsenti malo mederentur, sed etiam pari futuri temporis timori occurrerent. Lubecensibus sedulò privilegiorum restitutionem flagitantibus indulta est immunitas à vectigalibus in quatuor emporiis Holmia, Aboa, Calmaria & Sudercopia; quod si placeat, ante diem S. Michaelis ratum habeant, si minus, induciæ ad decennium prorogentur. Christiernus interpositione Imperatoris Caroli V. & aliorum principum dimittitur ex arce Sunderborgensi, hac lege ut renunciato omni jure in Sueciæ & Daniæ regnum, præteritorum oblivione sancita, in arce Koldingensi regio cultu & victu à Christiano rege Daniæ haberetur, & ex regno Sueciæ Friderico Palatino Electori & Carolo Duci Lotharingiæ dos, quam socrui suę deberi contendebant, tribueretur: quod quum Christianus Gustavo per legatum Claudium Vrnium significasset, Rex hoc remisit ad comitia Strengnensia. Vbi decretum est à R. ordinibus nullam dicere vel dare dotem Christierni filiabus, quum ipsi tantam vim & immanitatem à tyranno passi & optima post pietatem regni dote, libertate fermè in totum, nisi avertisset Deus, exuti fuissent. Si verò postulata à Christierni generis & hæredibus armis fortè quærantur, armis paratos esse se tutari. Recitatur in iisdem comitiis Ordinibus R. Gustavi Testamentum, & quas provincias ac ditiones jure fiduciario filiis ad se exhibendum destinasset. Quod ab omnibus æqua mente acceptum ingentique adsensu approbatum est. Hoc anno nata est Regis filia Sophia, nuptui data Magno Duci Saxoniæ. Rumor ex Dania & Germania de variis molitionibus adversus Gustavum eò paratiorem eum fecit ad vindicandum, si ipsum aggrederentur. quo comperto, quieverunt. Rex Christianus hoc anno cæpit uti trium Coronarum insigni, quod Sueciæ regni vetus ac proprium est. Nec ipse antehac, nec ejus parens Fridericus usurparat. Sed, quam Annales Sueciæ causam perhibent, regno Sueciæ nuper hæreditario facto, & spe huic inhiandi sibi & successoribus præclusa, ut tamen colorem quendam juris in illud retineret, & ex occasione disceptare & resuscitare posset, quod hactenus sopitum fuerat, ex quorundam amicorum instinctu illud suum quoque facere voluerit, obtentu unionis trium regnorum à Margareta cæptæ, & quasi regni Daniæ hæreditarii tituli. Quum tamen satis constet, dudum ante

1547.

1548.

istam

istam unionem Reges Sueciæ eo ut regni genuino insigni usos fuisse. Ea causa quum Rex Gustavus cum Christiano non semel & graviter expostularet, tamen operam lusit; donec res in apertum bellum, præter alias etiam ob hanc causam, inter Ericum Regem Sueciæ & Fridericum Regem Daniæ
1549. matureseceret ac erumperet. Monetæ Suetieæ digna & vera æstimatio contra exteros contemtim habentes & exinde pretium mercium augentes, sub gravi mulcta regio edicto asserta est. Liber Interim inscriptus & Caroli V. auspicio in Germaniâ editus atque huic quoque regno obtrusus, ex censura sacri ordinis rejectus est; de quo plura in Historia Ecclesiastica. Elisabetha regia filia Gustavo nata, Christophoro Duci Megapolitano postea nubit. Arcis Upsalensis fundamenta à Gustavo jaciuntur in colle, quo nunc sita est.
1550. Edvardus VI. Rex Angliæ per legatos suos Ioachimum Gundelfingerum & Thomam Camertanum *commerciorum fœdus cum Rege Gustavo* petit & *peculiaria quædam privilegia & libertatem tam in continentibus & superioribus, ut à situ vocant, quam maritimis urbibus negociandi.* Rex Gustavus *fœdus illud sibi quidem placere* respondit, *sed quum non absque magnis impensis merces terrâ in superiores urbes transvehi possint, ideo peregrinis mercatoribus parum è re futura, etiamsi hujusmodi privilegiis fruantur. Præterea Suecos cives istis domi immunitatibus & scriptis statutis frui: ut nulli extrancorum mercatorum alibi quam in maritimis urbibus negociari liceat, quibus Rex nec possit nec velit eos privare.* Ad fœdus utrique commodum feriendum Andreas Olai IC. & Iohannes Laurentii in Angliam missi sunt cum hac regia admonitione: *Ut discordiam ex æmulatione prudentiæ inter nostrates nasci facilem fugerent: tâ enim res præclaras & negotia publica eos vel turbare vel demorari.* Sed istud negotium mox in irritum cecidit exstincto Edvardo, ut suspicio erat, veneno aut alia violenta morte & valde quassato regni Anglici statu. Mox alii legati Georgius Normannus R. Senator, & Olaus Laurentii Secretarius Elfsburgo Bruxellas ad Carolum V. Imperatorem à Gustavo de pace & libero commerciorum Germaniæ usu missi, proximo autumno rebus feliciter confectis redierunt. Quum Lubecenses urgerent privilegium retrahendi ad se & urbes ad mare Balthicum suas Suconum merces ac navigationem, non verò in regna & urbes

urbes ad mare occidentale sitas, inter cives & mercatores Sueciæ hoc indignè ferentes in nundinis Strengnensibus convenit, navigando non adire Lubecam & reliquas maris Balthici civitates, sed, quum Gustavus cum exoticis regnis pacem & fœdus commerciorum in verit, navigationem & negociationem cum majori commodo divertere in Hispaniam, Galliam, Angliam, Belgium & alias remotiores terras: quod cum aliis de Evangelica religione & perpetua fide Regi servanda pactis à Rege Gustavo confirmari petierunt & impetrarunt. Ita mercibus in dictis oris à prima manu emtis, quas Lubecæ & in vicinis urbibus à tertia vel quarta manu mercati necesse habuerant, non exiguam rem & quæstum fecere Sueci. Quod Lubecenses quotquot tunc Holmiæ erant, ægris animis accipientes, insidias in urbem, arcem, & navalia parabant: quæ tamen accuratis excubiis, industria & curâ prohibitæ sunt. Sed & Ducis Megapolitani Georgii Alberti F. Marchionis Brandeburgensis, Alberti & Palatinorum incursiones in Sueciam, interdicto eis à R. Christiano transitu per Daniam, & Gustavi R. cura & apparatu militari cessarunt. Regis Gustavi minimus filius Carolus Holmiæ feliciter in lucem editus est. Quum Carolus V. cæpisset victor esse Electoris Saxoniæ & Landgravii Hassiæ, Rex Gustavus tempori serviens, æquè ac R. Daniæ, suos ad Cæsarem legatos Magnum Iohannis, Georgium Normannum & Andream Olai Augustam Vindelicorum misit de novo cum Palatina & Loharingica domo pacto per eum faciendo, de commerciorũ in Belgio fœdere feriundo, & nupera pace rata habenda. Pax quidem à Cæsare rata habita est, sed novum illud pactum negabat Carolus absque consensu domus Palatinæ & Lotharingicæ, quarum inprimis interesset, secum seorsim iniri posse. Fœderis commerciorum in Belgio tractationem remisit ad Mariam sororem, Belgii tunc gubernatricem. Lubecenses circa idem tempus querulum & supplicem libellum Augustæ tradebant Carolo Imperatori per syndicum suum Iohannem Rudelium IC. *in quo expostulabant cum Rege Gustavo de denegato sibi commerciorum in Suecia & privilegiorum usu: quæ tamen à majoribus Gustavi & ipso, facultatibus suis, sanguine & sudore sibi peperissent: petentes ut Imperator illos tueri, & ad conservanda dicta privilegia opem ferre velit.* Hac re

a. d. IV. Cluv. 1551.

licet parum profecerint, tamen quo animo erga Gustavum & Suecos essent, declarabant. Legati Regis Gustavi contra scripto codicillo docuerunt: *Lubecenses non jure repetitum ire privilegia, quæ dudum sua culpa amisissent; & facere contra inducias Calmarienses decennales, & amicum in iis pactum.* Annonæ gravitate regnum premente, cujus princeps causa præter siccitatem agri videbatur luxus & ingluvies; Rex publico edicto imperavit frugalitatem & temperantiam, oppositis vitiis remedia. Margareta Regina Sueciæ mortem obiit. Sol eodem die, quo decesserat, lumine defecit, quasi in consensum doloris. Birkarenses & alii incolæ Bothniæ Borealis, qui ex piscatura in mari occidentali vitam tuebantur & simul mercaturam faciebant, conquerebantur Gustavo, de interdicta sibi à præfectis Norvegiæ libera piscandi in occidentali oceano, & cum Norvegis vel Suecis, Lapponibus & Finnonibus maritimis negotiandi facultate; quod tamen ipsis jus ex inveterata majorum consuetudine liberè usurpatum dudum fuisset. Rex causa cognita, patentibus literis eis dedit liberum piscandi jus, absq; ullius interpellatione & impedimento sub gravi pœna vetito, in oceano occidentali inposterum, ut ante, exercendum; ita tamen ut Suecis, Finnonibus maritimis & Lapponibus in lacu, diverticulo aut fundo maris eorum prædiis adsito nullam remoram aut præjudicium faceret, sed in aperto mari, ut alii, piscarentur. Vt itidem cum Norvegis & aliis liberè & honestè commercarentur, aut etiã pisces suos in Sueciam pro æquo pretio distrahendos adveherent. Finnones autem ad mare colentes & Lappones regiis literis adversus vicinorum Russorum aliorumve vim & omne illegitimum tributum, præter ordinarium Regi debitum, protexit. Gu-
1552. stavus tertias nuptias cum illustri virgine Catharina Gustavi Olai de Torpa, Equitis aurati & gubernatoris VVestrogothiæ filia, reginæ Margaretæ sobrina, vel defunctæ uxoris sororis suæ filia facere instituit. Sed antequam dicta virgo solenniter ipsi conjungeretur, scrupulo conscientiæ injecto, sententia præsulum & episcoporum tunc Vadstenis congregatorum à Rege exquisita est, num hujusmodi matrimonium, ut licitum, ex jure divino probari posset. Quum antistites hac super re non parum perplexi dubiique essent, quid responderent; tandem post maturam negotii discussionem

nem, adspectu præcipuè civili, mentem suam ita exposuerunt: *Hoc matrimonii genus in S. Scriptura conceptis verbis vetitum non esse. Sed ut Rex propitio Deo, & tranquilla conscientiâ in Christiano conjugio degeret, nec è re foret, eo tempore apud exteros dispicere posse jam, nec aliam legendi quæ placeret Gustavo facultas esset, permissum videri hoc matrimonium, nec offensionem inde facile metuendam. Accedere, quod ea quoque ratione regiorum hæredum & universi regni bono, quieti, dignitati, internæ conjunctioni, paci & concordiæ consuli posset. Ex quibus causis ante à Pontifice & Evangelicis, Christianis Cæsaribus, Regibus & Principibus concessum fuerit, etiam in propinquiori cognationis vel affinitatis gradu, si utilitate publica adversus subditos pensari posset. Quum ergo ex tali necessitate & respectu aliis sublimibus personis usurpatum, nec tamen inde commune scandali exemplum præbitum sit; & Gustavus ex patriæ & regni salute sacrum Dei verbum & Euangelium tam fideliter & graviter promorit & tuitus sit; post Regios Filios & Principes, etiam Præsules, una cum R. Senatu, Equestri ordine & Nobilitate unanimiter decernere, ut Regi in nomine S. S. Trinitatis quieta cum conscientia dictum matrimonium ingredi liceat. Illud sese contra aliorum quorumcunque dissensum aut impugnationem pro virili verbis & factis defensuros esse.* Gravi incendio ex tabernis & ædificiis ligneis Holmiæ exorto, in posterum ligneas ædes Holmiæ exstruere prohibitum est. Exercitus lustratio & census ordinis equestris per universum Sueciæ regnum instituitur. Sinus VVedoensis 1553.
perfossus, purgatus & septus est, ut inde facilior & tutior transitus, quam ante, per mare Stocholmiam versus pateret. Quum Lubecenses minacibus literis immunitatum, & damni mercium in Lubecensi bello hîc amissarum restitutionem atque residui debiti pro ope Gustavo contra Christiernum præstita solutionem exposcerent, Rex ad eos misso Olao Laurentii secretario, se nihil eis ultra debere simpliciter & absque ambagibus respondit; si Lubecenses quid hostile tentarent, ad arma & defensionem paratum esse. Laurentius Siggonis R. Marschus, ut vocant, vel supremus militiæ præfectus vir domi bellique clarus obiit. Ferri evectio hoc anno prohibita est, quod vilioris æstimationis apud exteros esset Pretium ejus insuper auctum, ne velut abjecta aut improba merx exteneis ultra puteret. Conventus Elfsburgensis inter Suecos

& Danos habetur, de regni finibus, de difficultatibus inter duo regna à tempore pactorum Brömsebroensium interventibus, earumque remediis aliisq; negotiis. Succi *contra legem fœderis à Danis factum contendebant in receptu, subsidio, dilectione prædæ, & tuto commeatu pessimo perduelli Dackio in Blekingiâ concessis, aliisque injuriis: de quibus quum jure agi in foro Blekingensi & sententias exsecutioni dari postulassent, vel jus non dictum, vel sententiarum exsecutionem à corruptis judicibus suspensam aut intermissam fuisse. Item manipulos aliquot rusticorum ex Blekingia effusos in Sueciam, & limitem regni transgressos in silva hujus regni cæcidisse arbores, venatos ac in vicinis lacubus piscatos esse. Cædes, rapinas in oris Sueciæ & finibus proximis non semel exercitas, & quidem permissu aut indulgentia præfecti Blekingiæ VVerneri Pasbergii. Parem vim & insolentiam ex Hallandiâ, ex territorio Bahusiensi nostratibus illatam, & in sylvis propinquis cæsum aliquoties, aut in mari occidentali & ad Gothlandiam piscationem à Norvegis & Danis prohibitam fuisse i Lagmanne Truttonis Hallandiæ, Claudio Bildio Bahusiæ, Christierno Huitfeldio Norvegiæ aliisque præfectis conniventibus ac permittentibus. Præterea de furibus aliquot ex Norvegia profugis, & in Daniam contra fœdus receptis, de cive Gevalio Magno Olai à civibus VVardbergensibus atento, æris alieni Lubecensibus debiti nomine, qui tamen ad jus sed frustra provocarit. Item de navis Johannis Thuronis in Daniâ detentæ relaxatione aut satisfactione promissa nec præstita expostulatum, & emendatio ad omnia ex lege fœderis & jure amicitiæ desiderata est.* Danici autem oratores hic tergiversantes, culpam à regno Daniæ in privatas personas aut reos rejiciebant. Inde literis à rege Daniæ de gravi paratu bellico quorundam vicinorum hostium adversus Daniam acceptis, domum revocantur, ideoque proferre hæc negotia in aliud tempus & congressum quærunt. Sed Succis oratoribus ex adverso contestantibus, tandem convenit de congressu alio ad diem Philippi & Jacobi ex utriusque regis voluntate instituendo, ut interim res in suspenso & cujusque jus de finibus aliisque difficultatibus in integro esset, velut hactenus absque controversia ab utroque rege usurpatum sit. At Gustavus graviter in suis literis ad senatum regni Sueciæ Gripsholmiæ datis expostulabat *de pacto à suis Oratoribus cum Danis inito præsertim super articulo*

de finibus, *quem directè omni sano sensui repugnare* ajebat: *quia omnis injuria Suecis in finibus à modo dictis præfectis Danicis illata esset proximis annis & utriusque regis imperii tempore, nec antea. Proinde Suecos legatos ad hoc se literis & manu obligasse, ut Rex Gustavus nihil aliud ab illis exspectaret vel reciperet, nisi quod antea semper absque disceptatione possedissent. Iam autem in confesso esse, non opus fuisse literas & sigilla dari de rebus extra controversiam positis, sed litigiosis: in quo illi imprudenter erarint, pront ipsæ actiones & verba liquidò doceant. Danorum autem mentem esse, ut absque lite retinerent, quod præterito anno de regni Suetici finibus decerpsissent, & de aliâ insolentiâ exercitâ non conveniretur. Quum itidem Rex Gustavus non meminisset aliquid ab sua parte esse commissum adversus Danos, malè ipsum habebat, legatos Suecicos in fine negotii tam duram sibi legem dici passos esse, & quidem his verbis: Sed quæcunque admissa aut peccata ab alterutra parte, interim summa cum diligentia emendabuntur: ut omnis amicitia, concordia & bonæ vicinitatis officia inter regna & incolas eorum colantur & conserventur. Et quando de aliis quibusdam admissis aut difficultatibus ulterius erudimur, maxima cum industria insinuabimus eas R. Mti Sueciæ domino nostro clementissimo, nec dubitamus quin Rex, quoad fieri potest & fas est, sit eas sanaturus. Quia verò altera pars nimirum Dani talem obligationem non præstiterint, sed nudam solum dilationem, ut satis ex eorum literis pateat: non itaque necesse habuisse Suecos ita in antecessum se obligare ad id, cujus rei non essent. Unde satis esset colligere, Danos abundè suis commodis consulentes, ad amussim sua exegisse, nec remisisse vel minimum de suo jure.* Rex itaque excandescebat, legatos non cautius egisse, sed commodam occasionem, quæ semel, ut avis, è manibus dimissa, non facile redit, temerè neglexisse: quum tamen legatis Principis aut Reipub. incumbat, opportunitati seriò intentos esse. Inprimis ut negotia publica prudenter & scitè tractare sciant; & si quæ voce, manu aut scripto comprobanda sunt, sedulò prius recognoscant & singula verba ad rationis librain bene pensitent: ne callidè quid vel ambiguè ab adversa parte dictum aut consignatum approbent, quod postea pœnitendum, minus excusandum, aut Principe vel Repub. indignum aut publico damnosum sit; & absque imprudentiæ nota vel difficulter emendari, vel prorsus non queat.

Magni Ducis Moschovię præfectus Novogardiēsis Demetrius Fridericus Palescovius huc misit tabellarium Michitam Kurninum cum literis ad Regem Gustavum datis, in quibus accusabat Regis præfectum Bothniæ septentrionalis, quod excursione facta in territorium Murense usque ad castellum VVathovienſe, vi abripuisset Magno Duci Russiæ decem parasciarum censum, quasi suo Regi præstandum. Regem quoque destinasse direptionem cœnobii ad VVarhoviam arcem sitii. Dictus autem Michita in itinere, præsertim VViburgi, non aliter præ se tulerat, quam se missum à Magno Duce Muscoviæ de pacis negotio. Vnde subditi limitanei securiores reddiditi, nihil mali suspicabantur; sed quum iste Michita interiora regni ingressus esset, Demetrius præfectus Novogardius contra pacis fœdus absque ulla belli denunciatione in Finnoniam copias quasdam emittit, quæ non pauca in limitaregni loca diripuerunt, magna populatione facta. Proinde Sueci eos in Russiam repellere coacti, in ipsa velitatione reperiunt quasdam literas dicti Demetrii, quæ ferebant jussisse Magnum Ducem Muschoviæ nobiles prope limitem habitantes incursionem facere in Sueciam. Vnde Rex non aliunde quam Michitam magis explorandi quam alterius negotii causa huc missum, suspicatus, eum detineri jussit usque ad factam utrinque compositionem. Ad literas verò Demetrii Gustavus respondebat, *Se nunquam fando audivisse nomen aut situm Murensis territorii & VVathovienſis arcis, priusquam ex Demetrii literis didicisset. Quare vel inde satis constare, se non in animo habuisse ulla hujusmodi loca aut censum ibi diripere; nec sibi verisimile videri, tale quid patrasse præfectum suum Bothnienſem; aut si feciſſet, injussu suo feciſſe.* Rex autem ex veteri consuetudine jusserat exigi tributum usque ad Korelam, quod Birkarenses per aliquot annos suppresserant & inter se partiti erant. Kola autem alias VVathosua vocabatur; quod rex ignorabat. Russi præcipiti anno iterum impressionem faciunt in Finnoniam & populantur usque ad Rithamam, magna vi siliginis abrepta. Rithamam autem ad Magnum Moscoviæ Ducem pertinere ajebant, non ad Finlandiam; quod tamen non ita erat: quum literæ limitum testentur, omnia quæ cis has regiones à Systerbeckio usque ad lacum Aß sita sunt, ad Sueciæ non Russiæ ditionem per-

pertinere. Hæc Russorum impressio magnis motibus, & dein aperto bello inter Russos momentum fecit. Quod ut sopiretur, Russi novam limitum distinctionem secundum Ducis Georgii & R. Magni literas, de quibus ante suo loco dictum, utfere. Sed hanc finium designationem non fore è re Suecorum, satis erat divinare: quum Russi ejus beneficio partem Finlandiæ ad se transferre conarentur. Itaque responsum illis, *literas Georgii & Magni ignorari; nec animum esse Suecis innovandi fines, sed servandi præfinitum & jam ultra ducentos annos usurpatum limitem, qui est in Systerbeckio, & inde excurrens ad Oceanum occidentalem. Si verò Suecia non alia via posset retinere quietam ejus possessionem & usurpationem, adversus vim cum Deo defendere paratam esse.* Hic tumultus cum Russis R. Gustavo non parum ægrè erat; cujus tamen nullam ille culpam, sed ipsi Russi prima in Sueciæ fines impressione dederant, & quidam imprudentes Regis præfectores, inprimis Andreas Nicolai in Kiffuenebben, qui Rege inconsulto & invito populatione quadam vexarant fines Russorum, ulciscendæ vastationi eorum in Finlandiâ. Quod tamen magis ex avaritia ipsorum & propria utilitate, quam in rem Regis ac regni fiebat, ut postea dicetur. Magister ordinis Livoniæ Henricus à Galen per legatum suum instigabat Regem ad bellum contra Russos, spe armorum eidem à se inferendorum, & auxilii Gustavo præstandi. Sed ubi ad rem ventum est, mutavit animum, & promisso non stetit. Dum Russi obsidere cœperunt VViburgum & vicina populari, post triduum confluunt in æquor Räsuehandense, in glacie consilium de summa belli inituri, depressa glacie omnes profundo hausti perierunt. A Sigismundo Rege Poloniæ legatus Machovius Vadstenis à Rege Gustavo auditus, offert ipsi sui Regis nomine amicitiæ fœdus & opem adversus Russum, communem utriusque atque hæreditarium hostem. Rex Gustavus hæc quidem grato animo accipit, sed ea conditione, *si tutus interim esse possit ab insultu vicinorum ad mare Balticum: qui quamvis nondum se pro hostibus professis gerant, tamen ex occasione, præsertim si regnum viribus & copiis adversus Russos emissis & cum Sigismundo conjunctis nudatum ac velut inerme foret, hostilia tentaturi & subitam impressionem facile facturi sint. Quare copias suas revocare cogeretur non absque levi*

utriusque regni incommodo. Nec se videre quomodo tam longe disiuncto utrique regno Suetico & Polonico, junctis viribus commode aggrediendus sit Russus; nisi Rex Poloniæ quasdam opportunas hujus rei vias apud Magistrum ordinis in Prussiâ & Livonos reperire posset. Hoc autē se ulterius cogitandum illi committere, cum spe tam prudens ab eo consilium datum iri, quod maximè ex usu utriusq; futurum sit. Inter alia pacis negotia Rex publicavit constitutionem de domesticis mercibus utiliter distrahendis, & exoticis emendis. Edictum insuper edidit de causis egestatis plebis & fructuum Coronæ diminutionis, earumque remediis Equidem rex totum reipub. corpus, cujus causa se caput esse noverat, ita curat, ut quantum in se, non solum illud vivat, sed & valeat. Vadstenis ad præfectos VVestrogothiæ & Smalandiæ scribit monetque *seduló invigilare adversus Danorum molitiones: qui novum regem Fridericum ad nova contrahoc regnum, non habita ratione fœderis, stimularent. Quippe ipsum palam jactasse, se cum tempore regni sui fines longius & quidem huc Holwedum usque proferendi viam inventurum. Eandem in annulo signatorio uti trium Coronarum insigni: quæ non fidæ conjunctionis tesseræ & argumenta essent.* Inprimis jubet R. Gustavus *intendere animum præfectos in limite habitantibus, & cum Danis commercia ac consuetudinem quandoque etiam factionem colentibus, eamque prohibere. Qua si nolint abstinere, ad se mittant hujusmodi socios, ut illis plebs, tanquam corpus noxio humore purgatum, minus mutationi & motui sit obnoxia.* Russi iterum cum copiis XXX M. irruptionem faciunt in Finnoniam & Bothniam Orientalem, incendio, cædibus & rapinâ fœdè grassati; donec ultra mille eorum à nostratibus cæsi, reliqui metu fugati sunt Postea majoribus copiis paratis, Iacobus Baggius cum classe præmissus est VViburgum: qui rebus & situ loci, excursione triremium ad Nyam flumen & colloquio cum nobilibus aliquot Russis habito, satis exploratis, Regem qui Aboam ipse cum justo exercitu venerat, per literas & Olaum Scottum cò missum de omnibus docet. Sed iste Olaus plura quam jussus erat Regi referens, & falsa veris placendi studio miscens, ait *Baggium inopia commeatus constituisse in Russiam movere, copiis satis munitum nimirum viginti millium,* quum vix essent quatuor mille. *Fortunam non defuturam, quum omnes nobiles Kexholmenses inclinarēt in partes Cu-*

stavi:

flavi: & arces Russiæ faciles occupatu fore ab alacri & bene armata milite, Russis contra morte Magni Ducis Moscoviæ consternatis; quæ tamen falsa erant. quibus Rex fidens permisit Baggio irruptionem facere in Russiam, sed cautè & cum consilio. Baggio jam imminente Russiæ finibus, Russi concrematis circumquaque pagis, commeatum in tutiora deportant: ita ut Suecis nihil ad victum reliqui facerent. Terrestres copiæ ducibus Henrico Claudii de Kankas, Nicolao Boethii de Gennäs & Claudio Christierni de Åminna, primo occurrentium Russorum agmine fuso, Nöteburgum arcem animo eam obsidendi petunt. Vbi verò propius accessere, deprehenderunt, arcem expugnationi non esse opportunam ob firmissima propugnacula, & rapidissimi fluminis quo circumfunditur impetum. Sed & ab una parte propius septingentis passibus, ob paludes interiectas, admoliri tormenta non poterant: quod spatium nimis remotum esset. Ab altera parte non nisi insula in medio flumine arcem alluente sita erat, quo nec tormenta ob vehementem fluvii cursum absque periculo traduci possent. Denique vicino agro per Russos vastato, res frumentaria nulla ex propinquo suppetebat. Itaque tot difficultatibus objectis, relicta obsidione VViburgum regressi sunt: quum in reditu copias Russorum eos impetentes terra marique strenuè repulissent. Rex Gustavus ipse VViburgum cum ingenti classe & copiis accedens, omnia sapienter ordinat, & sua præsentia animam rebus, spiritum militibus addit. Insignibus quoque militaris prudentiæ monitis suos instruit, ut tutius ab ipso quam hoste discerent; aut qui jam usu, rerum etiam militarium magistro, didicissent; tanta authoritate confirmatiores redderentur. Duces & tribunos militum cum consilio rem aggredi monet. copias non longo intervallo disparare sed prope in subsidiis habere, quoties usus veniat: ut si vel cedendum sit majoribus hostis viribus, vel in pares impetus faciendus, breviori ac propiori spatio melius ordines serventur. Vbicunque impressionem facturus esset hostis, ad occursandum ei non nimis incitato cursu ruere, sed prius per speculatores & velitationes explorare ejus iter, agmina & vires. Atque sic integros aut quiete refectos conjunctis copiis, & opportuno loco invadere Russorum itinere fessorum agmina. Ne verò temerè discrimini obiice-

retur exercitus, prius hostem exciperent tormentis, & interim subsisterent equites peditesque consulebat, donec hostis in fugam datus esset. Postea eum ex occasione, & pro viribus adorirentur. Quod si junctim & cautè in unum agmen Russorum (ut solent agmina partiri) suas effunderent copias, facilius illis detrimentum allaturos, quam si confertæ essent cohortes hostiles. Si verò unum agmen in fugam conjici posset, reliquos mox etiam exemplo territos aut metu pudorem superante, pariter terga versuros, ut solent isti populi stragem aliquam passi. Monendos etiam in tempore incolas Savolaxiæ & alios ad limitem colentes, ut semper in procinctu essent, & commeatu ad mensem aut longius è re nata instructi. Ex omnibus oris, quas transiturus esset Russus, segetem, fœnum & alia ad annonam spectantia avehenda esse: ut hostis inopiâ ejus longius progredi non possit. Concædæ arborum etiam hosti transitum intercludendum esse; ita tamen ut prope viam non statim adventantibus in conspectum daretur, sed à latere & aliquanto remotius à primo obtutu. Si vero jam constaret de adventu hostis, facile posse cæsis arboribus oppleri & obrui viam in fronte aut fine concædis, prout opus esset. Ordine verò collocandum esse nostrum militem cum justis armis ad seriem concædis: qui ex illa velut ex oppositio propugnaculo adversum peteret hostem, uti Rex in charta delinearat. Quum autem hostis equite, pedite, tormentis & alio apparatu potentior esset, haud acie cum eo decernendum esse, nisi conjunctis omnibus nostratium copiis. Atque si necessitas conflictum imperaret, sole & vento secundis non adversis pugnarent, & in iis locis, unde, hoste forsan victore, tutus esset receptus. Sed nec velitaribus pugnis hostem lacessendum esse, nisi omnibus rerum momentis satis exploratis, atque si pares sint hosti. Non enim esse morem militiæ, ut pars imbecillior provocet ad prælium valentiores; sed qui plus possunt, viribus minores velitationibus elicere & carpere eorum agmina; donec ad manus deveniatur. Non autem satis esse, maturè rem deliberare, antequam eam aggrediaris, sed in tempore quoque patrandam. Consilium enim absque facto, esse velut nebulam
1556. absque pluvia in magna siccitate. Russi subsequenti hyeme multo majoribus copiis Finnoniæ fines invadant, & omnibus pagis

pagis inter VViburgum & regni limites in cinerem redactis, ita cædibus passim & immanitate grassantur, ut ne quidem inermi sexui parcant. infantes in fornacem flammis ustulandos coniiciunt, aut sepibus suffigunt. Postmodò VViburgum obsidione cingunt, muros tormentis quatiunt, etsi cum exiguo obsessorum detrimento; quia mox vano terrore perculsi deseruerunt obsidionem. Dum enim noctu è vicino horreo certatim convectatur omne fœnum in arcem, ne fortè Russis prædæ esset, strepitu rotarum in ligneo arcis ponte gravem sonitum edente, qui in castris etiam hostium per totam noctem exaudiebatur, hostes rati aliquot millia equitum & peditum in urbem admissa esse, castris motis abscedunt; relictis tamen aliquot millibus suorum, ut quasi adhuc præsentium, nec fugæ speciem præbuisse viderentur. Baggius cum suis ex urbe se proripiens & terrore divinitus hosti incusso adiutus, omnes adversas copias pellit, eo successu, ut ad pacem tandem proclivior esset hostis; præsertim quum ad Novogardiæ præfecti literas stolidæ ferociæ plenas Senatus regni in absentia Regis ex vero respondisset, & uti meritus erat, iterum tetigisset. Itaque semestres induciæ factæ sunt, ut interim de pace commodius ageretur; ad cujus conciliationem etiam operam suam offerebat Sigismundus R. Poloniæ, etsi exiguo cum fructu. Quin Rex ipse Gustavus, qui pacis & sistendæ sanguinis effusionis studio tenebatur, ad Magnum Ducem Moscoviæ de amicitia reconcilianda, salvis jure finium & libertate regni, literas dabat. Interim tamen, ne ex desperatione fortunæ arma detrectare videatur, aut hosti pacem nolenti se imparatum invadendi occasionem præbeat; vires, quot potest, ex Suecia & Finlandia colligit. Finlandiæ Principatus, ditio Aboensis & Alandica cum subjectis territoriis Duci Iohanni ejusque masculis hæredibus eodem tempore ad se ex dignitate tuendum concedebatur; sed sub fiducia restituendi Coronæ, si absque maribus hæredibus decederet: quod literis suis ulterius firmavit. Rex Gustavus ad regem Daniæ mittit legatos Iohannem Axelii & Iohannem Ritbergium cum literis quibus significat: *quomodo bello cum Russis invitus culpa Magni Ducis Moscoviæ sit implicitus. Quum autem Angli novum & insuetum per mare glaciale, ut vocant, iter in Moscoviam ad portum S. Nicolai sibi aperuissent,*

ruissent, prætervecti Norvegiam; quod omnibus circumiacentibus regnis sed & maris Balthici accolis & civitatibus inæstimabili damno futurum sit, dum omnis generis vetita bellica instrumenta & arma ad Russos deportarent, quibus contra Christianos nimis munirí, & ad exemplum potentiæ Turcicæ per Asiam & Africam elatæ, etiam imperium in Europam affectare possent. Proinde se amicè desiderare, ut rex Fridericus & suo emolumento tuendo, & aliorum Christiani nominis membrorum ingenti detrimento amoliendo, istum navigationis cursum Anglis præcludere velit. Eodem & communium commerciorum nomine ad reginam Angliæ misit. Sed ab ea responsum accepit: *Se suis subditis libertatem navigandi quò velint ex privilegio nactis, inhibere non posse. Velle nihilominus armorum invectionem in Russiam prohibere.* Quod tamen factum non est. Nec de mutuis commerciis certi quid responsum. Gustavus missis in Russiam legatis Stenone Erici fratre Reginæ, Laurentio Petri Archiepiscopo Upsal. Michaele Agricola Episcopo Aboensi, Benedicto Gyltio, Canuto Canuti & Laurentio Laurentii secretario, pacem cum Russis instauravit, quæ consuetis solennibus & religione sequenti anno confirmata est. Eodem ferè tempore etiam fœdus commerciorum inter Regnum Sueciæ, & Comitatum Orientalis Frisiæ contractum est, per legatos Arnoldum Rosenbergium & Martinum Helsingium; licet, ut testatur Ubbo Emmius in historiâ Frisicâ, adventus eorum præcipua causa fuerit tractatio matrimonii inter Gubernatricis primogenitum filium Edzardum & Regis filiam Catharinam; cujus negotii initium fecerat Franciscus Lovvenburgius Saxoniæ Princeps, utrique domui propinquus. Sed hæc causa tunc vulgò latebat, dum alia ferebantur, nimirum de fœdere commerciorum. Martino Helsingio etiam insidiosæ molitiones exulum Suecorum, ut appellari volebant, Lotharingorum, Palatinorum, civitatum Hanseaticarum & Conradi Vxkylii nobilis Livoni adversus Sueciæ regnum, ab Arnoldo VValvvicio in Frisia detectæ sunt; quæ tamen divina ope dissipatæ in ventos abierunt.

1557. Pax inter Suedos & Russos ad quadraginta annos facta est his legibus: *Vt limites utrinque expurgarentur & renovarentur. Itinera tuta & commercia apud utrumque libera essent. Captivi utrinque dimitterentur.* De usurpatione insignis trium Coronarum

narum Gustavus in suis ad Christianum, & sequenti anno ad Fridericum successorem literis expostulavit. Sed hi parum hoc moti responderunt, ut antea. Rex edictum publicat de fugiendis enormibus delictis, maledictis, exsecrationibus, homicidiis, adulteriis, stupris, helluatione aliisque vitiis. de meliori vita agenda, de concordia & obedientia erga magistratum exercenda, de tumultu & turbis vitandis. de frugiferis arboribus non cædendis, hortis lupuli salictarii in usum & commodum rei familiaris instruendis. Livonis à Russo truci bello infestatis, Gothardus Ketlerus ordinis Livoniæ magister & Revalienses mittebant ad Ducem Iohannem in Finnoniam petitum pecuniam, milites & commeatum, pro certis Livoniæ ditionibus ei oppignerandis. Quod Dux Iohannes, ut juvenis & cupidus potentiæ, lubenti animo accipiebat, sibi persuadens se hac occasione Livoniæ parte potiturum. Sed simul illud innotuit parenti ejus Regi Gustavo, planè ipsi displicuit, & ab hoc serio dehortatus est filium Iohannem: *Si enim summitterentur eis auxilia pro oblato pignore, periculum fore offensæ & novi belli Magni Ducis Moscoviæ, tanquam ob violatum per hoc pacis fœdus. Sed & inimicos Sueciæ hac causa fore Imperatorem Romanum, Regem Poloniæ, Regem Daniæ, qui omnes sibi jus in Livoniam aliquod vendicarent; aliosque ex Vandalicis civitatibus occasioni belli intentis. Præterquam quod pignus forte non responsurum sit capiti vel sorti. Satius itaque esse tueri & firmare propria à Deo concessa, quam appetere aliena: nec spe ac desiderio incertorum certa in discrimen danda esse.* Stocholmiæ Gustavus iterum edictum publicavit *de serio pietatis cultu, concordia, fide & integritate servanda, malis & consutis dolis ac machinationibus, ut regni & patriæ turbamentis & pestè fugiendis. De frugiferis arboribus classi extruendæ & pascendo porcorum gregi utilibus non cædendis, hortis lupuli salictarii plantandis.* Princeps Ericus fiduciæ titulo accepit, tuendæ vitæ aulæque, arcem Calmariæ, Cronoburgi & Ölandiam cum adjunctis territoriis. Ille se scripto & verbis obligavit ad ea, quæ filius & Princeps patri regnoque jure debet, præstanda. Ingressus Smalandiam, equestrem ordinem adigit sibi sacramento, quod absonum parenti visum: quum satis ipsi de securitate antea cautum esset. Et, ut senectus plerumque suspicax & timida est, munivit se novis præsidiis & custo- 1558.

dibus

dibus corporis. Rex purgabat mare, quâ alluit Sueciæ territoria, in primis ad Nylandiam piratis aliquot Revalienſibus Ruſſos exſpoliantibus: quibus tutum per Sueciam iter exſœdere pollicitus erat. Ericus electus Rex & ſucceſſor regni Sueciæ efflictim ambire cœpit nuptias Eliſabethæ Reginæ Angliæ per legatos Stenonem Erici, Nicolaum Gyllenſtiernium Cancellarium, Carolum Geram, Guſtavum Iohannis & Carolum Mornæum diverſis temporibus in Angliam miſſos, ſed nullo fructu. Habebat etiam in Angliâ perpetuum legatum Dionyſium Buræum Gallum, qui coram iſtas nuptias ſollicitaret. Sed Ericus vana ſpe, blandoque verborum honore lactatus, patris ærarium ingentibus & inutilibus ſumtibus non parum exhauſit. Ad R. Guſtavi manus non unæ literæ ex diverſis locis venerunt, quibus monebatur ſibi cavere à molitionibus Chriſtierni tyranni familiæ & hæredum, qui magnas ſibi vires & ſubſidia collegerant, & proxima æſtate vel autumno impreſſionem in hoc regnum minabantur, fortunæ ſuæ toties fruſtra tentatæ, nunquam tamen animo penitus dimiſſæ, periculum denuo facturi. Nec Danis ſatis tunc fidebat Guſtavus, ob contumelias & alia fœderi communi adverſa ſibi illata. Proinde cogitavit de ratione terra marique regnum contra quoſcunque infeſtos hoſtes tuendi, & in Vadſtenenſibus comitiis ea re ſatis diſcuſſa, decretum eſt, primò *de pedeſtribus & equeſtribus copiis augendis, & ut ſinguli ex nobilium ordine in triennium aut quadriennium ſe pro ratione cenſus prædiorum equis & armis juſtis inſtruerent.* Dein, *ut munitionem Elſsburgi tanquam portus & clavis orarum maris occidentalis, & portæ inter Norvegiam & Hollandiam ſedulò perſequerentur, ope ſubjectorum ei territoriorũ. Vt itidem propugnaculum Nagltmeeſundenſe velut tranſitum & viam regiam inter Daliam, VVeſtrogothiam & Norvegiam, atque amœnam commodumque ſitu, exſtruendum aggrederentur, ope Daliæ, territorii VVenæ & Aſæ. Et quia jam bonum initium factum eſſet caſtelli Ienecopenſis, ſitus ſatis opportuni pro Oſtrogothis, Smalandis, VVeſtrogothis & Nericienſibus, & unius viarum publicarum, nec incommodi diribitorio adverſus vicinos Danos, aut aliam occaſionem; majori induſtria, quam hactenus, urgerent.* Præterea decretum erat *de locis conventus, ut ex Vplandia, Sudermannia, Nericia & Oſtrogothia milites convenirent Lincopiæ & Vadſtenis, ex Veſtrogothia Vermelan-*

landia & Dalia Falcopiæ, *Smalandenſes Calmariæ & Tenecopiæ.* Denique, *ut omnes viæ publicæ ac regiæ à Dania ad fines regni per Smalandiam, & VVeſtrogothiam ferentes & peculiariter deſignatæ quamprimum pronunciẽtur, & poſtea deligantur aliquot manipuli bonorum militũ, eorumq; decurio unus vel alter, qui æqualiter obſervent vias & per eas digredientes vel accedentes peregrinos tam à fronte quã à tergo, regiis præfectis indicãdos.* His ita ordinatis, aliquot perſpectæ fidei & moderationis viri conſtituti ſunt, qui cum nobilitate per totum regnũ in qualibet provincia tranſigerent de præſtandis militię equeſtris muneribus, pro modo & numero prædiorum. Quia verò aliquot ruſticorum filii inter nobiles reperti ſunt, qui per matrimonii viam adepti erant quædam prædia, nec immunitatem eorum ſibi adquiſiverant, ut lex Sueciæ jubet; Rex reſpondit: Spectandum cujusque virilem animum & famam, ut lex vult, id eſt, prius explorandum, num ad immunitatem adquirendam ſit idoneus; quod ſi factum fuerit, tum demum iudicandum eſſe, num ea dignus ſit. Virtutem enim, prudentiam & fortitudinem claros & nobiles facere. Claſſem etiam bene paratam, armis, commeatu & milite ſatis inſtructam ad fines regni expedit, ut adverſus incurſionem quorumcunque hoſtium procincta ſtaret. Quin Rex quotannis non abſque magnis expenſis in armis erat. Vnde factum, ut Dei ope & perpetua ejus cura, vigilantia & ad vim arcendam promtitudine hoſtis abſterritus nihil contra eum moveret. Magiſter ordinis Livonici iterum mittit ad Iohannem Ducem Finlandiæ, & inde ad Guſtavum ipſum Regem, de ope præſertim pecuniaria contra Ruſſum. Quidam ferunt, quum Revalienſes Regẽ non illuſtriſſimi aut ſereniſſimi, more horum temporum, ſed ſua lingua *illuminatiſſimi* titulo in literis ſalutaſſent, Iohannem Principẽ eos tanquam honoris Regii non ſatis obſervantes dicto perſtrinxiſſe: *Regis Guſtavi nomen non tam obſcurum eſſe, ut Livonorum illuminatione opus haberet.* Sed quod rem ipſam attinebat, *opem regem rogantes, ſufficiens pro ea pignus offerebant. Se etiam luculenta auxilia à Cæſare, Principibus Germanis, Polonis, Livonanis exſpectare* ferebant. Rex etiamſi calamitatem vicinorum miſeraretur, *ægrè* tamen *illis opitulari poſſe* reſpondebat, *ne retractaret & violaret leges pacis cum Ruſſo, atque ſic novi belli materiam daret. Auxilia à Cæſare & Germanis bello Turcico diſtri-*

strictis frustra exspectari. A Polonis & Lithuanis se quoque magna sperare non posse, quum ante vana eorum promissis deceptus esset; sine auxilii facta, sed nulla ope præstita. Si tamen arcem Revaliensem cum aliquot munimentis Livoniæ ipsi cum certa cautione oppignerare vellent, se non alienum fore ab ipsis ita juvandis, ut sibi decorum & Livonis utile foret. Ad hoc responsum oratores negabant se posse mentem suam aut suorum explicare, quum nihil tale in mandatis haberent. *ad referendum tamen accipere.* Hac æstate navis oneraria ex Dania huc accedens, in puppi præferebat insigne trium Coronarum, quod Iohannes Dux Finlandiæ tunc Holmiæ præsens exscindi jubet: quod illud Rex Daniæ Fridericus successor Christiani patris, uti in ore communis famæ erat, ad arrogandum sibi jus aliquod in Sueciæ regnum usurparet: quum ejusmodi insignia regia essent regni veri aut prætensi signa vel argumenta. Proinde R. Gustavus ad Fridericum R. scribit, & memoriam meritorum erga patrem & avum strictim repetens, *ut Christianum & moderatum Principem hoc velut magni præjudicii incepto desistere* monet. *Se pari prætextu posse usurpare Daniæ & Norvegiæ insignia. Sed quale hoc amicitiæ stabilimentum futurum sit, ipsum per se facile perspicere posse. Nihil se dubitare, quin multi optent & laborent inter hæc duo incluta regna dissensiones ac dissidia nasci, velut lupus & vulpes lætis oculis adspiciunt, leonem & ursum de præda concertare, spe suæ quoque partis inde capiendæ. Ita nonnullos desiderare ut utraque regna discordia divellantur, uti eo commodius pravas cupiditates explere possint. Quum verò nihil magis in votis habeat, quam ut hæc regna in mutua amicitia & animorum conjunctione perseverent, eò se percupere, ut Rex Fridericus idem ex sua parte præstare velit & efficere, uti dissidia & offensæ de tribus coronis reapse tollantur & amputentur. Reliqua ab utriusque subditis in finibus aut alibi admissa postea facile corrigi posse, si utriusque arbitri commodo loco ac tempore conveniant.* Sed hæ literæ & admonitiones parum loci apud eum habuerunt, donec postea ad arma cum Erico descenderetur, & hujus regni sitis vel quæcunque cupiditas effuso sanguine restingueretur. Quum Rex Gustavus de honorifico aut regno Sueciæ utili successu negotii Anglici desperaret, & nihil nisi pecuniæ profusionem progredi cerneret, Erico filio suasit tam incertâ spem non tanto pretio mercari, nec tam sollicitè rem dubiam urgere, sed Dei providentiæ com-

committere, eumque sibi salutaria rogare. Sed Ericus & ejus frater Iohannes hic pertinaces, huius negotii studio adeò dediti erant, ut nullis indè rationum machinis dimoveri possent. Quum his diebus à Dionysio Buræo legato in Anglia Sueticæ literæ adferrentur, quæ aliquid solatii Erici desiderio adspergerent, persuasum est Duci Iohanni Finlandiæ ut in gratiam fratris cum Stenone Erici R. Senatore in Angliam ad rem elaborandam iret. Hæc tam illustris legatio quantos sumtus hauserit, facile cogitatu est. Sola expeditio Ducis Iohannis bis centum millibus aureis constabat. Quum ille itineri jam accinctus esse, Rex filium paternè monuit, ut nihil fœderis aut pactorum iniret, quod Sueciæ regno, legi successionis, iuri & libertati patriæ fraudi aut incommodo esset. Quod cum patri promisisset, velis & vento secundis discessit. Edzardi Frisiæ orientalis Comitis nuptiæ solenniter cum virgine Catharinâ filiâ Gustavi Regis, centum millibus nummorum uncialium præter alia domâ Holmiæ celebrantur in præsentia Francisci Ducis inferioris Saxoniæ, Iohannis ab Hoia Episcopi Osnabrugensis, & sponsi fratris Iohannis Comitis Frisiæ orientalis. Ille annua pensione, & hic donativo mille aureorum, cum quindecim mille sub specie mutui expectasset, ornati & novos conjuges affines comitati abierunt; quamvis Episcopus animo non satis æquo & fido, quod postea in bello Danico & Elsburgensi obsidione, cui quoque interierat, patuit. In itinere Rex Ericus Edzardi fratrem Iohannem ob quam causam incertum, quamvis non tanti fuisse constet, Vadstenis capi & in Vplandiam in custodiam Örebyensem abstrahi curavit: quæ protervia Erici animum Gustavi non parum vulneravit. Edzardus quoque regressus, non prius excedere regno voluit, quam fratrem secum reduceret. Legati ex Anglia reduces vana spe nuptiarum ducunt Ericum, usque ad ipsius in Angliam accessum. Hoc anno fœdus amicitiæ & commerciorum renovatum est inter R. Gustavum & Franciscum R. Galliæ, & privilegia peculiaria Suecis in in Galliâ concessa sunt. Ingruente hyeme R. Gu- 1560.
stavus ad tempus substitit Vpsaliæ, inde abiit Strömsholmiam; quò Steno Erici ex Anglia profectus est ad Regem, & quid spei esset de nuptiis inter R. Ericum & Elisabetham, retulit. Strömsholmia pergit Rex Vlfuesundiam, Arbogam & Iule-

tam, ubi morbo & febre ardenti corripitur, donec ardore remittente convaleſceret. Viribus Regis ita confirmatis ut aëris patiens eſſet, petit iterum Vlfuesundiam & inde Melerum lacum, partim corporis reficiendi cauſa, partim ex conſuetudine ſua circumiens devenit Eskilſtunam. Eò circa veſperam quoque dux Iohannes ad regem acceſſit, rediens ex Anglia, læto & lubenti animo à patre exceptus. Enarrans patri negotii ſui ſucceſſum, ſpem injecit nuptiarum Eliſabethæ, etſi ut docuit eventus, patris Guſtavi & fratris Erici animi magis lactandi ſtudio, quam certæ rei affirmatione. Licet enim Iohannes nihil non egiſſet, ut nuptias ad optatum exitum duceret, aſſiduè apud Reginam procando, ſumtus & largitiones in primates profundendo, etiam infimorum benevolentiam captando, inter quos argenteos ſubinde nummos ſpargebat, dicens, fratrem, ubi advenerit, aureos plebi diviſurum; tamen operam ludebat. quippe obſtabat præcipuè Eliſabethæ animus à nuptiis abhorrens, utut adſimularet & tot procos deluderet: ut non minus verè quam venuſtè Lundino ad Patmenſem Principem de Elisabetha ſcriberet Bernhardinus Mendoza: *Reginam ſingulis annis ſponſam eſſe; nunquam verò nuptam.* Accedebat Regis Daniæ æmulatio, non paſſuri, quantum in ipſo erat, Succiam & Angliam in unum fœdus his nuptiis coire & Suecos nimis creſcere. Qua re Fridericus II. Rex Daniæ patruum Adolphum Ducem Holſatiæ excitaverat, ut ille quoque nuptias Eliſabethæ ambiret, & cum Erico vel ſperatas vel cogitatas interturbaret; uti locuples teſtis eſt Gulielmus Camdenus, hiſtoriæ Eliſabethæ author. Holmiæ comitia ſolennia inſtituuntur, in quibus R. Guſtavus publicari curat & confirmari Teſtamentum ſuum & ſucceſſionem Erici ac reliquorum hæredum maſculorum; & ut Iohannes Dux Finlandiæ in Erici abſentiâ, ſi quid interim humanitus accidat R. Guſtavo, regni vicariam adminiſtrationem ſuſcipiat. Teſtamentum verò tam prudenter & fideliter à Rege conditum erat, ut non ſolum ſucceſſionis & unionis hæreditariæ, ſed & totius regni ſecuritati ac proſperitati in eo conſuluiſſe & præſtruxiſſe videatur. Vnde & inter leges regni ab omnibus Ordinibus tunc relatum eſt. Finitis dictis comitiis, Rex Ericus properabat iter in Angliam, & expediri claſſem aliaque ne-

necessaria curabat. Rex autem Gustavus nequaquam eum à se prius dimittere volebat, quam solenniter regno cavisset, quod nollet ullum fœdus aut pactum inire cum Anglis, quod Sueciæ regno incommodo aut præjudicio esset. Itaque à parente ipsi quædam capita proposita sunt, ad quæ compoñda Ericus initio difficilior erat, nec sine patris offensa. Mox tamen in gratiam rediit, quum nihil aliud Rex desideraret quam quod æquum & consentaneum erat. Regis Erici cautio patri & regno præstita talis fuit: *Si Deus providisset ut corona & imperio Angliæ potiretur, se parenti & consanguineis, patriæ, regnoque Sueciæ bono ac præsidio pro summa facultate fore adversus omnes eorum hostes; & adlaboraturum, ut idem præstaretur ab Anglis. Si negotium ejus nuptiale in Anglia non succederet, duris forte conditionibus intercedentibus, se omnes expensas in se & suam partem recepturum, quæ ipsi in divisione bonorum mobilium inter fratres & sorores, secundum parentis testamentum cedere posset. Se nullum bellum inscio & inconsulto parente facturum. Nec absque ejus consensu ulli pacto subscripturum, quod parenti, familiæ, regnove quocunque modo quoad jura majestatis, successionem, statuta aut libertatem fraudi aut detrimento esset. Ne foris hujus regni nomine se contra alia potentia regna aut respublicas obligaret ad suppetias classis, militis aut pecuniæ, supra hujus regni vires, & re prius cum patre non deliberata. Si etiam Sueciæ regno aliquod bellum aut infestatio obveniret à Russis, Germanis, Danis aut aliis, se regno pro virili succursurum. Si Deo placeret ipsum ad Angliæ regnum extollere, ne extra Sueciam in Angliam exportaret omnem præsentem pecuniam, nec aulæ tuendæ majorem vim opum desideraret, quam pro paterna indulgentia. Ne oppigneraret aut quocunque modo diminueret quidquam ex regni possessionibus, arcibus, urbibus aut prædiis, patre, fratribus & regni ordinibus insciis. Ne inutiles sumtus faceret, ne mutuo sumeret magnam vim æris alieni, huic regno non tolerandi. Nec privilegia aut immunitates extraneis urbibus aut mercatoribus de integro daret, aut vetera confirmaret absque consensu patris. Ut pro se & suis posteris quam validissimè confirmaret & ratas haberet donationis paternæ literas confectas de fratrum Ducatibus, reginæ & sororum rata portione liberè & integrè ex lege pactorum utendis fruendis. Maximopere allaboraret, ut Sueciæ corona non solum incolumia conservaret sua jura & vetera beneficia, regalia & trium coronarum insignia, quæ Dani absque*

omni jure & æquo, per vim sibi arrogarent; sed etiam eorum molitiones adversus patriam pro virili prohiberet. Denique fidem daret de omnibus his capitibus sincerè servandis, inprimis de unione hæreditaria: ne fratrum successioni ullo modo fraus fieret; & ut Christianum Principem aut Regem deceret, & Deo omnibusque bonis gratum esset, ita se compararet. Navem Rex exstrui curarat nomine Elephantem, quæ vix parem ante habuerat, & Erico in Angliam vehendo destinata erat. Quam cum ingressus esset Ericus, & patri suo jam vale dixisset, Elfsburgum excurrens, mox revocatus est ex itinere, subito patris Regis morbo & excessu. Corporis ægritudine & ardenti calore invalescente, Stenonem Erici & Olaum Laurentii secretarium ad se vocat, illisque se, regni laboribus fessum & exhaustum, morti vicinum indicat. Se quibusdam regni negotiis adhuc infectis & publico bono aliquamdiu superesse, si ita Deo placeret, optabat. Adstantes, cum vires Regis sermone debilitari cernerent, sibi & valetudini suæ consuleret, rogabant. Ille verò conversus ad eos, fida sua consilia toties ex occasione promta illis seriò commendabat. Quum ultima jam instarent, ad se filios suos accersit eosque monet, *ne se temerè supervacuis & peregrinis negotiis misceant, sed sua sedulò & ex fide curent. Seipsos nosse discant; nec majora viribus aggrediantur.* Inde ordinat de superstitis uxoris Reginæ Catharinæ, Ducis Caroli decennis & filiarum bonis ac fortunis. Tandem mente ad cælum erecta, mundanorum curam prorsus animo excludit, & animam suâ simul ac corpore sit exitura, Dei manibus credit. Quibusdam ei spem de hac vita & recuperanda valetudine facientibus an fingentibus auscultare noluit, nec quicquam de excessu excusavit; quippe certus longè meliorem & beatiorem sibi vitam paratam esse. Ita spe cœlestis gloriæ & inexpugnabili patientia vim morbi mortisque superans, ipso S. Michaelis die rebus humanis placidè excessit, quum sexaginta novem annos vixisset, & imperium tot procellis intestinis & externis, Dei ope gratiaque feliciter ereptum, & heroicâ virtute partum non in otio aut voluptate transegisset, sed utilibus patriæ institutis ac legibus, disciplina civium & vera religione, aliisque pacis bellique præsidiis auctum & munitum cum insigni pietatis, justitiæ, prudentiæ & animi magnitudinis laude

laude triginta novem annos administrasset. Vpsaliæ in templo primario cum duabus conjugibus S. Thomæ die regiis exequiis & omnium bonorum desiderio & memoria, certâ boni Regis exstincti significatione, honoratus est. Equidem quod regnum ab occasu restituerit, illud denuò condidisse jure dici potest. Vt autem GVSTAVO I. libertatis instauratæ & renatæ vindici, ita posteris ejus & reliquis deinceps successoribus à Deo proxima florentis & servatæ patriæ gloria debetur.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.



OBSERVATIONES HISTORICÆ.

Lectori S.

Quum variantes quædam Historicorum Suetico-
rum narrationes occurrerent, quædam etiam
dubia documentis publicis aut adsertionibus
fide dignorum authorum ulterius firmanda es-
sent, quod commodè in ipso contextu propter
continuam historiæ seriem fieri non poterat; vi-
sum est isthæc seorsim paucis observare, & huc
finem annalium rejicere.

IOHAN

JOHANNIS LOCCENII BREVES OBSERVATIONES HISTORICÆ

Ad vitam Beronis vel Biornonis III.

BERO vel BIÖRNO III.) Iohannes Magnus lib. XVII. Historiæ Sucticæ cap. VII. in fin. hunc Biörnonem vel Beronem ejus nominis secundum facit: quum tamen sit tertius; uti Baazius lib. I. Hist. Eccl. Sued. cap. IV. & VI. rectè quoque notavit. Idem ex Iohanne Magno, si rectè inspiciatur, constat. Primus enim istius nominis Rex Sueonum & Gothorum est, cujus ipse mentionem facit lib. VIII. suæ Historiæ cap. XXVI. alter, cujus meminit eodem libro cap. XLIV. Ergo hic erit tertius, quem narrat lib. XVII cap. I. Quamvis autem Iohannes Magnus iniiciat mentionem Biörnonis lib. I. cap. XIII. tamen hic in censum non venit: quum fuerit rex solorum Gothorum; & Sueones tunc à Gothis divisi sub judicibus vel regulis egere. Michael VVexionius Gyldenstolp lib. IX. Descript. Suec. cap. I. & Suanningius in Chronologia Danica hunc nostrum Beronem ponunt quartum. Haud dubiè ab illo Berone, cujus meminit Ioh. Magnus dicto lib. I. cap. XIII. calculum deduxerunt ad hunc nostrum, & sic erit quartus. Sed de hac differentia paulò ante dixi.

Saxo) lib. VIII. Hist. Dan. circa fin. & Meursius Hist. Dan. lib. I. pag. 36. col. 2. in vita Gotrici cognomento Liberalis.

Ad Vitam Brautamundi.

BRAUTAMUNDUS) Erico Vpsal. lib. I. Hist. Suec. pag. XXXIV. Messenio Scondiæ illustratæ MS. tom. I. Brautamundus aliisque nonnullis dicitur. Verum ejus & proprium nomen fuit Amundus. Postea Brautamundus appellatus est à

prisca voce Gothica Braut vel Bråth via: quod excisis & eradicatis superfluis silvis æquarit viam.

Ad vitam Caroli VII.

Indeque Ferrei lateris cognomen accepit) Pontanus lib. 1. Histor. Danic. pag. 37. *Nobilissimus Huitfeldius Biörnonem ferrei lateris, vulgo Ierusside, cognomento afficit, authore ex quo id habeat, non addito.* Imo Saxo Sialandus Hist. Danic. libr. IX. pag. 172. ita refert: *Biörnus quod integer hosti clademingessserat, tanquam à ferrei lateris firmitate sempiternum usurpavit agnomen.* Et Snorro Sturlæsonius in Chronico Norveg. pag. 118. Biðrn Járnside Leðbrocks Son togh Vpsalarijke och Swårige och begge Gotland. i. e. *Biörnus ferrei lateris occupabat Upsaliæ regnum & Sueciam & utramque Gothiam.* Krantzius lib. v. Suec. Hist. cap. 111. *Omnes qui prælio interfuere, graviter vulnerati sunt, præter unum Regneri filium Biörnonem, qui ex ea re nomen accepit, ut Ferrei lateris diceretur.* Nec ejus nominis usurpatio aliis ex simili occasione inusitata fuit. Ita Emundus Ethelredi Anglosaxonum regis filius *Ferreum latus* (Járnside) vulgò nominabatur, quod esset animi & corporis viribus ferox, ut est apud Pontanum lib. v. Hist. Dan. pag. 148. In legibus Edovardi regis Anglosaxon. cap. xxxv. est *Yrenside*, ubi ad oram libri notatum est: id est *ferreum latus*, quasi Jserenside per epenthesin. Ita Henricus Comes Holsatiæ *ferreus* ab invicta fortitudine vel robore corporis & animi cognominatus est.

Non à lana, ut vult Saxo, qui laneum campum nuncupat, sed, ut videtur, ab Odini vel filio vel socio Ullero) Vetus est nomen Ulleråker vel Ulleraaker/ & Ulleraakerhåradh/ territorium prope Upsaliam, idem appellationis hodieque retinet. Et in VVestrogothiæ Kylensi territorio duæ insulæ à situ Ytterulleröö & Ytterulleröö dicuntur, quarum mentio in Testamento Gustavi I. Sed unde hoc nomen traxerit, ex occasione disquirendum. Saxo lib. IX. pag. 170. edit. Stephanii v. 13. *à lana* (Ulle) deducere conatur: *Apud campum*, inquit, *qui Latialiter laneus dicitur.* Stephanius in Notis ad hunc locum pag. 189. ex Regneri Epicedio quoque Ullur aaker dici notat, & esse locum in Suecia, ubi acre prælium commissum est. Antiquum id nomen esse, ante dixi: quod MS. Chronicon S. Olai satis firmat,

firmat, ejus mentionem aliquoties faciens: For Jarl Hialti auſter alle i Swediod / en er han ſotti upp a Landit / tha ſendi han men ſina fram fire till Vppſala / oc ſendi ord Ingigerdi Konungs Dotter / att hon ſkylldi fara ut a Vllar aker i moti honom. *Comes Hialtus proficiſcebatur verſus Orientem in Sueciam. Quum verò in ſuperiorem tenderet regionem, viros ſuos præmittebat Vpſaliam & nunciari jubebat Ingigerdi Regis filiæ, ut ipſi obviam ad Vlleri agrum procedere vellet.* Et alibi: Hialti ſwarar: Ek rid ut a Vllar aker medh Ingigerdi Dotter tine. *Hialtus reſpondet: Exſpatior equo ad Vlleri agrum cum filia tua.* Et pluribus locis non ſemel. Stephanius verò quoque reddit *laneum campum*, quaſi à lana eſſet. Sed hoc alienum. Livius lib. XLII. p.m. 809. pro prodigio refert, quod Priverni lana pullâ terrâ enata ſit. Mea conjectura eſt, ſalvâ aliorum, à *Vile* Odini filio, vel, ut nonnulli volunt, *Vuli* vel *Uuli* ejus fratre, vel *Vllero* ejus ſocio, (de quibus Stephanius in Saxonis Hiſt. Dan. lib. III. pag. 82. & lib. VI. pag. 137.) ſic dictum: cui ob inſignem artem, ut putabant, magicam iſtos agros tribuerint, vel quod ipſis concedentibus eò coloniam deduxerit. Sed & Waluna propinquum hodieque Vpſaliæ prædium videtur olim ejus ſedes fuiſſe: cui ditio vel territorium proximum fuerit ſubjectum. Velux à Semingo Odini F. Semingehundrat / Sueciæ præfectura nomen accepit. Inter ſocios autem Odini refertur etiam *Vllerus* ab Arngrimo Ionæ in ſuis ad Stephanium literis anno MDCXXXII. ſcriptis: *Migrationis Aſiaticæ principes ÆSER Aſiatici dicti ſunt: cujus ſingulare eſt AS vel AAS, ipſi Odino κατ' ἐξοχὴν attributum, cum adjecto: den Almegſte Aas. Hi fuiſſe traduntur numero XV. vel eo plures, quorum etiam nomina extant.* I. *Odinus, alio nomine* Yggur. II. Thor. III. Yngur vel Ynguar. IV. Freye. V. Vidar. VI. Balldur. VII. Eyr. IIX. Nordiur. IX. Beagie. X. Hoddur. XI. Forſete. XII. Loke. XIII. Vale. XIV. Meler. XV. Hönir. Ab iſto decimo quarto *Vllur* vel *Vllero*, niſi à filio aut fratre Odini, de quibus paulò ante, Viller åker nomen traxiſſe ex ea quam dixi cauſa videtur. Idem confirmari queat ex Iohanne Meſſenio Scondiæ illuſtratæ MS. tom. I. *Ullerus ex ſimulacro reſponſa dedit. Poſtea ab Othino Vpſalia pulſus in Daniam, inſignis magus* &c. Olerum ille vocat, quem alii Vllerum; item Aullërum vel Aullarum. Sic in S. Olai Chronico MS. Freinvider oc Arnvider ridu ut a Auller aker.

Frein-

Freinvidus & Aruvidus exspatiebantur in Aulleri agrum. Frequens enim pro ratione idiomatis appellationes hîc variare: velut Olaus Olle/ Vle vulgò diversè nuncupatur.

Ad Vitam Biörnonis IV.

Saxo) lib. IX. p. m. 172. *Idem ob conspicuæ fortitudinis meritum Suetica prælatione donatus.*

Ad Vitam Ingialdi.

Ingevaldus) quidam Ingellum, alii Ingevallum appellant, ut videre est apud Iohannem Magnum lib. XVII. cap. VIII. sunt tamen, qui rectius Ingiäldum vel Ingevaldum appellari sentiunt Ita enim in quibusdam Chronicis MSC. est. Ingeldus Erico Vpsal. dicitur.

Widsaren) vid Eric. Vpsal. lib. I. Histor. Suec. pag. 34. Sic in quodam Chronico MS. Fale hin vnge war en widsäring. *Falo junior longè peregrinatus erat.*

Alia mali causa) Eandem refert Ioh. Messenius Scondiæ illustratæ tom. I. in vitâ Ingelli.

Ad Vitam Amundi cognomento Annosi.

Canutus Amundum petit &c.) Eric. Vpsal. lib. I. pag. 35. & lib. 2. pag. 66. non à Canuto ipso, sed Vlfone cæsum Amundum refert. Sed ille videtur sequi Chronicon Norveg. quod ad Vlfonem refert pleraque, quæ nostri Annales de Amundo habent.

Ad Vitam Amundi cognomento Vilis.

Quod Scaniam à Gothia distinctis limitibus secrevit) Quamquam pro fabula habet Iohannes Magnus lib. XVIII. Hist. Suet. cap. VII. ubi ait: *Hic silentio implicanda non est insignis quædam fabula, quam nonnulla Danicarum Historiarum fragmenta præ se ferunt, de terminis, ut dicere volunt, inter Schoningiam, Vestrogothiam & Smalandiam tempore hujus Amundi Vilis & Suenonis ejus nominis primi Danorum regis. Quæ quidem assertio non solum Saxoni Danico verum etiam rationi temporis & ipsi veritati omninò repugnat.* Quod ita porrò probatum it, dum Amundum cognomento Vilem non Suenoni regi Danic, sed Canuto ejus filio coætaneum fuisse ostendit. Sed quid si hic Amundus ex nonnullorum sententiâ proximè ante Ericum Victoriosum ponatur? uti notat Ericus Vpsal. lib. 2 pag. 69. Aut si dicto ordine locandus sit ex fide veterum Annalium,

lium, *potuit fortè esse, ut valde juvenis haberet principatum & puerilitèr ageret, metas ponendo prædictas* (sunt verba Erici dicto lib. pag. 70) *& id circo depulsus à regno; sed longævus effectus, ad principatum reversus emendare voluerit, quod deliquit.* Quidquid sit, quod veteres nostri scriptores non accuratè observarint rationem temporis, in comperto est. Veritatem autem rei adstruunt non solum historiæ & leges Danicæ, sed etiam Sueticæ. Ericus Vpsal. lib. III. Hist. Suet. pag. 65. *Amundus Slemma temeritate sua vel caussâ alià quavis insaniâ, Danorum forte, ut sæpe contigerat, inductus astutiâ, Scaniam divisit à Sueciâ limitibus designatis.* Aliud vetus Chronicon MS. Amund Slemme thy han war flisfär oc ey gofvär acthra i thy måse han will främia. Han giorde stiäl mällin Swäriktis oc Danmark / swa sum sighr / i Landamärum. *Amundus vilis aut dissipator cognominatus, quia profusus & negligens erat in negotiis peragendis. Ille limites faciebat inter Sueciam & Daniam, ut perhibetur, in finibus.* Idem firmant leges Vestrogothicæ: Emunder Slemman war Kenurgi Vpsalun / oc Swen Tiuguskttig i Danmark. Ther sattu riktir / mällin Swerikis oc Danmark. *Emundus vilis rex erat Vpsaliæ & Sueno barbæ bifidæ in Dania. Illi limites ponebant inter Sueciam & Daniam.* Quamvis autem Cl. VVormius in Notis ad Fragmentum Codicis Sialandici MS. de limitibus regnorum Sueciæ & Daniæ vel neget vel dubiter, Codicem LL. VVestrogothicarum exstare; tamen non est quod dubitet, quum in Archivo hujus regni veteri membrana scriptus exstet: quem totum perlegi & ex eo istam limitum distinctionem descripsi. Sed ad priora. Quibus accedit & illud, quod ipse Iohannes Magnus lib. XVIII. Historiæ suæ cap. IX. *Stenchillum Danos ob regnorum limites bello aggressum superasse* scribit, & cap. XI. cod. lib. *Ingonē subjugasse Scaniam & regno restituisse.* Ergo ante fuit limitibus divisa, & à regno Sueciæ avulsa.

Inter Blekingiam & Moringiam non Norvegiam, ut Iohannes Magnus existimabat) Iohannis Magni verba sunt dicto libr. XVIII. cap. VII. circa finem: *Nisi fortè invincibile argumentum pro Danis faciat, quod sextus lapis limitaneus positus fuisset inter Blekingiam & Norvegiam, quod quam inepte dictum sit, facile novit, qui longissimam distantiam inter eas terras novit.* In legibus VVestrogothicis est: Mellan Ble-

Blekings och Möre. In legibus Scanicis est Mellan Bleking och Möre. In LL. Sialandic. Mellan Bleking och More. *Inter Blekingiam & Moream vel Moringiam*, ut aliàs vocant. Hinc error Iohannis Magni natus videtur, dum pro More / Norre fortè in suo Codice scriptum reperit, aut, si rectè scriptum, non satis animadvertit. Quo nomine vehementius à VVormio in Notis ad dictum fragmentum pag. 32. v. 14. perstringitur.

Ad Vitam Halstani.

Ericus Vpsal. lib. II. Histor. in vitâ Halstani: *Invenitur in quibusdam Chronicis, quod post Ingonem regnaverit ejus filius Ragvaldus & Helena regina, & Philippus patruelis Ragvaldi* &c. Idem Iohannes Magnus lib. XVIII. suæ Hist. cap. 23.

Ad vitam S. Erici.

Fâle Bure) Rectius absque diphtongo scribitur *Fale*. Sic enim in vett. Chronicis appellatur, ut postea accepi. Ioh. Bureus p. m. quondam Antiquarius Regius ex illis in Genealogia Burcorum hoc Excerptum notavit: Fale i Byreståbh höfwidzman för Hellsingarna sem hemnades S. Eriks dödh / bleff slagen wid Falebreo / som der af sick nampn 1161. 18. *Maij*. id est: *Falo in Byrestad dux Helsingorum qui ulciscebantur S. Erici mortem, occubuit ad pontem Falensem, qui inde nomen nactus est*, 1161. 18. *Maij*. Quod si verum est, non potuit ejus curâ exstrui templum Dannemarchiæ, ut quidam referunt: quum ille antea cæsus fuerit. nisi ab ejus posteris & hæredibus è Danorum spoliis excitatum & exstructum fuerit. Ab hoc Burcorum familia genus suum ducit, ut mihi indicarunt Iohannes & Nicolaus Bureus fratres, ille Professor Mathes. in R. Acad. Vpsalienſi, hic R. judicii Holmensis Secretarius; & excerpta quædam MSta de isto Falone & ejus stirpe mihi communicarunt.

Primum nactus est tumulum insacello) Nostra ætate clarisp. m. senex Ioh: Bureus casu in præfurnio civis Vpsal. reperit lapidem, S. Erici tumulo, ex intervallo temporis, ut videtur, non statim à morte ejus impositum, cum hac inscriptione:

En lector celebri lapis iste est dignus honore.
Hic etenim sanctum requievit corpus ERICI.

Hunc ex umbrâ & fumo in lucem retraxit Ioh. Bureus, jussuque

fuque Regio, prope ſcrinium S. Erici in æde ſacra locavit. vid Meſſen. in Tumb. cap. IV.

Ad vitam Canuti.

Sigunam Sitonum populi nomine ſignaſſe Tacitum nonnulli volunt) In ea ſententia eſt Pontanus in deſcriptione Daniæ pag. 689. 690. 691. in his Taciti verbis fundata: *Suionibus Sitonum gentes continuantur*, qua Sigtunenſes à Sitonibus ortos putat. vid. pag. 673. & alibi. Alias Sigtunam à Siggone R. conditore noſtrates ſcriptores dictum velle conſtat. vid. Ioh. Magnus Hiſt. lib. I. cap. VII. Meſſenius Sueopentaprotop. cap. XI. Alii ab Odino, quum ex Aſia huc adveniſſet, exſtructam & filii ſui nomine appellatam volunt. Sic Stephanius in Saxonis lib. VI. Hiſt. Dan. pag. 136. ex Eddæ Mythologia & Chronico Norveg. Snorronis Sturlæſonii notat: *Elegit ſibi hic locum civitati exſtruendæ idoneum, quem vocabat SIGTVM de filii ſui nomine.* Et pag. 138. *Othinus ad fluvium Logher incolere cæpit, ubi civitatem condidit Sigtunenſem.* Quinam verò Sitones primi origine fuerint, non ſatis inter Geographos conſtat. Cluverius lib. III. Germ. antiq. cap. XLI. pag. 669. & alii nonnulli ad Norvegos referunt. Sed Pontanus ad eos referri poſſe negat, dum Tacitus non contiguos eſſe, ſed continuari Suionibus ait. Sittuna vel Settuna pagus prope Sigtunam, non procul à Sitonibus abludere videtur. Et Adamo Bremenſi urbs *Sictona* dicitur. Sed hæc aliis ulterius diſquirenda relinquo.

Ad vitam Suercheri III.

Bellum à Folcone duce eximio adminiſtraretur) Folco ab Erico Vpſal. lib. III. Hiſt. Suec. p. m. 103. & à Pontano Hiſt. Dan. lib. 6. pag. 306. appellatur. Alii verò Falonem vocant: quem Falonis ſenioris, de quo in vita S. Erici, filium aut nepotem fuiſſe ſcribunt, & magno præſidio fuiſſe Erico decimo in bello contra Suercherum: unde ab eo inſignibus honoris, nobilitatis & opibus auctum notant.

Ad vitam Magni Ladulås.

Factionis principes capite plexi ſunt) juſto crudelius, ait L. Paulinus in huius regis vita, quod non videtur, quippe in rebelles.

Ad vitam Birgeri Magni F.

Ad exemplum Didonis) ſive verum ſive fictum, nam pro fabula à vi-

à viris doctis habetur, pro eadem dudum explosa; licet Virg. 1. AEn. 372. Appianus bell. Pun. pag. I. Iustinus lib. 18. Hist. cap. 6. tale quid etiam de Didone Carthaginem exstructura referant; cujus exemplum Birgerus imitatus videtur. Præter Scaligerum, Vossium & allios vid. Bochart. Geograph. Sacr. part. post. lib. I. cap. XXIV. pag. 513.

Ad vitam Magni Smeck.

Vt ex literis Valdemari liquet) literæ Valdemari Regis Daniæ, quibus alienavit & transtulit in Magnum Regem Sueciæ pro certa pecuniæ summa Scaniam, Hallandiam, Blekingiam &c. ex Archivo regni Sueciæ descriptæ, & Latinè versæ, tales sunt:

Omnibus has literas audituris aut visuris salutem dicimus Nos Valdemarus D. G. Danorum & Slavorum Rex, Dux Estoniæ. Conscientia nobis suadet dictatque, ut illæ partes quæ regnis conciliant pacem & concordiam, præsertim his regnis vicinis & eorum imperio, dirigantur ad sinceram constantiam & perpetuitatem: ut omnes fideles subditi, qui in pace & tranquillitate degere volunt, absque impedimento ulterius Dominum nostrum Iesum Christum, Servatorum nostrum pacisque conditorem piè colant: & ut Regi suo omni fide & obsequio ætatem addicti sint. Postquam regnum Daniæ post charissimi nostri Parentis Regis Christophori quondam Danorum & Slavorum Regis mortem, cujus animæ Deus propitius sit, ad longum tempus rege vacabat, & proh dolor eo tempore multi extranei & improbi homines nobile istud regnum miserum in modum vexabant & devastabant, ac primaria nobilitas & alii boni viri in Scania, Hallandia & Lystria cum mercatoribus & populo animadvertebant, se multisariam aliorum servitio & tyrannidi, sævæ dominationi & oppressioni contra omnem honestatem, jus & æquum obnoxios esse, ita ut eorum privilegia, leges, jura & cætera instituta, quibus eorum majores & incolæ olim fruiti erant, penitus essent depravata. Insuper deprehendebant rapinis & incendio aliisque infinitis malis ita se affligi & perdi, ut nec interdiu nec noctu scirent, se tutos esse in corpore aut fortunis; idcircò plerique ordinis equestris & plebeii deserebant patriam suam, bona & prædia, & ut servarent vitam, confugiebant ad Celsissimum Principem ac Dominum Dn. Magnum Sueciæ & Norvegiæ Regem, dilectum nostrum cognatum, in sui securitatem & præsidium; ut eos

eos prudenti & regia sua potestate à tali angustia, onere & vi liberare vellet. Et ad eum habentes singulare refugium, eligebant eum sibi Regem & verum Dominum, obligantes se illi homagio & fide in perpetuum. Post aliquod tempus prænominatus Serenissimus Princeps Rex Magnus Suedorum & Norvegorum Rex miserabatur eorum servilem conditionem & ingentem ruinam, considerans qua ratione eos à tam violenta dominatione absque bello & sanguinis effusione vindicare posset. Itaque ad se recipiebat ante dictas provincias & arces, quæ pignori datæ erant Illustrissimo Principi dilecto patruo, Domino Iohanni, Comiti Holsatiæ & Stormariæ à dilecto nostro parente Rege Christophoro, pro ingenti pecuniæ summa, nimirum triginta quatuor millibus selibris argenti puri, ponderis Colonienſis, sibi & regno Sueciæ non sine magno incommodo & expensis. Ideo multos ex suis civibus obsides dabat: quod ipsi & Regno non levi detrimento ac præjudicio erat, velut expresse scriptum est, in literis & documentis comitis Iohannis. Cum ergo perpenderemus fidelitatis & homagii obligationem, quam præfati Scaniæ, Hallandiæ & Blekingiæ incolæ, nominato Serenissimo Principi, Regi Sueciæ præstiterunt, idque literis & promissis confirmarunt, & simul grandem pecuniæ summam, quæ expendebatur dicto modo, & ingentes impensas ac dispendia quæ subsequebantur; Item ponderantes, quod Regia fide & existimatione promiserimus prænominato comiti Iohanni, in multorum bonarum virorum tam Danorum quam Germanorum præsentia, eo tempore quo decernebatur Lubecæ de nostri cooptatione in nostrum Regnum, omnia pacta conventa inter præfatum Regem & Comitem Iohannem de dictis provinciis earumque oppignoratione in omnibus capitibus & articulis omninò integra servare; ita tamen ut has nostras literas aut quemcunque earum articulum, cujus in illis fit mentio, dicto Regi Sueciæ vel ejus juri, literis aut obligationibus nequaquam fraudi esse velimus, sed potius illas & omnia earum capita nostris literis, consensu & confirmatione nostra ulterius & in optimâ formâ communire illis quorum interest: ut omnes res Serenissimo Principi prænominato Regi Sueciæ, dilecto nostro cognato ejusque posteris ac successoribus Coronæ Sueciæ sit absque damno. Et ut inter dictum Regem Sueciæ ejusque successores & posteros ab una parte, & Nos nostrosque successores & posteros ab altera parte stabilior pax, charitas & amicitia crescat & conservetur, & ut utriusque regni subditi de

cætero sibi invicem securitati & amori sint, alienamus his patentibus literis, quæ inviolatæ servabuntur, nuncupatas provincias, Scaniam, Hallandiam, Blekingiam, Lyſtriam & Huenam, cum omni jure regio, quod in illis provinciis ad nos pertinebat, cum omnibus earum poſſeſſionibus, arcibus, officinis monetariis, territoriis, præfecturis, reditibus & juriſdictione, cum Senatus noſtri, Præſulum Eccleſiæ aliorumque bonorum virorum in noſtro regno, conſilio & unanimi conſenſu, non coacti nec inviti, ſed ſpontaneo motu; & transferimus liberos ab omni contradictione aut inquietatione à Nobis noſtriſque poſteris & Corona Daniæ in poteſtatem Regis Magni in perpetuum dominium, renunciantes omni juri, poteſtati & proprietati pro Nobis, noſtris hæredibus & ſucceſſoribus Regnique Daniæ Coronâ his noſtris patentibus literis & ſigillo. Porrò pollicemur Regiâ noſtra fide & authoritate, quod reverendus pater in Domino Archiepiſcopus Lundenſis, qui nunc eſt, ejuſque Eccleſia, Capitulares & Clerus ibidem, quoad corpora, jura ac privilegia ſua ubique in regno Daniæ, ut & ſuffraganei ejus aliique immunes & indemnes erunt. Eadem neutiquam diminuemus aut impediemus ſive per Nos ipſos, ſive quemquam eorum qui Nobis ſubjecti ſunt. Sed eos regia poteſtate & ſingulari favore protegemus. Renunciamus item in dictis capitibus & articulis omni juri, exceptioni & modo in legibus expreſſis, quibus dominia ſibi quis adquirere ſive civilia ſive eccleſiaſtica poſſit. Pariter renunciamus illi exceptioni in jure, quæ vult, quod univerſalis contradictio vel proteſtatio in legibus nihil poſſit. Item omnes clauſulas & dictos articulos bona & Regia fide ſervabimus, nec reſcindemus vel Nos vel aliquis noſtrorum, quacunque occaſione aut prætextu. Sed ut eò ſtrictius obſerventur, volumus & expreſsè conſentimus, ſi accideret, quod Deus prohibeat, ut contra aliquem dictorum articulorum faceremus, integrum ſore noſtris infra nominatis Fidejuſſoribus, nobis hoſtili modo ſe opponere, quod nemini noxæ erit, & ante nominato Regi Sueciæ ejusque ſucceſſoribus contra Nos cum vitâ fortuniſque ſuis ſubſidio eſſe. In rei fidem ac teſtimonium ſigillum noſtrum his literis affigi curavimus.

Porrò Nos Ludovicus D.G. Marchio Brandeburgenſis & Luſatiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Imperii Archicamerarius, Bugiſlavus, Dux Stetini, Iohannes Comes Holſatiæ, Frater Iohannes in Roſebild, Frater Tycho Berglan, Frater Nicolaus in Noous & Sueno in Aadrs, Epiſcopus Henningus Skarpenbergh, Iohannes à Platzen, Petrus Vendelbo, Fridericus à Locken, Nicolaus Ni-

Nicolai Vlf, Henricus Nicolai, Ingo Æschilli, Petrus Gothi, Petrus Grubbe, Iacobus Ingelonis, Inguarus Eguardi, Andreas Iohannis de Estorp, Paulus Slop, Escherus Brook & Iohannes Armiger, bona fide & existimatione promittimus omnes & singulos supra scriptos articulos, firmos & inviolatos servatum iri. Atque si contingere posset, quod Deus avertat, ut dictus Rex Valdemarus contra quemcunque articulum faceret, Nos prænominati dicto Principi Serenissimo Regi Magno ejusque successoribus fideliter suppetias feremus contra illum. In majorem rei securitatem nostra sigilla cum Serenissimi Principis Regis Valdemari sigillo appendi curavimus. Actum & scriptum Helsingburgi Anno Christi MCCCXLI. 8. die post Iob. Euangelist.

NOTA.

Non turbabit lectorem, quod superius in his literis triginta quatuor mille selibræ argenti exprimantur, cum alibi major summa ponatur. Nam prima vice, ut in his literis, convenit de dictâ summâ, altera vice nimirum anno MCCCLIII. de quadraginta novem millibus selibris, ut est in aliis Valdemari Regis Daniæ literis, quæ exstant in Chronico Suetico Gustavi I. part. 1. pag. 47. & seqq. tandem de septuagies mille argenti puri marcis, ut Pontanus lib. VII. Hist. Dan. pag. 455. testatur. Idem ib. testatur, prima vice triginta quatuor atque inde decem millia marcarum persoluta, donec paulatim quod erat reliquum expungeretur. Chronologi testantur jam anno MCCCXXII. & postea MCCCXXXII. agi cæptum à Danis cum Magno de harum provinciarum alienatione: quod deinceps anno MCCCXLI. & MCCCXLIII. continuatum & consummatum est.

Ad vitam Alberti.

Literæ Vplandorum ad Gothos) extant apud Pontanum lib. VIII. Hist. Dan. pag. 497.

Vitalianorum fratrum) Vitalie Suecis & Germanis dicitur & accipitur pro annona, vel re cibaria, unde homines vivunt, à Latino *victu*, aut *victualibus*, ut vocant, vel Italico *vettovaglia* deductum vocabulum.

Aliisque ornamentis aureis in publicum collatis redemtum fuisse) Id etiam de Suenone II. Rege Daniæ refert Meursius Hist. Dan. lib. III. p. 50. col. 2.

Quod autem Cranzius) lib. V. Histor. Suetic. cap. XXXIII.

Ad vitam Erici Pomerani.

Undecimo Calendarum Augusti lectus est) Hic numerus supplendus est in lapide cui inscriptum tempus electionis Erici, qui adhuc adservatur in prato Morensi. Verba hæc sunt: ANNO DOMINI MCCCXCVI. ELECTVS EST IN REGEM SVECIAE IN HOC LOCO ILLVSTRIS REX DOMINVS ERICVS CALENDARVM AVGVST: supple XI. CAL. AUGUST: ut rectè observavit Pontanus lib. IX. Hist. Dan. pag. 526.

Benedictus Svenonis) Ita quidam Annales, alii Benedictum Stenonis vocant, imprimis Ericus Upsalien. Laurentius & Olaus Petri.

De sua filiique ob crimini ipsis datum Danicarum partium studium proscriptione graviter cum eo contendit) In quodam Chronico Germanico MS. est, ex æmulatione imperii contentionem, & inde necem ortam esse. Anno 1426. ward Hauptman Engelbrecht von Mans Bendson erschlagen/weil auff in die wahl zum Reichsfürsten kommen. Sed vera causa erat, quam posui, & quidem ex quatuor rerum Suecicarum scriptoribus Erico Upsal. Laurentio Petri, Olao Petri & Iohanne Messenio. Ericus Upsal. lib. V. pag. 329. sic habet: *Adversus Benedictum Stenonis Engelbertus indignationem conceperat, pro quadam, ut creditur, perfidia in regni negotio.* Perfidia hæc credebatur, quod suspecti essent pater & filius quasi clam facerent cum Danis, ideò ab Engelberto proscripti erant. Hoc convenit cum eo quod Laur. & Olaus Petri tradunt, Benedictum Stenonis ex Engelberto Örebrogæ quæsiviſſe, *Num per eum sibi liceret in regno permanere.* Idem postea Benedicti F. Magnum in insula Göksholmiæ vicina ad eum repetiisse. Quod etiam confirmat Messenius Scondiæ illust. t. 2 *Engelbertum in procinctu constitutum vir nobilis Bened. ctus Suenonis publica fide impetrata convenit de sua & filii ob imputatum Danicarum partium favorem proscriptione cum ipso vehementer expostulans &c. infirmum ac inermem nefariè trucidat.*

Publico monumēt: defuncto Orebroæ positi elogio) quod hujusmodi est: *ENGELBERTVS. NATIONE. SVECVS. PARVVS. CORPORE. ET. MVLTA. PRAECLARA. COMPLENS. OPERE. REGEM. ERICVM. POMERANVM.*

NVM. EXPVLIT. DE. REGNO. VICIT. CIVITATEM. STOCHOLMENSEM. PLENAM DACIS. ET. TEVTONICIS. ET. FVGAVIT. ILLOS. DE. REGNO. AC. RECVPERAVIT. AMISSA. REIPVB. BONA. AD. DEBITVM. OMNIA. STATVM. VIRILITER. REDVCENS. A. QVODAM. MAGNO. BENEDICTI. SVECO. MALVM. PRO. BONO. REFERENTE. IN. BONA. FIDE. NEQVITER. OCCISVS. EST. CVIVS. ANIMA. REQVIESCAT. IN. PERPETVA. PACE.

Quasi rebellionis pœnam regi dedisset. Alii tamen à rebellionis pœna liberatũ eunt Engelbertum &c.) Hac de re Olai Petri in Chronico Sueciæ MS. tale est, sed medium & ambiguum judicium. Verba ejus ex Suetico in latinum sermonem versa sic habent: *Eadem exitum habuit Engelbertus. Atqui si pro beneficio reputari debet, quod liberaret regnum à tali servitute, in quam inciderat, indigna ipsi gratia rependebatur, inprimis hoc modo, quod nulla pœna post ejus mortem subsequebatur. Magnus Benedicti enim, qui eum occidebat, planè liber noxæ pronunciabatur, & Marschus promulgabat literas per totum regnum, ut nemo hoc ipsi facinus exprobraret. A quibusdam pro levi jactura habitum, quod Engelbertus è medio sublatus esset. Si Engelbertus verò haberi debet pro seditioso & rebelli contra legitimum suum Magistratum, omnes seditiosi exemplo ejus timeant suo.* Krantzii verò Hist. Dan. lib. VIII. cap. 18. hujusmodi de eo est elogium: *Engelberto nomen erat viro clarissimo & patriæ amantissimo. Quem non dominandi amor, non lucri cupiditas sed oppressorum commiseratio provexit ad rem gerendam.* Denique Illust: Steno Bielke, p. m. non minus eruditus quam prudens quondam Regni Suec. Senator & in Pomerania legatus ac præfectus, in Discursu suo Politico quem olim Tubingæ, quum istîc studiorum causa degeret, publicè habuit de Iure Regio th. 9. pag. 26. 27. hoc bellum pro necessaria & justa defensione agnovit, ubi sic disserit: *Populo quidem non ultio, sed interdum defensio contra Principem invadentem conceditur, modò intra defensionis terminos maneat* (*cum scutum dandum sit subditis, sed non gladius*, Liv. libr. 3.) *præsentemque impetum, quando nullum aliud supereſt remedium, propulset. Non autem ideò à debita obedientia recedat, aut Principem suum imperio nudare affectet, sed gratiam & clementiam ejus imploret, & quando Princeps offendere, statim se populus defendere desinat.*

Si defensio hac moderatione instituatur, inter rebellionis species neutiquam recenseatur. Sic David contra iniquum insultum R. Saulis se defendit 1. Sam. 22. &c. Eodemque modo Sueci seculo superiore adversus intolerandam sævitiam Regis Erici Pomerani trium borealium regnorum Principis, ejusque iniquorum præfectorum, duce Engelberto Dalecarlo felici auspicio bellum gesserunt defensivum. vid. etiam Barclaius 3. 8. in fin. de Regno & Regal. potest.

Ad vitam Christophori.

Inconsultis Suecis) vid. Chronicon Regum Daniæ Anonymi ab Erpoldo Lindenbrogio editum in V. Christophori, Eric. Vpsal lib. V. Hist. Suec. pag. 353. Chytr. lib. IV. Chron. Saxon. p. m. 345. & 632.

Ad vitam Caroli Canuti.

Krantzius Hist. Succ. 1. 39. *Primum omnium regum de quo extat memoria, ex infimo nobilitatis gradu electum.* Contrarium patet ex Ioh. Magno in vit. Caroli Canuti, & genealogia ejusdem apud Paulinum in Hist. Arctoa. In ejus epitaphio est:

Antiquis regibus ortus avis.

Corruptione suffragiorum elatum) Meursius in V. Christiani I. Regis Dan. *Carolus, ut erat maximæ cupiditatis regni flagrans, clam effecit, ut suffragia & cum iis quoque regnum interverteret.* Hæc ex epitome Historiæ Regum Daniæ Anonymi à Lindenbrogio editi habet, ubi sic in V. Christiani I. *Carolum contra trium regnorum solenne fœdus privatis quorundam suffragiis violenter intrusum esse Regem.* Sed aliter author in V. Margaretæ: *Et quoniam,* inquit, *in electione Erici regis Dania primum habuerat suffragium, mox in electione Christophori regis etiam primum usurpabat suffragium.* (quod erat contra leges Vnionis, per vices tribus regnis electionem dari volentes) *qua temeritate & arrogantia offensi Sueci, sibi in elegerunt sibi proprium regem Carolum Canuti.* Hinc patet, vel sibi contradicere authorem, nec antecedentia satis considerare, vel illum qui scripsit hoc compendium, alium fuisse ab eo, qui produxit & continuavit ad sequentes reges. Quod etiam Cl. Suaningius in Prolegomenis Chronologiæ Dan. pag. 29 innuere videtur, ubi ita scribit: *Erpoldus Lindenbrock historiam compendiosam ac succinctam Serenissimorum Daniæ Regum, ab incerto authore conscriptam, & postea ad Christianum IV. deductam reliquit.*

Si

Si vera sunt, quæ feruntur) vid. Eric. Vpsal. lib. v. Hist. Suec. pag. 357. 358. & Ioh. Magn. 22, 19. Ericus Vpsal. tamen lib. VI. p. 386. *omnibus modis procurasse electionem fieri, per quam & in qua ipse pervenerit ad coronam* (hæc sunt ejus verba) non dissimulat.

Si verò pro naniis ex quorundam mente habenda) inprimis Pontani lib. X. Hist. Dan. pag. 618.

Ad vitam Christierni I.

Ambitioso, rebelli & ulciscendi cupido animo) Chytræus lib. IV. Hist. Sax. p. m. 346. *Carolus intestinis dissensionibus & procerum aliquot rebellione, quorum Archiepiscopus Upsal. dux erat, ejectus.* Olaus Petri in Chronico Suec. MS. *Hic primus fuit episcoporum qui regi rebellavit, quod ipsi postea infeliciter cesserit. Verbum Dei erat ipsi commissum, quo reprehenderet Carolum, non gladius.* Ericus Upsal. lib. VI. Hist. Suec. p. 388. *Sentiens rex Carolus Archiepiscopum cum sibi adjunctis obstinato animo & implacabili odio contra salutem ejus unanimiter conspirasse.* vid. quoque Paulin. Hist. Arct. lib. 2. cap. 64.

Ad Vitam Stenonis Sture.

Obnitebantur subditi, eum dimittere recusantes) Krantzius Suec. Hist. lib. V. cap. XLII. *Quem gubernatorem deputavere regni, ea fuit modestia, ut diu populus regem non desideraret.*

Inconsulto Senatu) in Chronico tamen Gothlandiæ Danico ad annum 1482. dicitur hoc cum consensu Senatus factum.

Ad V. Iohannis II.

Insidiarum suspicionem) vid. Petr. Parv. & Meurs. in vita Ioh. pag. 36. 37. 38. Sed de his insidiis nihil Annales Suetici, nihil Chytræus in Histor. Saxon. ad annum 1401.

Ad vitam Stenonis Sture junioris.

Ultra decies centena millia aureorum ex regnis aquilonaribus Romam corraderet) Hoc ipse Ioh. Magnus circa finem Historiæ metropolit. in qua agit de Episcopis regni pag. 110. edit. Rom. testatur.

Balunsåås) Quidam Balingsåås. In Historia Danica Meursii est Salingsåås, sed, ut videtur, vitio typographico.

ACTA,

FOEDERA, PRIVILEGIA, DECRETA ET CONSTITVTIONES

Ad Gustavi I. historiam pertinentes;

Quarum passim isthic mentio fit ; ex Suetico in Latinum sed popularem sermonem versæ, quum verbum verbo reddendum esset.

FOR-

FORMVLA IVRAMENTI DE VNIONE REGNI HÆREDITARIA, super strictum Regis gladium Orebrogæ ineunte Anno MDXL. præstiti.

Ad annum 1440.

Nos omnes & pro se quisque juramus in Deum & sanctum ejus Euangelium, quod velimus & debeamus potentissimo Principi ac Domino, Dn. GVSTAVO, Suecorum & Gothorum Regi &c. Clementissimo nostro Domino R. Ejus Majestatis liberis & hæreditariis regni Principibus, fideles, obsequentes & sinceri esse in omnibus regii imperii negotiis, bellicis expeditionibus & actionibus ac singulis regiis edictis & statutis, tam pacis quam belli tempore, quanto possumus intellectu maturoque consilio R. M. salutem & commoda quærere. Atque si R. M. ac Sueciæ regnum progressu temporis brevioris aut longioris, armata alicuius vi infestaretur aut offenderetur, quicquid tunc adversus hostem ad belli apparatum necessitas postulaverit, hoc velut juratus regni senatus, unanimiter perpendemus, omnia hostium versuta consilia, fraudes & astutiam, omnes insidias sive clandestinas sive publicas, sive domesticas sive externas, absque cessatione antevertemus & impediemus. Ex hoc itidem die vel à R.M. Domino nostro benignissimo, vel hujus regni hæredibus, nullo vitæ periculo aliave quacunque causa deficiemus, sed ut R. M. constituerit aut suprema voluntate hæc omnia ordinarit, ita per vitam & ad mortem usque in R. M. Ejus & regni hæredibus tuebimur, aliaque plura, quæ ad publicæ aut militaris rei curam requiruntur, pro virili & fide summa administrabimus, & communi regni bono sedulò invigilabimus, ne regii Fisci opes ac reditus minuantur, sed augeantur. Vt apud subditos, nobiles, cives, colonos, ecclesiasticos & politicos, bona pax, concordia & obedientia conservetur. ut singuli jure regio ac regni, uti par est, defendantur. ne rex in posterum tot querulis suppicum libellis & interpellationibus ac tam intolerabili labore ac sollicitudine nimis oneretur; sed ut in Christianâ, verâ & purâ conscientia, coram Deo & omnibus rectè sentientibus, cum R. M. imperio talis ratio in-

incatur, ut tam superioribus quam inferioribus, egenis quam divitibus, pro summis viribus æqualiter jus reddatur. Nec ullo modo personarum aspectu, muneribus aut quacunque arte, per nos vel alios, à iusto nos deflecti patiemur: nec in senatu aut judicio contra jus & æquum in favorem partium sententiam feremus. Non itidem enunciabimus, suggeremus, aut monebimus quemcunque partium quod in senatu cognitum aut decretum est; nec ulli ante vel post rem judicatam illud aperiemus, nisi supremo magistratu aut collegio consentiente. Nullam causam malo proposito aut studio protrahemus aut differemus. Res imperii bonas & utiles constitutiones ex fide tuebimur & promovebimus. quicunque, nemine excepto, tentaverit in regio imperio & statu movere discordiam, aut R. M. vel Ejus regnique hæredibus male velle aut facere, illi scienter non connivebimus, sed eum serio severèque persequemur. Præterea quidquid Regi regnoque utile ac salutare, & in mandatis nobis esse poterit, absque contradictione pro virili fideliterque exsequemur. R. M. & legitimos Ejus regnique hæredes ac Principes apud omnes & singulos huius regni Regalia, imperium, ditiones & populum, vita & sanguine, masculis animis & equestribus factis protegemus ac defendemus: à quo nec favor, nec hostium potentia, periculum aut necessitas, sed sola vis major aut mors nos avertet aut prohibebit. Quodcunque in constituto regio imperio matura deliberatione determinatum fuerit, perpetuo celabimus silentio; veluti nunc R. M. & Principibus regni hæredibus, dominis nostris Clementissimis in hoc Regio stricto ense, provoluti in genua, ex omni animi mente, temporariè & æternum juravimus. Et in verum, constans, pium & Christianum testimonium argumentum & fidem, verum Iesu Christi redemtoris nostri corpus in vino & pane piè accepimus. Ita nos Deus & sanctum ejus Euangelium æternum juvet.

VNIO

VNIO HÆREDITARIA REGNI SVECIÆ,

Ad annum 1544.

Arhosiæ anno MDXLIV. a.d. XIII. Ian. facta.

Potentissimi Principis & Domini Dn. GVSTAVI, Suecorum, Gothorum & Vandalorum &c. Regis, omnium nostrum charissimi & clementissimi Domini, regni & imperii Senatus, Ordo equestris & Nobilitas: Nos subscripti Laurentius Siggonis in Sundby, regni Sueciæ Marschus, Steno Erici in Loholm, Ericus Flemingius in Quidie, Ivarus Flemingius in Sundholm, Iohannes Turonis in Lindholm, Canutus Andreæ in Ockna, Turo Trollius in Berquara, Gustavus Olai in Torpa, Magnus Iohannis in Bro, Birgerus Nicolai in VViines, Eques auratus, Ioannes Olai in Hackesta, Suanto Sturius in Ekesiö, Abrahamus Erici in Ekebergh, Petrus Bragdius in Ridboholm, Axelius Andreæ in Lenda, Nicolaus Krummius in Orboholm, Georgius Normannus, Bero Claudii in Läppes, Laurentius Turonis in Penningeby, Gabriel Christierni in Möreby, Armiger, R. Mtis Senatores; Axelius Erici in Häridzsätter, Georgius Erici in Fuglevviik, Nicolaus Petri in Åkeroo, Turo Petri in Kråkerum, Benedictus Nicolai in Bergzhammar, Bero Petri in Follenäs, Axelius Nicolai in Diursholm, Arvidus Trollius in Engzsiö, Petrus Iohannis in VValestad, Henricus Claudii in Häpinemi, Iohannes Petri in Häringe, Nicolaus Grabbius in Grabbaca, Severinus Kylius in Hoffsnäs, Torstanus Bryntonis in Forstene, Magnus Suenonis in VVesterby, Germundus Sucnonis in Gödebergh, Ioannnes Olai in Siösa, Christiernus Laurentii in Fletna, Tordo Bondius in Tranebergh, Steno Benedicti in Stösle, Axelius Possius in Hellekiis, Petrus Andreæ in Branstorp, Nicolaus Ribbingius in Svvansriidh, Sueno Ribbingius in Festeriidh, Olaus Petri in Biurum, Laurentius Kasslius in Hallerne, Lindormus Kasslius in Rosendaal, Olaus Kasslius in Rodel, Ericus Boethius in Mule, Nicolaus Boethius in Gennes, Georgius Achatii in Tidön, Nicolaus Ryningius in Tyresiö, Carolus Holgeri in Birckevviik, Ioannes Canuti in Laucko, Axelius Antonii in Berga, Ericus

cus Antonii in Berga, Benedictus Gyltius in Påtorp, Claudius Cristierni in Åminne, Vlfo & Nicolaus Henrici in Tyllingerum Laurentius & Grabbo Petri in Segerstada, Haraldus Lakius in Vlffstorp, Canutus Ribbingius in Torestorp, Mauritius Olai in Råbeeth, Ericus Arvidi in Grabbacka, Andreas & Ericus Bondii, Sueno Kartius in Amor, Botvidus Laurentii, Iacobus VVestgothus in VVexiö, Magnus Petri in Fskilstorp, Ionas Olai in Asa, Isaacus Birgeri in Empteriidh, Georgius Ioannis in Empteriidh, Georgius Ioannis in Hammar, Nicolaus Iesperi in Håbergh, Laurentius Iesperi in Grikelsboda, Troilus Andreæ in Raffnäs, Ericus Ioannis in Tuna, Ionas Suenonis in VVånga, Petrus Laurentii in Halqvvi, Ericus Laurentii, Ionas in Halleby, Andreas VVestgothus in VViika, Ericus Olei in Kyala, Petrus Sporrius in Geneerby, Ericus Sporrius in Höffvvikyle, Matthias Körningius in Almby, Ericus Magni in Brågzvviik, Engelbertus Laurentii in Ekenäs, Olaus Gallus in Tanåker, Nicolaus Olai in Iärna, Georgius Olai in Håkounetorp, Ionas Scrifverius in Högsrum, Laurentius Brömsius in Barncholt, Gulielmus Teuto in Giötala, Iohannes Kyhlius in Erstavviik, Torchillus Andreæ in Hintzekind, Thomas Ioannis in Gesterby, Matthias Petri in Vpsala, Arvidus Claudii in Siögårde, Petrus Nicolaus Fubbius in Berga, Ericus Iohannis in Torckilstorp, Broderus Erici in Räffsiö, Esbernus Torchilli in Räck, Nicolaus Hårdius in Hendelunda, Benedictus Scriba in Karstada, SuenoBiughius in Näsby, Halstanus Baggius in Skellesnäs, Dn. Erlandus in Sorinda, Astridus Ioänis in Ekeby, Petrus Ioannis in Ekebacka, Petrus Ingonis in Ekenäs, Ericus Laurentii in Hambra, PetrusErici in Skedinge, Laurentius Erici in Skelby, Carolus Benedicti in Seglinge, Olaus Erici in VVesby, Olaus Ivari in Enecopia, Erasmus Klothius Birgerus Buddius, Nicolaus Laurentii in Horneby, Nicolaus Erici in Beck, Petrus Laurentii in Kyrckiesatter, Ionas Andreæ in Brattensby, Ericus Andreæ in Hedåker, Ionas Canuti in Diula, Nicolaus Laurentii in Sparrestad, Ericus Arvidi in Sledhammar, Dn. Paulus in Floda, Andreas Petri in Hoffgård, Nicolaus Hoffuenskålius in VVii, Lotharius Slatta in Söderby, Bertoldus Ioannis in Rekavv, Nicolaus Petri in Ruda, Petrus Fle-

Flemingius in Friskale, Ericus Ioannis in Torckilſtorp, Magnus Canuti in Blombergh, Andreas Benedicti in Hoff, Andreas Boethii in Slåby, Matthias Kaggius in Biörnes, Birgerus Andreæ in Angeriidh, Ioannes Petri in Rydenäs, Petrus Canuti in Malma, totius regni Sueciæ Nobiles, noſtro & omnium tam præſentium quam abſentium nomine, notum facimus pro nobis & noſtris hæredibus ac poſteris, vigore harum literarum & obligationis, fatemur & teſtamur, quod, poſtquam omnes & ſinguli propria & libera voluntate non coacti, cum univerſo congregato & inſeparato regni Senatu, Equeſtri ordine, Nobilitate, Epiſcopis Præſulibus, ordinibus, ſubditis, apud nos ſummopere ponderavimus & perpendimus, nos tanquam communis patriæ, regni & Suetieæ Coronæ membra & fulcra, tam futura quam præſentia & ante oculos verſantia, Dei clementi ope & ſummo judicio, prudentia & maturo conſilio exſequi & effecta dare, & negotia quæ regno, coronæ & univerſis ſubditis bono, ſaluti, incremento, amplificationi, paci & tranquillitati eſſe poſſint, conſiderare deceat: ut eoipſo regni & omnium noſtrum detrimentum & oppreſſio præcaveatur & præpediatur, conſenſio, amicitia & charitas animis implantetur, & interna concordia bona confidentia & conjunctio propagetur, contra omnis diſcordia, diffidentia & alia hujusmodi, quæ ex diſſidiis fluunt, exſtirpentur & removeantur, Velut ergo nunc proprio motu & præmeditatis animis penſitavimus & ex veteri recentique hiſtoria aliiſque exemplis ſatis evidenter cognoſcimus quod omni ævo & plerumque, per regis ut capitis, & ſubditorum ut membrorum diſcordiam & diſtractionem in mundo multæ periculoſæ & ſubitæ commutationes ſæpe acciderint, & non rarò per hujusmodi ſcintillas & levia principia graves & inteſtini motus ac diſſidia fuerint accenſa: unde rapinæ, latrocinia, ſeditiones, ſanguinis effuſio, damna & irreparabilia detrimenta deinceps nata ſunt, contra ubi divinæ gratiæ nutu, & bene deliberato proviſu, conſilio & conſtitutione media & viæ excogitatæ ſunt, per quas inter magiſtratum & ſubditos conſtans & duraturus amor & fidum obſequium propagetur, iſthic ab omni retrò ævo ad præſentem usque diem, ex omnibus rebus geſtis & exemplis deprehendimus hujusmodi regnorum incrementum, e-

minen-

minentiam, vigorem, pacem & quietem. Etiamsi verò hujusmodi regnis & rebuspublicis nonnunquam ingentes tempestates, inimicitiæ & adversa illata fuerint; nihilominus tamen à domestico sanguine & imperio bene administratæ, defensæ & in sua libertate conservatæ sunt. Quia etiam ex veterum actis, & documentis satis ab omni parte animadvertimus, didicimus & percepimus, unde hujusmodi calamitosæ & pernicioſæ dissensiones, ditionum & regnorum excidia plurimum orta & excitata fuerint, nimirum ex ancipiti, corrupta, confusa & discordi Principum aut Magistratus electione, si una pars hunc, alia illum designarit, vel si recta linea, familia & successio non rectè observata sit: è diverso unde & quo intestina pax, concordia & felicitas instituta & fundata fuerit; nimirum si in hujusmodi electione secundum Dei providentiam lex successionis & linea agnationis ex naturali ordine rite servata sit: qua re hujusmodi dissidia declinentur, & bona concordia firmius & solidius hominum animis inseratur. Proinde voluimus, velut indigenæ Sueci, sulcra & membra regni & Coronæ Sueciæ, nunc, dum in vivis sumus, cum omnibus aliis regni subditis, nos obligatos agnoscere ad hujus regni, & omnium liberorum, hæredum & posterorum perpetuum vigorem, prosperam salutem, pacem, unionem & conjunctionem reipsa promovendam, & ad omne damnum, præjudicium, & dissidii, diffidentiæ & ruinæ ex pravis aliorum suggestionibus olim metuendæ causas amovendas. Idcircò nunc etiam cum frequenti & conjuncto regni Senatu, Ordine equestri, Nobilitate, Statibus, civitatibus, universis regni incolis & subditis initio inter nos ut fidos & justos subditos ex Dei mandato, & universi regni prisca & legitima consuetudine, statutis & jure naturæ decet, maximopere perpendimus & consideravimus, qua ratione Serenissima R. Mtas Rex Gustavus, velut omnium nostrum à Deo provisus & ordinatus, & à nobis atque universis regni Sueciæ incolis unanimiter electus, inauguratus & coronatus Rex, ad hujus regni eminentiam, dignitatem & laboriosum imperium, non ut extraneus aut vi obtrusus rex, sed ut regiæ lineæ, generis, agnationis & sanguinis beneficio, hujusmodi dignitati & regio muneri proximus, & propter oppressi regni & sub-

subditorum salutem, solatium & liberationem, Regium onus & imperium subierit; præsertim eo tempore quo omnium nostrum patriæ Regnum Sueticum, absque ullo jure, honesta caussa & titulo, à summi, capitalis & perniciosissimi hostis, sævi & senioris regis Christierni violentia, tyrannide & extrema calamitate, prædationibus, incendiis & sanguinis effusione tam miserè afflictum, & regni cives ac incolæ absque vindice, auxiliatore & pastore prorsus extremo exitio subiecti & deserti essent. Præterea, tanquam Christianus Rex & fidus patriæ salutis protector, nostro & liberorum nostrorum, omniumque Sueciæ tam præsentium quam futurorum incolarum subsidio & incremento, atque amore patriæ & iudigenarum Suecorum, fortunis, sanguini & vitæ suæ non pepercit pro asserenda patriæ & nostrum omnium libertate & vita ab hostium oppressione & ruina, Deique auxilio nobis felicem pacem, quietem & florentem statum reduxit. Vt ergo Deus omnipotens pro tali beneficâ suâ gratiâ laudem & gloriam, & Clementissimus noster Dominus, Rex Gustavus, & Majestatis Ejus Hæredes, Principes, tam nati quam nondum nati, à nobis, qui membra & subditi sumus, gratitudinem & officia recipiant, Regnum & nos omnes Sueci incolæ in tali pace & tranquillitate Dei ope perseveremus & conservemur, interim ex una discordia regni non alia seratur & ex illa bellum, tumultus & regni ruina nascantur & crescat, sed ut hoc regnum, Magistratus & subditi eo efficacius firmo & indissolubili concordiæ vinculo connectantur; omnes & singuli ex omnibus regni provinciis & territoriis delegati primò de hoc gravi & arduo negotio, ex desiderio populi & nostrum omnium nobiscum egerunt, ut de eo in tempore cogitetur & deliberetur, si quid in regno Magistratui humanitus accidat, cujus tamen vitam Deus clementer & diu servet, ut de alio successore & rege certi esse possimus, nec forsan de electione aut aliàs discordia quædam & turbæ in regni detrimentum excitentur; itaque nos cum illis & illi nobiscum in nomine SS. Trinitatis, totius Regni nomine, secundum omnium illis commissam instructionem, potestatem & petitionem, maturo consilio unanimiter convenerunt, decreverunt, promiserunt & jurarunt, quod, quia Sereniss: R. M. Clementissimus noster Dominus Rex Gustavus,

velut

velut naturalis secundum lineam Coronæ Sueciæ Rex hæreditarius & aliàs in regnum electus, inauguratus, constitutus & confirmatus Rex est, & huic regno omnibusque tam eximiam fidem & beneficia præstitit, qualia & quanta in his regnis vix ante, vel à prima eorum fundatione, à quoquam Rege aut Domino præstita sunt, nimirum ad pacem & florentem statum nos extulit, & ab extrema calamitate nos liberavit; & quia R. Mti. Regnoque, Dei beneficio, nostro & totius regni solatio de masculis hæredibus & Principe prospectum est, accipimus eosdem Principes natos, & non natos, uti etiam nos secundum naturam, omnes Christianas constitutiones, jura & consanguinitatis lineam decet, pro veris nostris & proximis Sueciæ Coronæ & Regni hæredibus, omnimodò ut postea exprimetur, irrevocabiliter, inseparabiliter & quam efficacissimè. Recessus etiam Örebroensis, velut ante super hac re à regni Senatu juratus & obsignatus est, ita nunc idem in omnibus suis capitibus & articulis quam firmissimè, uti decet, hocipso de integro confirmabimur & confirmatur. Vi hujus obligationis & literarum, hujusmodi unionem omnium nostrum juramentis & fide sanctam renovamus & repetimus, omnesque & singuli pro nobis ac posteris nostris, per Deum & sanctum ejus Verbum pollicemur & juramus, quod quia hæc successio & designatio, secundum Dei ordinationem & providentiam, veteres & receptas regni Sueciæ leges scriptas, & omnium nostrum & totius regni Senatus, Nobilitatis, Ordinum, Civitatum & universæ plebis unanime consilium, consensum & decretum, legitimè, convenienter, utiliter & ex omnium nostrum ac totius regni perpetuâ salute facta est cum Potentissimo Principe ac Domino, Dn. Gustavo, Sueonum, Gothorum & Vandalorum &c. Rege, omnium nostrum Clementissimo designato, coronato, & à Deo ordinato Rege, & Ejus Majestatis hæredibus, Principibus, natis & non natis; velut prius nostrum homagium, juramentum & fides, quibus R. Mti & Regno Sueciæ obstricti sumus, continet, fidi, obsequentes & subjecti esse volumus ac debemus, & juramentum fidelitatis, ut fidos subditos, ex Dei mandato, omnibus civilibus statutis & hujus regni veteri & legitima consuetudine decet, inviolabiliter & irrevocabiliter nunc & in posterum absque cessatione

servabimus, exsequemur & præstabimus omnia, quæ, ut fideles ubditi, Christiano nostro Regi ac Magistratui debemus, vitæ, facultatibus, uxori, liberis & omnibus nostris possessionibus non parcemus, pro R.M.te & patria, in casu necessitatis, & quando R. M. hoc postulaverit, impendendis & charissima quæque cum eo periclitabimur, fruemur, luemus, vivemus cum eo ac moriemur. si insuper (veluti tam potentium quam quorumcunque hominum vita in Dei manu ac potestate sita est) R. M. Succiæ Rex Gustavus, Dominus noster Clementissimus, ex hoc mundo ad æternam beatitudinem evocaretur & decederet, quod Deus diu proroget, promittimus, fidem damus & juramus quam firmissime, in solidum & ratum, omnes & singuli, ut ante dictum R. M. primogenitum Filium, Celsissimum Principem Dn. Ericum proximum regni Successorum, à Deo provisum & nunc designatum Regem fore, velut etiam pro nobis & nostris posteris approbamus, confirmamus & acceptamus eum pro nostro Domino ac Rege, pari modo ei fideles, morigeri & sinceri futuri. Similiter, ut ante dictum, præsenti nostro Regi ac Domino Regi Gustavo tunc ut jam, & jam ut tunc fidem datam integrè servabimus, vitam & corpus pro ipso discrimini objecturi, & ei omnibus modis auxilio & præsidio futuri omniaque illa facturi & omissuri quæ fideles & sinceros subditos, existimationis, juramenti & promissi nomine decent. Si etiam talis iterum casus accideret, ut Serenissimus noster designatus proximus Rex Dux Ericus ex Dei voluntate, Principes mares hæredes post se relinqueret, primogenitus ejus Filius regno succedet, & postea quocunque decedente, de linea in lineam, proximus natu succedet, & præerit regno, & iidem ejus Filii, nati vel nascituri, à nobis & posteris pro legitimis regni Sueciæ heredibus, designatis Regibus habebuntur & manebunt. Si verò Dux Ericus, qui nunc proximus, designatus & electus Rex est, per Dei voluntatem absque maribus Regiis & Principalibus hæredibus obiret proximè subsequens, Clementissimi nostri Domini ac Regis Filius, Celsissimus Princeps Dux Iohannes, qui juxta lineâ secundogenitus est, omninò eo modo & forma, qualis in Duce Erico expressa est, Regio imperio designatus, juratus & electus Rex Sueciæ coronæ & regno succedet. Eundem dicto modo pro nostro

Rege ac Domino quam firmissimè & irretractabiliter accipiemus, & juramentum fidelitatis ei semper, integrè, immediatè & absque omni contradictione servabimus. Parem in modum ei fideles, audientes & præsto erimus ac manebimus, etiam cum vitæ & salutis nostræ discrimine, & cum eo, ut fidos & sinceros subditos erga legitimum Dominum & Regem decet, fruemur, patiemur & subibimus quævis. Si quoque post Ducis Iohannis fatalem excessum Regii & Principales mares hæredes exstarent, primogenitus ejus Filius in regnum succederet, & postea, uti dictum, à linea ad lineam, alter post alterum, summitteretur, & velut in proxime futuri & designati nostri Regis, Ducis Erici præscriptis articulis verbotenus expressum est, servabitur & exsecutioni mandabitur, & ut ipse, sic ejus Filius natus aut nasciturus, à nobis & posteris nostris pro vero hærede regni & Coronæ Succiæ declarabitur, eligetur & jurabitur. Si etiam usuveniret, ut Dux Iohannes, qui nunc secundus in electione & successione Rex est, absque maribus hæredibus excederet vitâ, Regia dignitas & imperium in gloriosissimi Regis Gustavi Clementissimi nostri nunc imperantis Regis ac Domini minorem natu Filium, Celsissimum Principem, Ducem Magnum transferetur, & pari modo, velut verbotennus de duobus prænominatis & honorificentissime memoratis R. M. Filiis, Duce Erico & Duce Iohanne Patribus, expressum est, ita regium imperium, ut designatus juratus & confirmatus Rex Sueciæ, susceperus, proximè post alios à nobis pro nostro Rege & Domino hoc ipso efficaciter & irrevocabiliter acceptabitur, inaugurabitur & fidelitatis juramentum ei præstabitur, integre absque omni prætextu, effugio & dolo servandum. Eidem fidi, sinceri, obsequio & subsidio erimus & manebimus, pro ipso vitam & fortunas periclitaturi, cum ipso usuri, passuri & subituri quodcunq; fidos & legitimos subditos erga legitimum ipsorum Regem ac Dominum decet. Si etiam quid fatale accideret Duci Magno, proximè post cum primogenitus ejus Filius Regiam dignitatem & onus in se susciperet & hoc deficiente, à linea ad lineam, velut in Ducis Erici & Ducis Iohannis Successionis articulis declaratum est, pariter successio observabitur, qui verò proximus gradu erit, eum accipiemus & agnoscemus pro nostro & regni Sueciæ designato & electo Rege, eidem juramentum

mentum fidelitatis præstabimus sanctè servandum, pro eodem vitam & sanguinem, si necesse sit, profundemus, & porrò faciemus agemusque omnia, ad quæ fidi & sinceri subditi obligati sunt. Si etiam post Ducis Magni obitum nulli hæredes mares & Principes proximi supererent, tunc ille designatus & juratus Rex Sueciæ erit, qui proximus, secundum Dei providentiam, ex regio sanguine & maximus natu masculorum hæredum Principum superstes erit, & eo modo, à linea ad lineam, deficiente uno, subibit in locum alius in Regia familia, velut in tribus R.M. Domini nostri Clementissimi Filiis Principibus & maribus hæredibus, Duce Erico, Duce Iohanne, Duce Magno, & eorum Successionis articulis declaratum est; pariquemodo, absq; elusione & exceptione inviolabiliter & in perpetuum observabitur, consummabitur, confirmabitur, & succedetur. Proinde nos obligamus, pollicemur & juramus intervenient sacramento, nos hanc successionis legem, ut ad verbum hic concepta & expressa est, quamdiu Sereniss. Regis Gustavi, Clementissimi nostri Domini Regia & hæreditaria Familia masculà superstes erit, ratam, firmam & stabilem habituros & impleturos; & quamdiu laudatissima Regis Gustavi stirps, propago & posteri supererunt, eos pro veris nostris & genuinis Regibus, Principibus & Dominis à linea & progenie ad lineam & progeniem, ut in hac successionis constitutione declaratum est, acccepturos & agnituros, etiam cum ipso vitæ, corporis, bonorum, existimationis, salutis, uxoris, liberorum & omnium possessionum, ubi necesse fuerit, periculo. Eosdem contra omnes extraneos & internos Regni & eorum hostes (nullis cujuscunque nationis aut loci Principe aut Repub. exceptis) defendemus & propugnabimus, corpus & vitam pro iis periclitabimur, & re ipsa faciemus & præstabimus omnia, quæ legitimis nostris, naturalibus & indigenis Regibus & Dominis, & patriæ nostræ libertati, ut fideles Suecos viros & sinceros subditos decet, præstare debemus, & ad quæ Dei mandato & juramenti fidelitatis tenore obstricti sumus. Et ex hoc die nullum alium, indigenam vel alienigenam, quocunque modo unquam fieri possit, nullo excepto, pro nostro Domino & Rege agnoscemus, sed potius eum persequemur, eique corpore ac vita resistemus. Et quousque Sereniss. Rex Gustavus, & Ejus Regia

Familia & genus vivunt, eos pro noſtris & totius regni naturalibus, electis Regibus, Dominis & imperantibus Principibus, univerſi & ſinguli profitebimur & habebimus, & inde nulla inimicitia, amicitia, favore, largitione, conſanguinitate, odio, invidia, ullave alia cauſſa; nec hominum calliditate, inſtinctu aut ſeductione nos deflecti, dimoveri aut perſuaderi patiemur. Si etiam contingeret, ut indigena quiſpiam, provincia aut ditio una vel plures, nunc aut in poſterum (quod tamen Deo juvante non fiet) deficeret, vel alias motum quendam aut ſeditionem excitare vellet, nos obſtringimus, unimus, promittimus & fidem damus vi hujus juramenti & obligationis, nos hujuſmodi ſeditionem, ex Sereniſſimæ R. M. clementi voluntate, ſeriò & conjunctim oppreſſuros & punituros, ejuſque authores & ſocios nec clam nec palam recepturos nec conſilio nec facto adjuturos, aut quocunque modo victum, potum, arma, aliave neceſſaria illis ſuppeditaturos, ſed corpore & vita perſecuturos & peſſumdaturos, & tantis viribus, quantas R. M. deſideraverit, ei ſuppetias icturos. Contra omnes itidem exteſrorum impendentes incurſiones aut oppreſſiones, etiam viritim, ſi ita neceſſe fuerit, & maſculè obviam illis ibimus, nec ullum corporis aut viræ diſcrimen ſubterfugiemus. Si ita quoque accideret (quod Deus prohibeat) ut R. M. Dominus noſter Clementiſſ. Rex Guſtavus, vita prius decederet, quam proximus inpoſterum regni ſucceſſor & Rex ad juſtam ætatem perveniſſet, volumus & debemus in tali regni ſtatu (prout R. M. quatuor aut plures ex Equeſtri ordine, aut alias ad id conſtituerit, qui cum & juxta potentiſſimam Principem ac Dominam, Dn. Margaretam, Svecorum, Gothorum & Vandalorum &c. Reginam, Dominam noſtram Clementiſſimam, regnum & imperium bono publico, & in pace & quiete interim adminiſtrent) Sereniſſ. & Clementiſſ. noſtræ Reginæ, & quatuor aut pluribus juxta conſtitutis, obedientes, ſubjecti, ſolatio & auxilio eſſe, donec Dominus noſter & proximè imperaturus Rex, Dux Ericus imperio ipſe ſuccedat, eiq; præeſſe poſſit, non ſecus ac ſi ipſe cum imperio eſſet, & nos omnibus modis ut fidos & integros ſubditos geremus. Si etiam Sereniſſ. R. M. Clementiſſimus noſter Dominus, Rex Guſtavus, reliquis ſuis hæredibus, Principibus, natis

natis aut non natis, qui ad regii imperii eminentiam & dignitatem pervenire nequeunt, secundum conditum Testamentum & Principalis sustentationis tenorem, veluti Regii Testamenti tabulæ & obsignationes de eo conficiendæ & confirmandæ fusius expressuræ sint, quasdam provincias hujus regni, ex quibus Principalem statum & aulam tueantur & alant, cum Regni consensu designarit & tradiderit, erga illos Principes nobis ita constitutos, absque omni exceptione & effugio, velut naturales nostros Principes provinciales, & designatos Dominos fideles & sinceri erimus, & apud eos nihil aliud agemus aut tractabimus, quam quod fidos & integros subditos decet. Sueciæ itidem Coronæ & Regi debitum obsequium & officia præstabimus, uti fidi & regno obligati sincerique subditi ac membra debent, & velut in Testamento continebitur. Adversus hanc de successione regni æternam constitutionem & unionem, nullo prorsus modo ullam contraventionem aut contumaciam moliri volumus ac debemus, aut permittere à quoquam sive extraneo sive indigena fieri; sed conjunctim præsentibus & futuris temporibus hujusmodi Successionis pactum nostra omnium spontanea voluntate & erectis manibus accipiemus, & factis tuebimur, defendemus ac operam dabimus, ut Serenissimæ Regiæ Majestatis felicitas conservetur, pax & tranquillitas promoveatur, omne detrimentum & exitium in tempore præcaveatur, impediatur & avertatur. Si etiam usuveniret (quod Deus clementer prohibeat) ut Serenissima Regia Majestas, & Ejus Majestatis mares hæredes, Principes absque Regiis & Principiulibus hæredibus maribus decederent, & Filia una vel plures superstites essent, electio ad regni Senatum, ordines & plures regni fidos subditos, non verò ad extraneum recidet, ut Sueciæ Leges indicant. Filiabus autem Regiæ Majestatis aut posterorum illius, ex universo Regno, regiè ac principaliter, uti decet, & secundum Testamenti tenorem, de honesta dote providebimus, & reliqua capita & articulos Regii Testamenti irrevocabiliter & fideliter implebimus & exsequemur, & cetera omnia quæ in hac Successionis obligatione antea, ut & in Recessu Örebronesi & omnibus aliis deliberatis, decretis & scripto consignatis Tractationibus, Serenissimæ R. M. &

EjusHęredibus,per nos universosRegni Senatores,Ordinem Equestrem & Nobiles tam vivos quam defunctos, promissimus & stipulati sumus. Quod itidem in Regio Testamento verbotenus & articulotenus,perspicue conceptum est,si quam fidelissimè,sine dolo malo,dilatione,novis elusionibus,vel urcunque hominum astutia vel ingenium quocunque tempore excogitare potest, exsequemur,implebimus & sanctè servabimus, veluti quoque nunc universi & singuli,per omnium nostrum Christianam fidem,famam,vitam & bona,& hoc Successionis juramentum, in veram & æternam testationem, illud confimamus & roboramus. A quo nullus favor , dona, odium, æmulatio, cognatio, amicitia , inimicitia , aliive hominum affectus , consilia aut commenta quocunque modo nos deterrebunt aut depellent:ita Deus & S. ejus Euangelium nos adjuvet. In majorem rei fidem, cautionem & confirmationem, quod hæc Transactio , æternum pactum & unanimis consensio , & alia omnia quæ suprascripta sunt , ex omnium nostrum & universi Regni Senatus, Ordinis Equestris, Episcoporum, Præsulum , Ordinum , Civitatum & populi totius regni universis & singulis petitionibus, desiderio & unanimi decreto , & libero nostro arbitrio , à volentibus , in universi Sueciæ regni,Coronæ & incolarum rem,quietem & salutem facta sint,eademque promiserimus,juraverimus,confirmaverimus & approbaverimus , omnes prænominati R. M. regni & imperii Senatores universi & singuli , omnium reliquorum collegarum, & universorum Regni Ordinum, Vrbium & universæ plebis nomine, tam præsentium quam absentium , pro se quisque & suis hæredibus ac posteris , in perpetuam testificationem , quod omnia supra scripta rata & firma futura sint , omnium nostrum propria & hæreditaria Sigilla , scienter appendi curavimus. Datum & scriptum Arhosiæ, Octava Epiphan. Domini, quæ erat decima tertia dies Ianuarii Anno MDXLIV.

LEX

LEX ANNONARIA, ET DE ILLICITIS COMMERCIIS.

Al
an
1546.

Upsaliæ anno MDXLVI. a.d. xxv. Februarii, publicata.

I. SEges demessa & granariis condita majori pretio non ematur aut vendatur, quam in nundinis Disensibus proclamatum, & omnium consensu approbatum est.

II. Omnes illegitimi mercatores vicatim merces suas distrahentes, & omnes alii negociatores non ordinarii in urbibus abrogantor, veluti nobiles, præfecti, prætores, opifices, equites sclopetarii, milites nautici aljive R.M. aliorumve ministri non exponant aut circumferant ullas merces venales sive in urbibus sive pagis. Sed si quis mercatura & civili victum quærendi genere uti velit, cum civibus onera publica ferat.

III. Nemo peregrini hominis pecuniâ commercia exerceat. Si quis alienam pecuniam usurpare vel mutuò sumere velit, ea palam utatur, in nullius fraudem & detrimentum, sed ut Leges Sueticæ & hæc Constitutio exprimunt.

IV. Nulli licitum sit marcaturam facere, nisi in bonis habeat, & peritus mercaturæ sit. Itaque in singulis emporiis aliquot prudentes & fidi cives constituantur, qui sedulam ejus rei curam & inspectionem habeant.

V. In omnibus emporiis non cuivis permittatur pro lubitu quibusvis mercibus negociationem exercere. Sed qui tabernam vult aperire, tabernarias aut institorias merces vendat, alius pannum lineum, alius laneum, alius aromata venalia habeat, quidam salem & lupulum salictarium, pisces, butyrum & alia hujusmodi vendant.

VI. Quilibet opifex suam rem & opificium tractet, alter alteri in suo victus genere non molestiæ, impedimento, præjudicio aut detrimento sit. Opifex prorsus abstinebit mercaturâ, & mercator opificio. Nullus etiam mercator aut institor hujusmodi manu aut opere facta huc advehat, per quæ opificia perdantur aut destruantur. In quolibet opificio constituantur tribuni vel seniores, qui semper curam & inspectionem opificum habeant, ut bonum & inculpatum opus fac'ant.

VII. Qui

VII. Qui ruri opificio aut mercatura uti volet, in urbem migret, ibique ritè utatur, cum civibus regni ac civitatis onera portando, exceptis plebeiis opificibus necessariis ruri permittendis.

VIII. Sacerdotibus mercaturam exercere prorsus interdicitur. Illi quæ Deus ipsis mandavit curent, & mercatores sua tractare sinant.

IX. Omnes urbes & oppida singulis annis aliquoties omni inutili turba purgentur: ut coloni, cum opus fuerit, inde operas auxiliaares in agris & pratis habeant.

X. Omne esculentum, veluti vivi boves & alia pecora siccata aut salita caro, butyrum, omnis generis pisces saliti aut siccati ad tempus evehi regno vetantur.

XI. Frequens illa navigatio lembis & scaphis hactenus instituta inposterum non permittatur, sed in quavis urbe maritima definiatur numerus onerariarum navium in mare emittendarum.

XII. Ne quis clam negocietur in alterius fraudem aut incommodum, & ut constet, quæ merces quotannis regno evehantur, accuratè per partes annotetur.

XIII. Mercatores qui exportandis & invehendis mercibus quæstum faciunt, ante omnia huc invehant & curent tantum salis, lupuli salictarii, pannorum aliarumque hujusmodi exoticarum mercium, ut populo de necessariis prospiciatur.

XIV. Iidem mercatores hujusmodi necessarias merces sibi comparent in istis locis & urbibus, ex quibus alii extranei petunt: ne per tot manus eant indeque pretium earum intendatur.

XV. Nulli rustici emant ac supprimant frumentum vel alia esculenta, ad iterum distrahendum. Qui vero frumentum vel annonam ad Montanos aliove devehere ac vendere velint, illis integrum sit, quantum ex proprio prædio & agro percipere possint. Qui tamen ferrum pro permutato aut vendito frumento recipiunt, & quidem plus quam ipsi egeant, ad proxima emporia illud devehant ibique vendant, non verò vicatim distrahant.

XV. Plebs rusticorum & cives urbium eo vestimentorum genere quilibet pro suo statu & conditione, quo parentes & ma-

majores eorum contenti fuere. Splendor enim & superbia nulli est usui, sed in Dei offensam & publicæ ac privatæ rei detrimentum cedit. Colonorum optimus ornatus est ut agrum & prata bene culta & septa habeant, polentam & farinam in horreis, & escam in domo.

XVI. Ex omnibus rebus venalibus, in nostro solo natis aut productis, juxta veram & sedulam æstimationem ac taxationem tertia pars pretii, præter omne lucrum, detrahatur.

XVII. Omnes opifices cujuscunque generis, tertiam partem de manus pretio deducant.

XVIII. Omnes pro mercede servientes æqua mercede annua per æqualem deductionem, pro temporis & regionis conditione contenti sint.

XIX. De pecunia pro victu sive hebdomadali in urbibus, sive diurno ruri & pabulo equorum nocturno secundum cujusvis loci conditionem tertia quoque portio deducatur.

XX. Hi articuli inviolabiliter servantor. Mulcta in violatores prima vice quadraginta marcarum cum publicatione rerum illicitè emtarum aut venditarum decernitor. Iteranti transgressionem capital & publicatio bonorum esto.

CONSTVTIO REGIA

De Annonæ caritatis caussis & remediis, Gripsholmiæ 4. April. anno MDXLVI. publicata.

IN Comitiis Arbogensibus actum est de annonæ caritate, qua regnum & subditi tunc oppido premebantur, ejus causis & remediis. Primò universè propositum quod in confesso esset, hujusmodi annonæ gravitatem aliasque plagas publicas, quibus Deus interdum in regna & respublicas animadvertit, Dei permissu velut peccatorum flagra hominibus infligi; tamen singulos

rem seriò pensitantes inficias ire non posse, hujus mali publici causam & culpam etiam in plebis incuria & inertia residere. Dein per partes ad mali fontem & emendandi modos propius
1. descensum est. In oris Septentrionalioribus, velut Dalia, Helsingia, Gestricia, Angermannia, Medelpadia & Bothnia rei frumentariæ incendium inde ortum probatur, quod crescente populo tamen parum agri colatur, & prædia in multas partes ab inquilinis dividantur, quibus alimenta non sufficiant. His ut remedium fiat, Rex cum Ordinibus præcipit, ut quisque pro suis facultatibus subigat, eradicet & colat agros & prata, atque exustis superfluis nemorum partibus, fundos segetis patientes reddat, & novas villas ac prædia exstruat, quibus loci commoditas non deest: ut ita agri ac frumentum inde locupletentur, & populo victus copia præsto sit. Desidibus pœna, gnavis immunitas ad tempus & oneribus
2. publicis promittitur. Quum hoc quoque annonæ difficultati causam præbeat, quod in dictis oris coloni plus agrorum occupent & instruant, quam opus sit, quique pluribus sufficere possint, aliis autem juxtim colere volentibus invidiæ atque obstaculo sint, idem Rex severè interdicit, vetatque plures fundos instruere, quam quibus excolendis satis habiles sint, nec alios novas villas instruere citra ipsorum detrimentum parantes, ex malitia aut livore impediant. Reos quadraginta
3. marcis mulctandos, vim facientes, ex lege puniendos. Quibus autem denegetur dicto modo nova prædia exstruere, si nullam aliam victus quærendi viam videant, mercaturam exercere, & quidem vicatim cum non exiguo regni & subditorum incommodo. quod Rex seriò prohibet, & vel in urbem migrare, ibique onera publica cum aliis civibus subeundo mercaturam facere, vel si hoc non possit, agrum colere jubet, sub mulcta quadraginta marcarum & mercium jactura prima vice, secundò centum marcarum, tertiò capitis pœna.
4. Sed & hanc non levem annonæ flagellationis causam esse, quod nemo colonorum velit liberos suos honestum aliquod opificium discere, unde se exhibere possint, sed sibi invicem oneri esse, aut alimentis deficientibus vagari ac discurrere per provincias, & ad triturandam segetem operam locare, non tamen pro pecunia, sed pro certis & æqualibus frumenti modiis, sive gravi sive vili annona. per quod magna parte segetis

getis agricolas exhauriant, ita ut tempore verno, quando sementis facienda, nonnunquam plus frumenti trituratores quam ipsi coloni possideant. cujus pretium domum redeuntes pro lubitu intendant, aut pro piscibus permutent, quos vendendo iterum segete commutent, & tam pisces quam segetem magno denique vendant, cum non exiguo subditorum detrimento. Proinde Rex seriò edicit, has operas inposterum non pro segetis modiis, ut hactenus, sed pro æqua mercede diurna aut annua pro cujusque conditione locandas esse & tam æstatis ac messis quam hyemali tempore, ut colonis, quoties opus est, ususi esse possint. Idem de servis, quorum opera per annum conducta est, accipi vult, ut pro pecunia non frumento serviant. Annonæ flagellatoribus in- 5.
super interdicitur cumulare frumentum & pro nimio pretio vendere apud montanos vel alios, aut plus ferri pro segete commutare, quam ad usum suum. aut si plus acceperint, non vicatim distrahere, sed in proximis emporiis pro usitato & definito pretio vendere. Quosdam porrò majora prædia conducere, quam quibus rite colendis pares sint. in quibus si duos vel tres annos habitarint, & agrum attenuarint atque effætum reddiderint, inde demigrare magno ære alieno prædii domino nexos, & alibi domicilium desultorio more figere, ibique parem fraudem facere. quod præfectos suos sedulo præcavere & antevertere Gustavus jubet. A Editui quoque 6.
vetantur Decimarum fructus autumno vili coemere & vere, ubi crevit pretium, magno vendere, sub pœna ante expressa. Idem providebunt ut Decimæ justè exigantur, nec eorum incuriâ deteriores reddantur, sub pœna restitutionis damni. Sed & pecuariæ majorem curam habere subditi jubentur in 7.
subsidium ac lætamen agri, & relevationem annonæ difficultatis; velut in VVestrogothia & Smalandia faciant; licet ibi minor agriculturæ cura sit, quam usus & non aliena prorsus loci facies postulet. Subditos ad agrum melius colendum sub 8.
pœna hortatur. Luxus etiam in vestitu, cibo & potu, ut non infima annonæ difficultatis causa, prohibetur, modicus & avitus corporis cultus & frugalitas præcipitur; & ut agrum bene cultum, pecus nitidum & curatius habeant, ni offensam regiam incurrere velint. Præcipua tamen annonæ caritatis 9.
causa feruntur tot à plebe malorum instinctu motæ seditiones:

nes: ad quas comprimendas copiis tam externis quam indigenis opus fuerit, quæ regni fructus absumserunt, terras populatæ sunt, bonam monetam aliasque facultates regno exercerunt; ut alia mala, quæ intestinas turbas comitari solent, sileantur. quibus sacerdotes occurrere potuissent, si absque palpo, & seriò suos auditores ad obedientiam & fidem erga suum magistratum adhortati fuissent, cujus tam ipsos quam subditos sub religione juramenti sibi præstiti & periculo regiæ
10. offensæ monet. Propoliis etiam annonâ incendentibus interdicitur, & coemtione rerum venalium pro alieno ære, quasi suum esset, cum exiguo suo sed ingenti peregrinorum lucro & majori civiũ incommodo, sub pœna ante dicta XL. marcarũ prima vice & jactura rerum emtarum, altera vice centum, tertia capitis supplicio, salvo tamen mutuo aliisq; licitis contra-
11. ctibus. Vltimo quæ alia in Nundinis Diisensibus hoc anno Vpsaliæ super hac re constituta erunt, hîc repetuntur cum addita pœna in immorigeros.

Ad annum 1555.

DIPLOMA GVSTAVI I.

Regis Sueciæ &c.

DE CAVSSIS INOPIÆ AGRICOLARUM, & imminutarum Coronæ pensionum ac census, earumque remediis.

NOs Gustavus Dei gratia, Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, denunciamus Vobis, Nobis dilectis & & fidelibus subditis, tam liberis, quam Nostris & Regni Sueciæ censualibus rusticis, colonis & universæ plebi in Sueciæ regno habitantibus Regium nostrum favorem & gratiam, & vobis, dilecti subditi, notum facimus, quia verè cognovimus, quid causæ sit, quod pars colonorum ad egestatem magis magisque redigantur, ita ut nec ipsi vitam suam satis tueri, nec Nobis, Coronæ & dominis suis debitas pensiones ac censum exsolvere, nec Ecclesiasticis personis, spiritualibus suis patribus Decimas ex veteri consuetudine, aliaque tributa lege Dei & Sueonum debita satis pendere possint, nec suos boves, sues, oves & equos per annum alere possint, sed per incuriam fame perire sinant, sibi & aliis quibus pensiones debent, haud exiguo detrimento.

Quia

Quia verò Regii officii nomine tenemur, Sueciæ Coronæ & omnium Nostrorum subditorum damna & perniciem pro viribus præcavere & avertere, proinde bono & paterno animo hoc vos monebimus, ut discatis, unde vestrum & Coronæ detrimentum exoriatur, atque si chari subditi paternum nostrum consilium & fidelem commonefactionem sequi velitis, speramus cum Deo, vos vestram conditionem & fortunam meliorem facturos, & in posterum pensiones ac censum jure debitum facilius præstituros.

I. Animadvertimus autem, Coronæ & Vestrum detrimentum ex his caussis oriri: Plebem hujusmodi prava & damnosa consuetudo incessit, ut plus agrorum, quidam emtione quidam hæreditate aut divisione sibi adquirere & cumulare velint, quam sufficiant commodè usurpandis, & ad eorum prædia jure pertineant. Quando censualia quædam prædia hæreditatis jure ad quosdam perveniunt, vel ad liberos defuncti, separare & dividere volunt isthæc bona Coronæ censum debentia, prorsus ut alia mobilia in partes distribuere & secernere solent; ita ut quilibet suam portionem capiat, unus prata prædio villatico, alter agrum abstrahit, tertius undas piscium feraces, quartus nemora. Atque sic distrahuntur istæ possessiones in alia prædia, quibus jure subjacere non debebant, & Coronæ jura ac beneficia hoc ipso multum decurtantur & diminuuntur & perfidè ac furtivè cum corona agitur, & proh dolor! indulgetur. Res tandem hunc exitum habet, ut prædia olim bene possessa in tot partes secentur, ut vix denuò reperiri possint. Et ubi Corona olim habebat in una paræcia decem aut viginti colonos censiticos, jam vix habet duos aut tres. Quod Nobis utique ferendum non est, ut hoc modo cum Coronæ reditibus ludatur. Non leve utique damnum Coronæ est, eo jacturam fieri pensionum, veredorum præstandorum, operarum diurnarum, & aliarum contributionum.

II. Quidam agricolæ tam pertinaces, ignavi & proprio-rum commodorum negligentes sunt, ut quotannis aliam atque aliam agri partem incultam relinquant & sterilescere sinant, & pari modo prata. Ita ut more majorum parta rectè tueri nolint. Sigillatim veteres fossas reparare illis iniquum videtur, sed funditus eas devastari æquo animo patiuntur.

III. Quæ

III. Quæ non consita in agro relinquunrur, & alias fructui esse possent, per moram, ignaviam & incuriam sues depascere permittunt, atque ita nec segetem nec gramen nanciscuntur, & quæ usui esse debebant vaccis aliique pecori, consumunt sues, pecora verò fame contabescunt: quod utique indignum est, & privatim publiceque noxium. Nec minus nos malè habet, illam pauperiem quam porci faciunt, impune haberi.

IV. Si quidam colonorum libenter velint sartos tectos vel integros tueri agros & prata, aggeres & fossas faciendo & eradicando, aliaque præstando, quibus bonus agricola scit vitam exhibere, per alios ejusdem pagi colonos ipsis non licet. Si unus enim fossas ducere & exstirpare inutilia gignentia velit, alter vicinus recusat, alterique damnum exundatione infert. Vnde consequitur tandem, ut non solum colonis invicem sed toti regioni fraus fiat, inarati & inculti agri velut solitudine damnati jaceant. Et ubi antea terræ uber & solum herbidum fuit, nunc sit paluſtre & uliginosum, ibique muscus & paluſtres baccæ nascantur. Sed quid inde commodi & fortunarum illi quorum interest inde capturi sint, in promtu cuivis est judicare. Quia verò nobilium agricolæ in uno pago degunt, & communes habent agros & prata cum censualibus & coronæ rusticis, æquè colant, ut decet, suos agros & prata, fossas & septa circumducant ut censuales & coronæ coloni; nisi damno æstimato severe mulctari & plecti velint.

V. Hanc etiam non levem causſam hujus modi incommodi esse deprehendimus, quod nonnulli rustici nunquam fixum domicilium habeant, sed oberrent passim per ignaviam ex uno prædio in aliud migrantes, illudque perdentes & secum alios. Tales errones non ferendi sunt inter bonos viros.

VI. Sed & prætorum ac præfectorum ruris hic culpa versatur, qui cochlearis argentei vel alterius muneris causſa, quo se corrumpi patiuntur, frugi & industrium colonum prædio ejiciunt & locant illud inutili terræ ponderi. quod sub gravi nostra offensa & poena eos inposterum evitare jubemus.

VII. Sed & rusticorum nonnulli negligunt totius agri cultum, & partem ejus duntaxat colunt, partem reliquam sterilescere sinunt: ita ut qui conserere deberēt agrum triginta vel qua-

quadraginta orcarum, vix octo vel decem ferant. unde sibi ipsis egestatem & Coronæ detrimentum pariunt.

VIII. Sed & verum sationis tempus est in vere, præsertim ubi luteum solum est, ante nundinas Ericianas, cum tamen ante Pentecostes ferias seri soleat: quod cautus colonus non debebat. Et quia solum propter sata fossæ expertia in tempore non exsiccatur, inde sæpe sterilescit, vel in prata aut pascua taurorum, vitulorum aut vaccarum redigitur, donec totus ferme ager inutilis reddatur, cum gravi Coronæ damno, in posterum non tolerando.

IX. Magis etiam Nobis ē re videtur, boves aratores & quibus messis in horrea subvehatur, quam equos majori impensa alere.

X. In rem etiam foret, vos computare temporis intervallum inter Matthiæ & VValburgis diem, & rationem inire cum numero vestri pecoris, & quantum pabuli exigatur ad illud per hyemem alendum: atque si animadverteretis pabulum ei alendo non suffecturum, præstaret mactari pecus (quamvis ali, si queat, satius sit) quam fame perire: quod coram Deo & hominibus excusari nequit. Deus quoque benignē alia media in defectu aut non magnâ copiâ foeni, alendi pecora suppeditavit, velut stramē, virgultum betulę, juncum, scirpum, corticē & alia hujusmodi, quæ industriis obvia sunt.

XI. Vltimò quod foenum & seges justo tempore in horrea non condantur, ut fas erat, sed per negligentiam deperdantur, in caussa sunt otiosi dies & festa Dominica quæ post sacra peracta conviviis aut aliis inutilibus rebus transiguntur. quidam etiam hac falsa opinione imbuti sunt, ut putent, hoc verē esse dies festos celebrare, si nihil agant, quod tamen directè Dei præceptis pugnat. Itaque paternè vos monitos volumus, ut temporis rationem in condendis segete & fœno habeatis. Sed & nimio humore seges tempore messis corrumpitur, quod rustici nolunt sibi procurare siros vel conditoria frumenti, uti moris est in Finnonia, in quibus siccare segetem possint, sed potius in agro relinquunt, donec pluvia & madore computrescat, aut semisiccam invehunt in horrea, ubi postea amburitur & disperditur. Itaque vobis exstruite conditoria qualia Finni habent, ne vestrâ incuriâ ad incitas planè redigamini & totæ vobiscum regiones.

XII. Hisce

XII. Hisce, caussis hactenus enumeratis si remedia præscripta opposueritis & paternis nostris monitis ac jussis obtemperaveritis, Nos benevolos ac promptos ad salutem vestram pro virili procurandam habebitis, si secus, severos inobedientiæ vindices. Omnes & singulos Nobiles, Iudices provinciales & territoriales præfectos & prætores hortamur, sedulò curent, ut huic Nostro Regio mandato in omnibus clausulis mos geratur, & in contumaces ac immorigeros seriò animadvertatur. Iubemus etiam Nostrarum & Coronæ possessionum inspectores & inquisitores officium suum rectè exsequi, prout coram Deo, Nobis & omnibus honestis viris rationem reddere cogitant. Quicunque hic fraudem fecerit, præter mulctam XL marcarum, damnum Coronæ resarciet. Quod omnes & singulos observare volumus. Datum Holmiæ 20. Iunii Anno MDLV.

Ad annum 1556.

FOEDVS COMMERCIORVM
inter
SVECOS
&
FRISIOS ORIENTALES.

Excerptũ ex Vbbonis Emmii rer Frisic. hist. lib IX. p. 954. 955. & collatũ cũ eo quod exstat in Annalibus Suecicis Erici Georgii parte 2. pag. 344. 345.

I. SVEcis jus esto liberè & absque impendio vectigalium cujuscunque generis in omnibus oppidis ac locis Frisiæ orientalis, quæ Comitibus parent, negotiari, importare, exportare, distrahere, emere, commutare, sive per se, sive per procuratores suos. Excipitur exportatio in VVestfaliam, ditionem Groninganam, Frisiam Translavicanam, propterea quod ea loca portui Emdano nimium sint vicina. Idem jus habento Emdani & omnes Frisiæ orientalis incolæ per universum regnum Sueciæ, (*a*) præsertim Stocholmiæ, Nicopiæ, Sudercopiæ, Calmariæ, Nilosiæ; ita ut ne profiteri quidem res istic emtas, quas exportare volent, habeant necesse. (*b*)

II. Ad

II. Ad hæc Suecis licebit merces in Frisiam orientalem importatas, si eas ex usu suo vendere aut permutare non potuerint, etiam in conditoriis repositas, sine vectigali exportare istinc quocunque lubebit: licebit idipsum Emdensibus, & reliquis Frisiam hanc habitantibus, in Suecia.

III. Impostores nomen Suecicum aut Frisicum mentientes non comprehenduntor. (c)

IV. Sueci domicilium fixuri in Frisia Orientali, & Frisii Orientales in Suecia à tributis in sumtus familiarum aut mensarum suarum omni modo exemti sunto. (d)

V. Emdanis & reliquis Frisiis Orientalibus fas non esto merces Suecicas in in Suecia emtas aliò (e) quam in portum Emdanum, aut hujus regionis portus cæteros cis Visurgim fluvium inferre; nisi tempestatis vis major proximum quemque portum subire coëgerit, exceptis portubus hostium regis: & contra.

VI. His feliciter cedentibus, ad ulteriora eatur utrorumque commoda & juris incrementa, ut nec hos in Suecia, nec illos in Frisia Orientali ad judices vocare liceat, (f) nisi ob causas ex contractibus heic aut illic initis ortas. Ad has verò causas disceptandas ex ipsis utriusque gentis mercatoribus eorundem, ipsorum arbitrio seniores designentur, qui judicum locum teneant: à quibus ad judices ordinarios appellatio sit, si quis gravatum se sententiâ existimet.

VII. Sed quia gubernatrix Frisiæ Orientalis tutoriam tantùm potestatem habebat, atque ita diutius obligare filios, quàm ipsi vellent, non poterat, eam ob causam lex addita est, ut hæc valerent, quamdiu & regi Gustavo, & gubernatricis filiis id esset placiturum: nisi interea inter utrosque sanctius aliquod fœdus interveniret. Omnia sine dolo malo.

COLLATIO.

(a) Hæc verba non exstant in Fœdere commerciorum, quod memoriæ prodidit Chronicon Gustavi I. Sueticum: sed hæc sunt isthic verba: *Liberam mercaturam illis facere liceat in his subjectis regni maritimis urbibus, Stocholmia, Nicopia, Sudercopia, Calmaria, Aboa & Elfsburgo, aliàs Nilosia.*

(b) Nec ista verba ibi reperiuntur, sed hæc: *Pro mercibus, quas ex Frisia Orientali in dictas urbes invecturi ibique venditurí sunt, iterum emant aut permutent omnis generis Sueticas merces, quæ in regno communiter distrahuntur, & quibus regnum carere potest; & quidem absque omni vectigalium onere.*

(c) Hæc verba quoque aliter concepta sunt in Annalibus Sueticis, hoc nimirum modo: *Si quis non habitans in Suecia easdem merces Sueticas emat, vectigal inde pendere tenebitur, ut alii, qui tali immunitate non gaudent. Sedulò quoque utrinque curetur, ut hujusmodi advectiones, emtiones & venditiones absque fraude & periculo fiant.*

(d) Et hîc alius verborum sensus est in Annalib. Suetic. talis nimirum: *Omnes mercatores habitantes in Suecia & Frisiam orientalem accedentes, si isthic negocientur & sibi ipsis de domo ac victu prospiciant, immunes isthic erunt quoad cibum & potum ab omni vectigali & onere, idque purè & simpliciter absque omni exceptione. Pari modo Frisii Orientales in Suecia commercantes eadem immunitate fruentur.*

(e) In Annalib. Suec. est. *Nec ad ullas urbes maritimas maris Balthici.*

(f) *In civilibus*, additur in Chronico Suetico. quamvis idem sequentia verba *ob causas ex contractibus initis ortas* velle videantur.

Ad annum 1559.

PRIVILEGIA SVECORVM IN GALLIA,

inito Fœdere commerciorum inter GVSTAVUM I. Regem Sueciæ & FRANCISCVM I. Regem Galliæ.

I. SVecis absque omni molestia & impedimento liberè peregrinari & iter facere per totam Galliam terra marique liceat, ibique negotiari, emere & vendere prorsus, ut propriis istius regni subditis permissum est, nec ullum aliud vectigal isthic pendere teneantur, quam subditi consueti sunt præstare.

II. Iidem

II. Idem pondere, mensura & numero mercium ad eos pertinentium non magis in Gallia gravabuntur quam ejus subditi, nec plus pro iis expendent aut exigentur, quam loci subditi. Qui secus faxit, omnes expensas & damnum illis luet.

III. Si quibus Suecorum in Galliam proficisci & istic permanere lubeat, illis hoc integrum erit, modo Rex Galliæ aut eorum successores eo nomine per literas compellentur. Illis quoque licebit testamento legitime condito legata quibuscunque voluerint vel suprema voluntate, vel dum integra sunt valetudine, relinquere. Si quid donare velint, secundum loci statuta & mores donent. De bonis suis sive soli sive mobilibus ordinent & constituant, ut alii regni incolæ.

IV. Si verò accidat, ut pax, amicitia & fœdus inter Sueciam & Galliam initum ob quascunq; causas aut casus frangatur, aut bellum oriatur inter Regem Galliæ, aut alios Reges, Principes & Respublicas, per quod commercia in Gallia turbentur ac impediantur, Suecis isthic habitantibus intra anni spatium, à tempore fractæ pacis, cum navibus, mercibus & bonis suis regno excedere licebit.

V. Si Rex Galliæ gerat bellum cum alio Principe quam Rege Sueciæ, cuivis Sueco liberum erit quoties velit, ultrò citroque commeare, ire, redire, nec quoad corpus, & fortunas & bona lædetur aut impedietur, ea tamen conditione, ne sub specie pacis mali quid per se vel alios machinetur adversus Galliam.

VI. Omnibus Sueciæ subditis liberum erit cum navibus suis, mercibus & commerciis proficisci ad Galliæ hostes & inimicos eorumque portus, regiones & terras ubicunque eis commodum videatur, subsistere & commercari, abire & redire, quando volent: ita ut ea de causa non dicantur violasse pacem, aut mali quid eis inferatur à Francis. Et ut Sueci tempore belli commercia eò tutius & absque omni molestia exercere possint, dabuntur illis literæ tuti commeatus, quandocunque desiderabunt.

VII. Licebit etiam Suecis in Gallia tantum salis emere, quanto ad totius regni Sueciæ usum & necessitatem opus fuerit, pro eo pretio de quo inter emtorem & venditorem convenire poterit, & Gallię subditi inter se vendiderint: idque absque omni impedimento evehetur.

VII. Si dissidium aut lis suboriatur inter Suecos de eorum navibus, commerciis aut aliis rebus dum in Gallia commorantur, eis permittetur, controversiæ citius terminandæ causa, ex suis eligere judices vel arbitros duos aut quatuor qui litem inter eos decidant.

IX. Lite inter Succos & Francos aliamve nationem in regno Galliæ orta, à magistratu & præfectis prope oras maritimas degentibus aliquot viri à studio partium alieni deligentur, qui omni diligentia jus illis dicant.

X. Sueci cujuscunque nationis causa non cogentur in Gallia vilius vendere merces suas, quam justum pretium esse possit, sed quam charissimè possint. Hæ literæ Regia Francisci manu subscriptæ & Regio sigillo subsignatæ sunt. Actum Ambasiæ septimo Calend. April. Anno 1559.

TESTAMENTUM GUSTAVI I. REGIS SVECIÆ, &c.

Ad A. 1560.

In æternæ & individuæ SS. Trinitatis, Dei Patris Filii & Spiritus Sancti nomine, Nos Gustavus, ex eadem Dei gratia, Suecorum, Gothorum & Vandalorum &c. Rex, notum facimus & manifestè fatemur, quod omni vitæ nostræ tempore, & peculiariter ab imperii nostri primordio usque ad præsentem horam summo studio ac desiderio id laboravimus & quæsivimus, ut hoc inclutum Regnum Sueciæ, dilecta nostra patria à vi, turbis, dissidiis, discordia & omni alio discrimine defenderetur ac protegeretur, & in omni felicitate ac salute, tam æterna quam temporali custodiretur, amplificaretur & conservaretur. Veluti etiam sub initium fiebat, ubi senex captivus & crudelis Christiernus antea Daniæ Rex, immanissimè & inimicissime multi innocentis sanguinis effusione, rapinis, incendiis, suspendiis, rotarum suppliciis & crebris tyrannicis persequutionibus, hoc nostrum Regnum, exutâ omni mi-

miſericordia & humanitate, infeſtabat, populabatur & devaſtabat. quippe ejus propoſitum & tyrannica mens ad nihil aliud directa ac ac propenſa erat, quam ad hujus incluti Regni æternam perniciem, & ingenui Suetici ſanguinis ac generis, ſuperioris & inferioris ordinis, exſtirpationem, Legum, juris & juſtitiæ oppreſſionem, & ad regnum hoc perpetuo ac intolerabili jugo externo ac vi ſubjiciendum, & tam irreparabili excidio mactandum, ut nunquam inpoſterum reſurgeret; cum pluribus hujusmodi, quæ hîc recenſere nimis longum foret. Qua re moti ſumus & compulſi debito amore & benevolentia erga charam noſtram patria, tantum Regni onus in Nos recipere, per quod Nos variis curis, ærumnis & adverſitatibus, nec exiguo vitæ & corporis periculo, velut prædæ expoſuimus & objecimus: quum nullus alius vellet ſuccurrere dilectæ noſtræ patriæ à tanta calamitate & ſævitia liberandæ, & maxima pars ordinis Equeſtris, & præcipua regni membra internecione miſerè deleta eſſent. Quamvis autem ubique pericula impenderent graviſſima, non tamen ab illis Nos averti aut abſterreri paſſi ſumus, ſed de viâ tantis anguſtiis, incommodis & inſtanti exitio prævertendi, & hoc oppreſſum ac funditus ferme deletum regnum, à devaſtatoris vi ac tyrannide, benignâ Dei ope, liberandi & priſtinæ libertati, genio ac viribus reſtituendi cogitavimus & conniſi ſumus. Vnde etiam omnipotens Deus hoc noſtrum Chriſtianum, honeſtum & juſtum inſtitutum ac opus fortuna & ſucceſſu (pro quo ipſi ſit gloria, grates & laus in æternum) ſemper donavit, promovit & firmavit, hoc modo ut non ſolum ſecundum divinum ejus auxilium, hoc regnum intolerabili jugo, quod eo tempore cervicibus illius incumbebat, eriperemus, & in priſtinam dignitatem ac libertatem reponeremus, ſubditos tam eminentioris quam humilioris ſtatus ad quietem, pacem & bonam politiam, omnium fortunas, bona ac poſſeſſiones reduceremus, ſed etiam brevi poſt, de Dei ſancto, puro ac ſalutari verbo, quod ea tempeſtate hîc in regno, velut aliis quoque regnis ac rebuspublicis mundi obſcuratum & ferme exſtinctum erat, illis bene proſpiceremus, multum offenſionis, periculoſas machinationes & pravas inſidias eo nomine perpeſſi & eluctati, & ab ipſo imperii noſtri initio, ſumma providentia, impenſa, labo-

labore, & proprii nostri corporis virium attenuatione operam daremus, ut quod exhaustum, deperditum & enervatum reperimus & occupavimus, ad illam rursus felicitatem & vigorem, in quo nunc est, redire & conservari posset: cui rei etiam in posterum semper, ut hactenus, pro viribus animum & curas intendemus, nullique operæ parcemus. Quum autem haud ignoremus, & ut Christianus Rex, pensitare queamus, omnipotentem Deum totum genus humanum, peccati caussa, temporali morti, ad æternæ vitæ ingressum, subjecisse, & omnes homines nihil certius exspectandum habere quam mortem, nihil incertius verò quam tempus & horam mortis & excessus sui, Nobis verò & Regio nostro officio incumbat, amor & fides quibus affecti sumus erga Nostrum hoc regnum, postulent, ut tam â fatali Nostro decessu, quam vitæ Nostræ tempore quam optimè curetur & administretur, hæc omnia & alia pro rei momentis observanda, integrâ adhuc valetudine, paternè & fideliter ponderavimus, & propterea consultò & bene deliberato animo de hac suprema Nostra voluntate disposuimus, eamque ex Regia Nostra authoritate, potestate & eminentia, Nostris hæredibus Principibus, dilectis Nostris Liberis, ut & Regni Nostri subditis, superioris & inferioris ordinis, hoc ipso in perpetuam rei memoriam publicari curavimus, & nunc publicari curamus; quam omnes & singuli, omnibus modis, nullo excepto, tã fideliter, firmiter & inviolabiliter in perpetuum servare, exequi & absq; ulla mutatione conjunctim implere & corroborare tenebuntur, quã subjecta eorum obligatio, devotio, honor, Christiana fides & promissa, quibus Nobis obstricti & devincti sunt, hoc exigunt & poscunt, atque prout eos sub Christianæ animarum salutis & cœlestis hæreditatis periculo hoc seriò monemus, & confidenter Nobis pollicemur.

Primò gratias agimus & celebramus omnipotentissimum Deum, quod Nos ad propriam suam imaginem, & cohæredes æternæ vitæ creaverit, & Sancto suo Spiritu illustrarit. Deinde quod Nos ad hoc grave onus & Regiæ coronæ dignitatem vocarit & evexerit, & ab ipsis imperii Nostri principiis, jam per triginta octo annos largis suis donis & paterna ope semper benignè ornarit, protexerit & tutatus sit; ita ut Nostrum Regnum adversus varias tribulationes, atroces molitiones

liriones & callida consilia, in pace, tranquillitate & bono imperio, velut ante dictum, defenderimus & conservarimus, subditorum nostrorum animas pretioso & salutari thesauro S. Euangelii cibari & sustentari curaverimus, ad illam prosperitatem, existimationem & statum, in quo nunc degunt, eos extulerimus, cum intimo desiderio & voto, ut divina ejus benignitas illis porrò & in perpetuum omnem felicitatem & salutem clementer largiri velit, quo ulterius in ea crescant, augeantur & floreant, & ab omni malo ac incommdio eos protegat ac servet. Nos verò ex hac calamitatis valle, in sacra redemtoris nostri Iesu Christi & professâ veritate, ad æternum gaudium & electorum consortium provehat: quod fidei nostræ confessio & animæ viaticum erit ac manebit. Sed corpus Nostrum terræ commendamus ad Regias & honorificas exsequias in æde Nostra Domicana Vpsaliensi, una cum dilectissimis Nostris Conjugibus, quando Deo Nos hinc ex mundo evocare placuerit. Postmodum tradimus hoc ipso Regiam Nostram Coronam, Sellam & Sceptrum dilecto Nobis maximo natu Filio, Serenissimo Principi ac Domino, Dn. Erico Dei gratia, ut vero Suecorum, Gothorum, & Vandalorum &c. designato Regi & ejus successoribus, legitimis hæredibus masculis, & attribuimus Ipsi talem Majestatem, eminentiam & potestatem fruendam, utendam & tuendam, qualem Vnio hæreditaria, ante aliquot annos Arhosiæ ab universi Regni Ordinibus ac membris sancita, & ad eorum intentas preces & desideria ab omni parte rata habita atque approbata, evidentius & prolixius in literâ exprimit & declarat: quam ideò quoque hic recogniram volumus. Præter hæc etiam jubemus ipsum ante omnia Dei gloriam ejusq; sacrum & salutiferum verbum amare & tutari; idem, velut Nos omnipotentis auxilio illud instituimus & in lucem reduci curavimus, porrò in incorruptâ doctrinâ, absque ulla superstitione aut humana traditione propagari & prædicari facere. commune Regni bonum, commoda, amplificationem & incrementa, eodem, quo à Nobis factum est, modo, summa fide, industria & viribus, sibi commendata & accepta habere, pacem omnimodo quærere & dilatare; diffidentiam, suspiciones & quæ inde mala per dissensiones, discordiam & seditiones nasci solent, tanquam venenum & pestem omnium bene ordinatarum rerum-

publ. pro virili fugere & evitare, vel bonis & maturis consiliis prævertere: ut subditi sub ejus patrocinio, auxilium & solatium sperare habeant; ille verò Christiani, probi & pacifici Regis officium ac nomen gerat; atque inde ab omnibus diligatur ac honoretur, eaque ratione nostris insistat vestigiis. Sed & reliquis Nostris Filiis ac Filiabus omnem benevolentiam, fraternum auxilium, amorem & fidem semper præstet, erga illos ut propriam suam inseparabilem carnem & sanguinem, & summa Nostra pignora, ex Regio genere orta humanum se præbeat. Atque veluti Nos eum ad honores, dignitatem & futurum Regium fastigium præ ceteris paternè eveximus, ita vice versa eos honorabit & diliget, eorumque commoda & prosperitatem verè fraterna fide & amore eò magis procurabit & promovebit, ut coram Deo & omnibus Sueciæ fidelibus incolis & omni pariter honesto viro excusari velit & possit. In quod ipsi nempe dilecto Nostro Filio Domino Erico omnia quæ ad universam Sueciæ Coronam pertinent, eâque comprehensa esse oportet, ex quibus Regiam aulam, dignitatem, existimationem & imperium tueatur; exceptis tamen quæ reliquis Liberis Nostris singulis expresse & speciatim destinavimus ac donavimus: quibus etiam prospicere nos obligatos agnoscimus, non solum quod omnis civilis lex ac jus hoc exigit, sed etiam naturalis lex & amor omnium bonorum parentum cordibus à Deo insitus postulat: ut illis quoque de decenti ac Principali sustentatione provideamus, prout vires ac facultates regni Sueciæ hoc in casu ferre poterunt: quum eodem Regio stemmate & sanguine nati sint. Idcircò quod Principalem mensam reliquorum ante memoratorum Heredum Nostrorum masculorum, & Virginum ac dilectarum Filiarum nostrarum dotem & donationem nuptialem attinet, ut fidus Pater, prospera adhuc valetudine, & libera nostra voluntate ac paterno affectu, cuilibet ad honestam ac necessariam vitæ tuitionem, tantum attribuere & assignare voluimus, quantum infra expresse declarabitur. Et in eo omnes ac singuli à dilecto Nostro Filio Erico &c. omnibusque regni Ordinibus & subditis tam fideliter protegentur & asserentur, quam Nos pro eorum & omnium aliorum Nostrorum subditorum bono ac salute, corpus, vitam & facultates nostras discrimini exposuimus & impendimus.

dimus. Et ut hoc inviolatum servetur, absque illorum vel cujuscunque alterius contradictione aut impedimento, quocunque modo hominum ingenia aut astutia illud contra supremam nostram voluntatem excopitare queant: quod, & cætera omnia hoc ipso penitus irrita, nulla & cassa pronunciamus.

Post hæc damus & tradimus hoc ipso, & ultimæ hujus Nostræ voluntatis vigore, dilecto Nostro Filio, Dn. Iohanni Dei gratia, Suecorum, Gothorum, Vrndalorum &c. Principi hæreditario & posteris ejus masculis hæredibus eorumque postgeniras à linea ad lineam, in eorum Principalem sustentationem hæc subscripta Castella & Feuda in Finlandia, nimirum Aboensem arcem & feudum, Kumegårdiæ feudum, Rasborgiæ feudum & Alandiam, cum omnibus subjectis territoriis, populo, nobilibus, clero, civibus, rusticis, censu, proventibus, vectigalibus, mulctis & aliis reditibus; item fundis, agris, pratis, silvis, jure foresti aut venationum, lacubus, salsa & recenti aqua, jure piscandi, molendinis, aggeribus, inventis & non invētis mineralibus, & in summa cum omnibus eorum adjacentibus oris & fructibus, prout Nos ipsi Coronæ nomine isthæc cum suis limitibus & finibus possedimus, nullo excepto. omnem itidem apparatum tormentarium, munitionum, annonæ & alia eò pertinentia, velut propriam & Principalem hæreditatem, absque omni taxatione, molestia & detentione, possidenda, utenda, fruenda, pro se, suis Principalibus hæredibus masculis à gradu ad gradum, in perpetuum, uti in Regis Nostris Donationis literis, prænominato dilecto Nostro Filio Domino Iohanni in hoc concessis prolixius exponitur. Et quum ita prospexerimus dicto dilecto Nostro Filio Domino Iohanni &c. de tam Principali & magnifica sustentatione ex Sueciæ Corona, uti memoratum, ille quoque vice versa omnibus modis, ut probum Filium, Christianum ac fidelem Suecum virum ac civem decet, ut & successores ejus masculi hæredes pariter obligati erunt se semper fidos, & promptos erga Deum, Nos, Sueciæ Coronam, & dilectum suum respectivè Fratrem, Serenissimum Principem Ericum &c. præbere, quando Deus ipsum ad Regium Sueciæ imperium ut Regem & caput, ab excessu nostro, admorit, ut & reliquos

ejus succeſſores Sueciæ veros ac legitimos Reges, & dilectam ſuam patriam Sueciam; prout Deo & omnibus Sueciæ fidis incolis & univerſo honeſto populo velit ac poſſit ejus rei rationem reddere. Ex ante dictis Feudis itidem alet quantum abſque ſuo incommodo poteſt, copiarum & armorum, quibus Sueciæ, Regi & dilectę ſuæ patriæ in omni neceſſitatis caſu ſuppetias ferat terra marique, conſiliis & factis contra omnes qui Sueciæ regnum, vel quaſdam ei ſubjectas provincias aut terræ tractus opprimere, devaſtare ac deperdere conantur; quandocunque ea re opus erit, & per Sueciæ Regem ejuſque fideles incolas & ordines ab ipſo vel ejus hæredibus deſiderabitur. Et quando extrema neceſſitas urgebit, quod Deus diu clementer avertat, ipſe & ejus maſculi hæredes poſt eum, omnes ſuas vires, vitam, fortunas & omnia neceſſaria cum Sueciæ Rege, ejuſque fidis incolis, impendent, ad Regni detrimenta & perniciem prohibendam.

Similiter largimur & tradimus hoc ipſo & vi hujus ſupremæ noſtræ voluntatis, dilecto Noſtro Filio, Celſiſſimo Principi ac Domino, Dn. Magno Dei gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorum &c. Principi hæreditario, & maſculis ejus hæredibus Principibus & ſucceſſoribus in ſui & ſuorum Principalem ſuſtentationem hæc ſubſequentia Feuda, primò Vadſtenas urbem, inde Askenſe territorium, cum D. Petri, Strå, Olunda, Helgone, Fivvelſtada, Hageby, Steen, Kelſvvefteen, Huarff, Styre, Aske, VVinderſtada, Motale, Nykirkie, & parochia Klåſtade, unà cum Motalaby, prædiis & ſalmonis piſcatu: item Dalenſe territorium, cum Näſie, Öreberge, Rogzlöſa, VVeffuerſunda, Kielſtada, Häreſtada, Broby & Hoff parochiis, una cum prædio Hoff & horreo regio. item VViiſolcka territorium cum Normelöſe, VVethe, VViby, Syia, Harberge, Hargh, Tolffſtada, VVeſterlöſe, Mölby & Söderby parochiis. Item Göſtringenſe territorium cum Måleſanders, Åsboo, Egby, Egbyrinne, Högby, Helgona, Skrukuby, Ierſtada, Högſtada, Bielboo, Apunda, VVäderſtada, Harſtada, & Hoffs parochiis. Item Lyſningenſe territorium cum Svvanshals, Kumbla, Röök, Häda, Åby & Ödeslö parochiis, cum prædio Alvaſtra & horreo regio. item Bobergenſe territorium cum Bruaneby, Kläckeriike, Flyſtada, Elffueſtada, Ballerſtada, VVallerſtada, Skipſuhs, Förnåſe, Lö-

Lönſåſe, Ekbyborne, Crisberga, Tielmo, & Godegårdz parochiis, unà cum Godegårdz monte. item Gulbergenſe territorium cum Biörckebergz, Ledebergz, Fliſtade, Liungiz, VVreeta & Kagu parochiis, unà cum prædio Konungzbro, horreo regio & monaſterio VVretenſi. item Meningenſe territorium cum Kimſtada, Kullerſtada, Löth, Bårgz & VVånge parochiis, unà cum Nårsholmenſi prædio & horreo regio, VVångenſi monte, Orge officina fabrili mallearia & tugurio. item Broboenſe territorium cum Quillinge, Eneby, Riſinge, Regna, Skedvvy, Norcoponſi & Helleſtada parochiis, unà cum urbe Norcopia, prædiis & ſalmonis piſcatu; item Helleſtada monte, officina fabrili mallearia & tugurio. item in Nericia Askerſundenſe territorium cum hiſce quatuor parochiis Askerſundia, Hammer, Snaflunda & Leerbek parochia. item in Smalandia auſtralem & ſeptentrionalem Kindiam, cum VVårdenås, Kättelſtada, Härgerſtada, Horn, Eneby, Kiſa, Tierſtada, Vppeby, Hycklinge & Tydeſtrum parochiis. item Ydrenſe territorium cum Askeriidh, Åsby, VVii, Torpa, Rydh, Sundh, Malexander, Rumskulla & Svvinehultenſi parochiis. Item in VVeſtrogothia territorium VVasboenſe cum Hornia, Frösvvädia, Säthria, Belliforſia, Quercero, Mölnetorpia, Hoffua, Fagerliida, Hundekulla, VVårängia, Lockeſtorpio, Flyſtada, Göthelunda, Vndene, Halna, Fägerö, Träſteena, Berga, Färada, Ramsberga, Elgerås, Frösbergo, Beckzbergo, Lerdala, Bierna, Tynneſdala, Lyreſtada, Odensåker, Bindebergh, Läſtåde, Tiåvvadh, Hielleſtada, VVadz, Suennebÿ, Moo, Hammehäredz, Biörſättre, Eekeberge, Eekiæ & Vbyenſi parochia. Item Valla territorium, cum Steuoms, VVingz, Skerffz, Iſtröms, Öglunda, Egby, Skaricke, Bullom, Häggenäs & Lundby parochiis, unà cum prædio Hägnetorp & horreo regio. Item Kåkindz territoriũ cum Sködvve, Kyrcketorps, VVåm, Rydh, Färsby, Svventorp, Hugelberga, Madefal, VValora, VVeriſås, Kyrckiefal, Hio, Gredevviik & Grehebäcks parochiis, cum Sködvve & Hio oppidis. Item Daaliam cum ejus territoriis, ut ſunt Sundalenſe & Bulſtada, Grimſtada, Getſtada, Ireſtada, Frendeförſa, Brolanda & Ryer parochiæ. Item Nordalenſe teritorium, cum Oörs, Gunneräs, Skölerud, Dalskogz & Holms parochiis. Item VValboenſe territorium cum Ryr,

Torp,

Torp, Ödborg, Fergelanda, Hogseter, Renland, Leerdal, Rugerd & Ierbo parochiis. Item VVebooense territorium, cum Greshetter, Rölandz, Tostedaal, Eedz, Nossemarcks, Högbele, VVärvvicks, Laxerby, Torskogh, Artemarck, Steneby, Eskehult, Beck & Tisleskogh parochiis. Et Töstbooense territorium, cum Eskeskogh, Moo, Älmols, Fröskög, Töstb, Tiden & Rusokz parochiis, cum subjacentibus tractibus, populo, nobilitate, clero, civibus, colonis, censu, pensione, reditibus, vectigalibus, mulctis aliisq; proventibus. Item fundos, agros, prata, nemora, jura venationum, lacus, recentes & salsas undas, jus piscandi, molēdina, molas, aggeres, reperta vel nondum reperta mineralia, & in summa, cū omnibus eò attinentibus & jure territorii, prorsus ut Nos nomine Coronę ipsi possedimus, cum finibus & limitibus suis, nullo excepto. Omnem itidem apparatum armorum, munitionum, annonæ, & quæ alia eò pertinent, omniaque hujusmodi velut proprium Principale hæreditarium bonum, absque omni taxatione, molestia aut detentione, possidebit, utetur, fruetur, pro se, suis hæredibus masculis, a linea ad lineam, in perpetuum, prout in Regiis Nostris donationis literis, prænominato dilecto Nostro Filio, Dn. Magno in hoc concessis prolixius deducitur & explicatur. Quum ergo prospexerimus dilecto nostro Filio Dn Magno de tam Principali & luculēta sustentatione ex Regia Corona, ut ante memoratum est, ipse quoque viceversa omnibus modis, ut probum filium & Christianum, fidum & sincerum virum Suecum ac civem decet, ut & ejus hæredes ac successores tenebuntur se semper fidos ac promtos erga Deum, Nos ut & Sueciæ Coronam, & dilectum suum respectivè Dn. Fratrem Celsiss. Principem Dn. Ericum, quando Deus ipsum regio imperio Sueciæ Regem & caput, à Nostro excessu præfecerit, & pariter erga ceteros successores, veros & legitimos Principes hæredes ac Reges, & dilectam patriam Sueciam gerere, prout ipse & illi hoc Deo, cunctis Sueciæ fidis incolis & omni honesto populo velint ac possint approbare. Ex ante dictis Feudis etiam quantum potest exercitum, equos & arma, pro virili & absque suo detrimento expediet ad Regis Sueciæ & dilectæ suæ Patriæ in necessitatis casu subsidium, præsidium & auxilium terra marique, consilio & facto, adversus omnes qui Sueciæ regnum, aut quosdam ejus tractus

ctus & fidos incolas infestare & pessumdare conantur, quandocunque ea re opus fuerit, & illud per Regem Sueciæ ejusque fidos incolas & ordines ab eo vel hæredibus ejus desiderabitur. Et cum extrema necessitas urserit (quam Deus benignè prohibeat) ipse ejusque hæredes Principes nullis facultatibus parcent cum Rege Sueciæ ejusque fidis incolis fideliter impendendis, ne quidem ipsi vitæ & corpori, si necesse fuerit, pro avertendo Regni detrimento.

Tradimus itidem & concedimus hocipso & hujus extremæ Nostræ voluntatis vigore, dilecto Nostro minimo natu Filio, Sereniſſimo Principi ac Domino, Dn. Carolo, Dei gratia, Suecorum, Gothorum & Vandalorum &c. Principi hæreditario, Ejusque masculis hæredibus Principibus à linea ad lineam, in sui & illorum Principalem sustentationem, hæc subscripta castella & feuda: Primo Nicopiæ arcem, urbem & feudum, velut Rönense territorium cum Bålingh, Tysteberga, Helgarna, Svvartta, Riifzestada, Liid, Säterstada, Lastringe, Runtuna, Speelvviick, Ludguda, Råbii, Tårsåker & Bogestada parochiis, una cum Nävveberg. Item Iönåkerense territorium, cum Stigetompta, Nykirkie, Biercekevviik, S. Nicolai, Tuna, Halla, Bergzhammer, Lunda, Kjila & Berboo parochiis. Item Oppunda territorium cum Årdala, Forsa, Husebу, Blackestada, VVasbroo, Lerboo, VVingåker, Iuleta, Skillinge, Flooda, Fleens, VVrena, Malma, Betna & Österåkers parochiis. Item VVillottingen cum Duncker, Malma, Hålgestada, Medelösa, Gryta & Hyltinge parochiis. Item Hölbocnse territorium cum Mörkö, Hölö, Trosa, VVagnehåredz & VVesterlingz parochiis. Item Strengnesiæ oppidum & prædia. Item Tynnelsönse prædium. Item Åskerense territorium cum Åskers, Länne, Härede, VVangsö, Fougdö, Helgerne & Strengnesiæ parochiis. Item Selboo territorium cum Aspä, Öffuersela, Yttersela, Torsen, Kierne & Erie parochiis. Item Daga territorium cum Gåsinge, Dillenäs, Frösluna, Kattenäs, Biörlunda & Gryte parochiis. Item Öknebоense territorium cum Öffuergerne, Yttergerne, Öffuer Eenhörne, Ytter Eenhorna, Tälie, VVålinge, Tyveta & Turinge parochiis. Item Konungzberga prædium, Eskilstuna prædium, & Iuleta prædium. Item Orientalem Reekerna, cum Ieder, Kiula, Barvve, VValby, Sundby,

Sundby, Hamerby, Steenquiſta, Årla, Huſeby & Näshultz parochiis. Item Fors, Torſilia & Gilberga, in orientali Reekerna, unà cum oppido Torſilia. Item in VVeſmannia in Ducentario territorio, Syvedvvii, Såby, majori Rytterne & minori Rytterne parochiis. Item Snåvvingenſe territorium cum Muncketorpii, Bergii, Kolbecki, Ramnåſię & Suræ parochiis. Item Sixtinam fodinam in Arhoſiæ argentario monte: item Örebroenſem arcem, urbem & feudum: item Askerenſe territorium cum Mådelöſe, Lenne & Askere parochiis: item Skollerſtadenſe territorium cum Skållerſtada, Svvinevvadh, Eekeby, Gellerſtada, & Norboås parochiis: item Kumblenſe territorium cum Kumbla, Halsberga & Lerbeckia parochiis: item Hakevvadenſem & VViibyenſem parochiam in territorio Grimſteenenſi: item Hardemo & Kreklinge parochias in Hardemoenſi territorio: item Edzbergenſe territorium cum Kimfſtada, Edzbergh, Tångerasa, Quisbroo & Hidinge parochiis: item Orebroenſe territorium cum Almby, Ånestada, Lengebroo, Hoſta, Eker, Greffua, Tyſlinge, VVintroſa, Tåby, Moſes & Kiil parochiis: item in VVeſtrogothia, in territorio VVasboenſi Vlffarvvet, Ledeberga, Haslöd & Törſöd parochiis: item in VVermelandia, in occidentali Syſlet, Gilbergenſe territorium cum Gilberga, Longeriidh, Staffuenås, Sillerut, Gladevvallia, VVermeskog & Svvanskog parochiis: item Iuſſenſe territorium cum Arffvviika, Gunnerskog, Elgo, Bronskog, Nykiula & Ede parochiis: item Friisdaliam cum Sund, Empterviik, Fryckſene & Lyſvviik parochiis: item Elfuedaliam cum Eeke territorio, Nydalby & Roda parochiis: item Normarchiam cum Blomskog, Silbodal, Tranckhöl, Holmedal, Karlanda, Oſtervvaldskog, Tingzmarck, Foglevviik, Hierneskog & Skillingemarck parochiis: item Grumſenſe territorium cum Grums, Nors, Segerſtada & Eedz parochiis: item VViſnumenſe territorium, Rundskog, Ruda & Kiils parochiis in orientali Syſlet: item Nås territorium cum Brodſåtter, Ny, Huggenås, By, Öleſrud, Mälleſviik, Botilſåter, Eskilſåter, Tvvete & Kyle parochiis: item Kiilenſe territorium cum ſuperiori Vllerdö, & ulteriori Vllerdö, Graffua, Kiils, Friikerudz, Tingzvvalla & Hamerdö parochiis: item VVåſenſe territorium cum VVåſe, Ful-

Fullevviik, Alfter, Ölmehåredz & VVarneme parochiis, una cum VVermelandiæ collibus, & omni subiacente tractu, populo, nobilitate, clero, civibus, agricolis, censu, pensione, reditibus, vectigalibus, mulctis aliisque proventibus, item jacentibus fundis, agris, pratis, silvis, jure venationum, lacubus, recentibus & salsis aquis, jure piscandi, molis, aggeribus, molendinis inventis & nondum inventis metallifodinis, & in summa cum omnibus attinentiis & fructibus, omnino ut Nos ipsi coronæ nomine possedimus, una cum limititibus eorum, nullo excepto. omnem item apparatum rei tormentariæ, munitionum, annonæ, aliaque eo pertinentia, ad fruendum, utendum & retinendum, omnibus modis, ut ante de duobus nostris dilectis Filiis Dn. Iohanne, & Dn. Magno in hoc articulo expressum & dictum est, & velut in Nostris Regiis Donationis literis prænominato dilecto Nostro Filio Dn. Carolo &c super hoc concessis prolixius declaratur & commemoratur. Et quia nunc minimo natu Nostro Filio Dn. Carolo &c. de tam Principali & magnifica sustentatione prospeximus ex Coronæ Sueticæ bonis, ut ante dictum, ille vice versa omnimodo, velut probum Filium, Christianum, fidum & integrum Suecum virum ac civem decet, una cum successoribus hæredibus Principalibus, obligatus erit se semper fidelem & promtum erga Deum, Nos & Sueciæ Coronam, & dilectum suum Dn. Fratrem Dn. Ericum &c. cum Deus ipsum Regio imperio Sueciæ Regem & caput, à fatali nostro excessu, præposuerit, ut & reliquos suos posteros ac successores, Sueciæ veros ac legitimos hæredes Principes & Reges, & dilectam suam Patriam gerere, ut Deo & omnibus fidelibus Sueciæ incolis & omni honesto populo approbare velit & possit. Ex antedictis Feudis etiam quantas potest absque gravi suo detrimento copias, equos & arma expediet, ad succurrendum Sueciæ regno & charissimæ Suæ patriæ in omni occurrente necessitate & infestatione, tam terra quam mari, contra omnes illos qui Sueciæ regnum aut quoscunque ejus tractus fidosque incolas adoriri, devastare & depopulari conantur, quandocunque eo opus fuerit, idque per Sueciæ Regem ejusque fidos incolas ab eo vel ejus hæredibus postulatum fuerit. Et quando summa necessitas urget (quam Deus diu clementer avertat) ipse ejusque legitimi hæredes nullis

suis

ſuis facultatibus parcent fideliter cum Rege Sueciæ & fidis ejus incolis impendendis, nec ipſi vitæ & corpori ad arcendum Regni mala & incommoda. Noſtri præfecti & miniſtri poſt Noſtrum beatum exceſſum, abſque omni contradictione & obſtaculo obligati & jurati erunt tradere & transferre in prænominatos Noſtros dilectos Filios omnia quæ Nos illis expreſsè & irrevocabiliter indulſimus & conceſſimus.

Præterea horum Noſtrorum dilectorum Filiorum Principales ſuſtentationes talibus conditionibus & legibus illis & eorum maſculis Hæredibus donavimus & in æternam poſſeſſionem tradidimus, ut, ſi uſuveniat, quod Deus clementer prohibeat, aliquem ſæpe nominatorum dilectorum Noſtrorum Filiorum abſque maſculis hæredibus decedere, eadem Feuda & bona libera & abſque ullo impedimento Sueciæ Coronæ reſtituantur, non habita hîc ratione hæredum fœminei ſexus. Si etiam omnipotens cuiquam eorum ſolummodò fœminei ſexus hæredes concederet, eiſque à vivis parentibus de matrimonio non proſpiceretur, poſt eorum mortem honorifica & Principalis dos ex eorum bonis mobilibus & à Ducatuum ſubditis decenter eis attribuetur, ſive matrimonium intra, ſive extra regnum ingreſſæ fuerint; ſed bona hæreditaria, quæ tam jure paterno quam materno adire poſſint, inter Fratres ſuperſtites vel eorum hæredes, ſecundum rectam lineam, pro rata dividentur, uti leges Sueciæ volunt. Si etiam quiſquam prænominatorum dilectorum Noſtrorum Filiorum abſque hæredibus moreretur (quod Deus benignè avertat) omnis ejus legitima hæreditas & bona induſtriâ parta tam mobilia quam immobilia cedent dilectis ejus Fratribus aut eorum legitimis hæredibus proximis, non verò Coronæ, velut etiam Leges Sueciæ jubent.

Porrò dilecti Noſtri Filii omnes & ſinguli, tam qui hoc Regium ſolium & imperium aſcendent, & ejus ſucceſſores ac hæredes, quam reliqui dilecti Noſtri Filii & eorum ſucceſſores ac hæredes, pro ſe ſeorſim vel cum ſingulari ſuo Senatu, miniſtris & ſubditis non aggredientur, tractabunt aut decernent quidquam eorum negotiorum, à quibus communis Regni ſalus pendet, ſive bellum, pacem, inducias, fœdus, pacta publica, ſive alias Regni ponderoſas & magni momenti cauſas, ſed hæc omnia cum omnium aut plurium, primariorum &

& sapientiorum Regni Ordinum ac membrorum unanimi consilio & consensu fient. Si tamen contingeret, ut cuiquam prænominatorum Nostrorum Filiorum, aut eorum Hæredum, in illis regni tractibus & oris, quas possessuri sunt, tale negotium occurreret, quod e re totius Sueciæ Regni futurum esset, & occasio ac facultas propter impeditam aut longam viam non tam citò quam opus esset, cum reliquis Fratribus aut eorum Successoribus ea de re consultandi daretur, ei, cui tam commoda opportunitas offertur, non præclusum aut interdictum erit, per hoc, Sueciæ Regni commune proprium que bonum quærere; nec reliqui ejus fratres aut Regni Ordines ei hic remoræ & impedimento erunt. Ita tamen ut omnia prudenter aggrediantur, ne id Sueciæ regno fraudi aut detrimento sit. Vt verò nemo in hanc opinionem veniat, quasi Feuda à Sueciæ Regno divellere conemur, quæ dilectis nostris Filiis, Celsissimis Principibus ac Dominis, Dn. Iohanni, Dn. Magno & Dn. Carolo benignè ex Coronæ bonis concessimus, potius volumus, ut isthæc bona omnia, velut antiquitus fuerunt, inserta sint & unita toti Sueciæ regno, penitusque ei inhæreant, velut membra pendent à toto corpore, & à capite se regi patiuntur, ita prænominati dilecti nostri Filii, Dn. Iohannes, Dn. Magnus & Dn. Carolus una cum Successoribus suis, ut prædictum, semper obligati erunt consilio & facto amoliri & prævertere pro summis viribus, dilecti nostri Filii Dn. Erici &c. post obitum Nostrum, velut legitimi eorum Domini & Regis, & Hæredum ejus masculorum, ut & Sueciæ Regni, omnium illorum chariſſimæ patriæ incommoda & exitium, nulloque modo se ab eo, ejus hæredibus & Sueciæ regno se separari patientur, sub pœna in Legibus Sueticis expressa. Patrem in modum, quoties nova quædam mutatio in imperio fit, ita ut vel Nos vel futuri successores (quod Deus clementer & benignè diu avertat) decedant aliusque ex eadem Regia familia & sanguine regno succedat, velut Nos & universi Regni Ordines consenserunt & decreverunt, prænominati dilecti Nostri Filii & eorum masculi Hæredes eundem Dominum ac Regem debito cum honore ac reverentia adibunt, & horum Nostrorum paternorum Donorum ac Feudorum confirmationem desiderabunt.

Eidem fidem ſuam & obſequium obſtringent omnimodo in totius Sueciæ regni commodum & bonum, idque tam conſtanter implebunt & præſtabunt, velut omnes alii ſinceri ac fideles regni Sueciæ Senatores & membra facere tenentur. Contra, qui ad regnum & regium ſolium pervenit, obligatus erit literis & ſigillo confirmare ante dictas Paternas Noſtras Donationes & beneficia: ita ut dilecti Noſtri Filii, Dn. Iohannes, Dn. Magnus & Dn. Carolus eorumque hæredes maſculi, præſcriptas Donationes & Feuda, abſque omni impedimento & lite quietè poſſideant ac fruantur, ſecundum Noſtrarum Donationis literarum expreſſum tenorem & mentem.

Dilectus noſter Filius Dn. Ericus una cum omnibus Regni Ordinibus & membris obligatus erit, pro ſumma virili operam dare, ut omnia præſcripta firmiter & inviolabiliter, abſque omni remora & obſtaculo ſerventur. Peculiariter tamen & bono conſulto, ad prævertendum multum infortunii & periculi, hoc ipſo præcavere & proteſtari voluimus, ut nulli dilectorum Noſtrorum Filiorum licitum aut permiſſum ſit, quidquam eorum bonorum quæ nunc ex Corona ipſis conceſſimus, in quemquam exoticorum aut indigenarum, titulo dominii, hæreditatis aliove modo transferre, alienare, vendere, oppignerare, aut donare, in hujus regni, ipſorum, aut ſubditorum præjudicium & diminutionem, velut olim proh dolor! factum eſt de Gothlandia, Hallandia, Scania & aliis oris, ab hoc Regno & Corona hoc modo alienatis. Si verò quenquam dilectorum Noſtrorum Filiorum talis neceſſitas circumveniret (quod Deus clementer prohibeat) ut vel carcere, gravi morbo vel intolerabili paupertate premeretur & cogeretur oppignerare partem ſuorum bonorum, permittetur ipſi ex facultatibus ſuis legitima hæreditate, ſive ſoli ſive mobilibus adquiſitis capere, non verò ex Coronæ bonis. Nulla tamen portio pignori obligabitur alibi quam hîc in regno, & ſub jure retrahendi ac cui illud legitimè competit, redimendi, pro auro, argento aut pecunia, per univerſi Regni vel Ducatuum ſuorum ſubditorum auxilium, pro rei circumſtantiis & conditione. Omnia illa, quæ hîc paternè ordinavimus, indiviſa quoque & immota relinquent: ne ipſi aut eorum hæredes ac poſteri, quoad poſſeſſiones, popu-

lum

lum & proventus enerventur, deperdantur aut jacturam patiantur; & inprimis ne Regni subditi, in quocunque necessitatis articulo, hoc impossibilibus contributionibus luant, & de eo conquerendi & expostulandi causas habeant.

Denique uti dilectum nostrum Filium Dn. Ericum &c. antea sigillatim admonuimus, ita tres reliquos nostros dilectos Filios conjunctim & paterne hoc ipso admonitos volumus, ut sanctam Dei voluntatem & quod ipsi placet, cum animi submissione & Christiana pietate semper ob oculos habeant, in eum ut verum ac vivum Deum, extra quem nulla prosperitas aut beatitudo esse potest, firmam suam spem ac fiduciam collocent, à pura ejus doctrina se abduci, absterreri aut dimoveri non patiantur, sed ad vitæ usque finem in ea constanter perseverent. Hujus Regni salutem in omnibus quæ possunt, perpendant, procurent & tueantur. Fidem quam dilecto Nostro Filio Dn. Erico &c. post excessum Nostrum, Fjusque genuinis hæredibus masculis, ut & huic Regno, dilectissimæ suæ patriæ, præstare debent, omnimodis impleant, ab ea se nulla ratione diverti aut deflecti patiantur, multò minus aliquid violenter contra eam tentent; sed ut plura ac potiora unius corporis membra eique cognata, cohæreant & amicè conspirent. Dilectum Nostrum Filium Dn. Ericum &c. pro Rege & capite hujus regni agnoscant, ament & honorent, & se erga eum ut decet, fraternè & amicè gerant. Alter alterius commodum, ut proprium, quærat & promoveat, & ut dilecti fratres, unaq; caro & sanguis se mutua charitate & concordia complectantur. Nullam rem, quæ hoc fraterni amoris ac fidei vinculũ quocunq; modo dissolvere, labefactare aut perdere queat, inter se ferant aut oboriri patiantur, sive per suorum ministrorum sive aliorum hominum male feriatorum rixas aut impulsum. In gravibus Regni aut suis negotiis nullos indigenarum aut extrancorũ pro Senatoribus, Cancellario aut aliis superioribus dignitatibus usurpabunt aut adsciscent, qui hanc Nostram paternam Testamenti ordinationem quocunque modo impedire, aut inter Fratres diffidentiam aut discordiam excitare conantur. Nec per sua matrimonia aut alias nimium extraneorum huc illiciant, in Regni, bonorum virorum & alienorum subditorum oppressionem. sed potius omnem occasionem, causam & ansam metuendi discriminis

ſummopere fugiant & vitent. Bonam & fraternã confidentiam colant & magis magisq; inter ſe plantent ac propagent. Hanc Noſtram paternam & benevolam curam ac providentiam altè animis ſuis inſcribant, ut omnia hujusmodi & quę aliàs charos fratres facere & præſtare ſibi invicem decet, tam fideliter & abſq; omni eluſione ſemper expleant, quam volunt ſibi omnipotentem Deum in anima & corpore propitium, & ne Nos ab illis ſub terra in beata noſtra quiete propterea ſollicitemur.

De Virginibus Principibus, dilectis noſtris Filiabus hiſce ordinamus & ſtatuimus in hunc modum, ut quotquot ex illis poſt beatum noſtrum exceſſum innuptæ ſuperſunt, in dilecti Noſtri Filii Dn. Erici &c. gynecæo; vel ſi ille regno abſit, apud dilectam Noſtram Conjugem, vel alium Noſtrorum natu majorum Filiorum, qui in matrimonio degat, regiè, honorificè nec vilius quam apud Nos educatæ ſunt, abſque ullius earum dotis imminutione, ex Corona alantur & ſuſtententur, donec juxta ordinem & lineam in Regium, Principale aut Principali par matrimonium elocentur. Singulis illarum in dotem damus ac dicimus vi ſupremæ hujus Noſtræ voluntatis centum mille thaleros, quæ ſummæ, cum omnium Regni ordinum & ſubditorum ſubſidio, ex lege regni contribuentur & expendentur. Ad hoc omnibus & ſingulis de regiis, principalibus & pretioſis veſtibus, ornamentis, argentea ſuppellectile, arcarum & ſcriniorum inſtructione, ut Regias Filias decet, nullo excepto, in hoc caſu proſpicietur; & ſuper hoc à prænominato dilecto Noſtro Filio Dn. Erico &c. Sueciæ Regno, aut alio puoquã nullo modo contra hanc Noſtrã voluntatẽ urgebuntur aut gravabuntur. Proinde jubemus hæredes Noſtros maſculos & dilectos Filios conjunctim, ſed dilectum Noſtrum Filium Dn. Ericum ſeorſum tanquam caput & principem illorũ, omnes dilectas Noſtras Filias, & Sorores ſuas propriamq; carnẽ ac ſanguinẽ, in honore & obſervantia habere. Et quando à naturalibus ſuis Parẽtibus, Patre & Matre ſeparatæ ſunt, eas tamen vera ac fraterna charitate, fide, conſilio, auxilio & ſolatio non deſtituere, ſed de meliori nota ſibi commendatas habere. Eas in miſeriam non extrudere aut expellere, ſed quoad ejus unquã fieri poteſt, cum Regni Senatu adlaborare, ut eædem dilectæ Noſtræ Filię, in iſtis locis & regionibus, quę ipſis dignitati, honori & gaudio, & huic Regno pro

pro re nata subsidio & commodo esse possint, nuptui dentur. Omnes nostri dilecti Filii operam dabunt, ut prænominatis dilectis nostris Filiabus de donationibus propter nuptias, & aliis ex more satis caveatur ac provideatur. Et ut in hoc aliisq; casibus semper in earū rem consuluimus & auxilio fuimus, parentis vicem, ut ipsa natura dictat, hic subeant. Contra adhortamur dilectas nostras Filias omnes & singulas, ut fidus Pater & Matris loco, ut ante omnia omniporentē Deum creatorē & redemtorem suum venerentur & diligant, sancta ejus præcepta & salutiferum verbum libenter audiant & discant, & quantum in homines cadit, divinum ejus auxilium implorēt, & ad divinę vocis normam omnes suas actiones & vitam dirigant. Deinde ut dilectis nostris Filiis in omnibus quæ fraternè & bono animo illis suasuri aut consulturi sunt, obsequantur. Mutuum commodum & bonum, ubicunq; possunt, tanquam charę Sorores ac Fratres, quęrant ac procurent. Dominos suos & dilectos maritos, quos Deus ipsis rite invocatus daturus ac provisurus est, in honore & veneratione habeant: erga illos, ex Dei voluntate & instituto, amanter, obedienter & honestè se gerant. Simul etiam considerent, ex quo Regio stemmate & sanguine natæ sint, & tam extra quam in matrimonio suo, Dominæ Matris laudatissimę memorię exemplum imitentur, ut Principum fœminarum & laudabilem vitam omni ætate agant, & hæc supremę voluntatis nostrę decreta altè in animos demittant, & nunquam obliviscantur. Vbicunque apud suos Dominos & dilectos maritos charæ suæ patriæ emolumentum procurare possunt, nequaquam intermittant.

Qua ratione verò cum prænominatorum dilectorum nostrorū Filiorū & Regni Senatus maturo consilio & consensu, transegerimus & statuerimus, de dilectæ nostræ præsētis conjugis, Reginæ Catharinæ dono matutinali vel sustentatione, à beato nostro excessu, literæ & sigilla super his faciendę & erigendæ, evidēter declarabunt. Cupimus ergo, ut prænominatus dilectus noster Filius Dn. Ericus ut & reliqui dilecti nostri Filii, dilectus noster Regni Senatus hujusmodi largitionem dilectam nostram Conjugem non solum absque omni impedimento, & objectione, ultrò capere & frui patiantur, sed etiam in ea illam tueantur ac defendant, & aliàs omnimodis in rem ejus sint, eam diligant, honorent & observent.

Postea monemus etiam prænominatum dilectum Nostrum Filium Dn. Ericum &c. ut, quum Deus omnipotens illum à beato nostro excessu ad Regiam dignitatem evexerit, reliquos dilectos Nostros Filios omnes & singulos, bonos Viros dilectum Nostrum Regni Senatum, qu omni fide & animi promtitudine Nobis & Sueciæ Regno semper plus aliis se probavit, sigillatim, qui Nobis & dilectæ Nostræ Conjugi cognati sunt, ob oculos habeant, & omni favore ac gratia sibi commendatos esse velint. Ceteris itidem Nostris ministris, qui se erga Nos & Sueciæ Regnum fidos & promtos præbuerunt, gratam vicem rependere & singulari favore ac gratia eos prosequi & promovere velint. Iidem obligati erunt non minorem dilecto nostro Filio Dn. Erico Ejusque posteris fidem, obsequium & officium, quam Nobis, ut legitimo suo Domino ac Regi, à fatali & beato Nostro obitu, exhibere. Adhortamur insuper omnes & singulos Regni Nostri subditos, superioris & inferioris ordinis, ut sedulo perpendant, animisque volvant, sub quam crudeli exotica tyrannide, persecutionibus, calamitatibus & miseria illi eorumque parentes, ante imperii Nostri tempora fuerint, & quomodo Deus omnipotens mira via ac providentia, à talibus ærumnis & calamitatibus eos benignè liberarit, & jam per bene longum tempus, omni prosperitate corporis & animæ, largiter donarit ac benedixerit; ita ut pro tantis beneficiis & munificis donis Deo nunquam satis gratias agere, laudare, & celebrare possint. Caveant verò sibi, ne ingratitudine aut impœnitentia sua iterum Dei gravem pœnam ac virgam in se provocent. Unde etiam absque intermissione ex omni corde & devote semper orabunt eum & desiderabunt, ut eos in posterum quoque in pace, quiete, & concordia diu conservare & custodire velit; & divinam suam gratiam largiri, ut tam erga ipsum quam erga se invicem ut pios & Christianos homines se gerant ejusque voluntati & beneplacito in omnibus, quantum humanitus licet, morem gerant. Quia verò hæc ultima tempora valde periculosa & ancipitia videntur, & mundi malitia, callidæ molitiones & doli proh dolor! indies, ut ante oculos est, crescunt, per quos potentes Principes, regna, regiones & populi non solum in persequutiones & angustias, sed sæpe etiam in irreparabilem perniciem & æternum exitium, ut quotidiana ex-

experientia & exempla satis docent, præcipitantur, atque idcirco regno ac provinciis nihil utilius esse possit, quam ut inter se concordiam alant, contra nihil pernicioſius sit discordia & inteſtinis diſſidiis, ulterius omnes & ſingulos Regni ſubditos, ut clemens & benignus Rex, fido & ſincero animo, per amaram mortem, quam Dei filius in cruce pro omnibus illis & toto mundo paſſus eſt, obteſtamur, monemus & jubemus, ut hujus Regni Succiæ, chariſſimæ ſuæ patriæ, ſalutem & proſperitatem, pro ſummis viribus & debita fide ſemper ſibi optimè commendatam eſſe velint, & ad præcavendum prædicta aliaque mala cum omni circumſpectione, intellectu & ratione in id eniti, ut regni membra inter ſe pacifica, concordia, inſeparabilia & ſibi innoxia permaneant, & propterea non inter ſe, multò minus inter legitimum ſuum & naturalem Magiſtratum, noſtros juvenes Principes hæredes & dilectos Filios aliquam ſuſpicionem, diſſenſionem animiq; exacerbationem oriri, excitari aut ſuccreſcere patiantur, nec ad iſthæc illos irritare aut anſam præbere velint, ſed potius operam pro virili dent, ut, ſi tale malum (à quo Deus omnipotens eos clementer ſervet) inter illos enaſcatur, illud bono maturoque conſilio in tempore, & benevolentia amicitiaque ſanetur & tollatur, atque iterum firmus & tutus fraternus amor, concordia & confidentia à fundamentis erigatur, augeatur & conſervetur. Si etiam tale incommodum contingeret (quod Deus benigne avertere dignetur) ut inter prænominatos dilectos Noſtros Filios aut eorum ſucceſſores ſimilis diſcordia aut diſſidiū oriretur, ut amice componi, velut paulò ante dictum non poſſet, ſed ut lege agi neceſſe eſſet, quidam procerum regni, ab utraque parte approbati, commodo loco convenient, & cauſſa bene cognita, inter utrumque legitimè & ex optima conſcientia jus dicent, aut rem conciliabunt. Et quicquid eo modo inter illos vel lege ac ſententia, vel amica tranſactione pronunciabitur vel agetur, ei dilecti noſtri Filii eorumve hæredes omninò adquieſcent; ita ut nullum ulteriorem proceſſum juris vel appellationem ad peregrinos Reges, Principes, Status aut Reſpublicas exoticas in his vel aliis negotiis deſiderent aut requirant. Vt verò contra hanc poſtremam voluntatem non veniatur, ſed omni parte impleatur & exſecutioni mandetur: quod licet ipſis quorum intereſt &

subditis gaudio, solatio & omnis prosperitatis tutelæ futurum sit, præterquam quod fides juramenti eorum hoc exigat; omnes tamen & singulos subditos monemus, quam chara est ipsis salus æterna & cœlestis hæreditas, & quam verè volunt, ut pretiosi & innocentis Christi sanguinis effusio ipsis in peccatorum ablutionem & remissionem cedat, & ut Dei maledictionem in se quoad corpus & animam non lacessant, hanc nostram supremam voluntatem omnimodis exsequantur & sanctè servent.

Vltimò etiam donamus in Dei honorem, juventutis educationem, & scholarum, in una summa marcas. Tum & omnibus xenodochiis & nosocomiis hujus regni, inter pauperes & debiles æqualiter distribuendas, donamus in una summa marcas.

His extremam Nostram voluntatem & memoriam claudimus, Deumque omnipotentem pro larga sua gratia & bonitate, quam Nobis ad hoc Christianum opus ordinandum & consummandum concessit, laudamus, gratias agimus & celebramus. In cujus manus hoc ipso animam nostram, in illustrem glorificationem & carnis nostræ resurrectionem ad æternam & immortalem vitam, gaudium & lætitiam commendamus & tradimus, ubi cum dilectissimo filio suo Iesu Christo & Spiritu sancto, regit & gubernat verus & æternus Deus in perpetuum, Amen. Actum in Regia Nostra Arce Stocholmiæ Kalend. Iulii anno à nativitate Christi Redemtoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo.

LEGES

LEGES AULICÆ GVSTAVI I.

NOs Gustavus D. G. Suconum, Gothorum & Vandalorum Rex notum facimus, ut inter aulicam nostram familiam, aulicos nobiles, venatores, prætores illorumq; ministros, inter illos itidem qui aulam nostram quotidie sequuntur, sive sint pueri, satellites, milites prætoriani, nautæ, aliique, timor Dei, bona & Christiana administratio, honestas, disciplina, pudor, pax & concordia conserventur & defendantur, crescant & augeantur, Dei offensio, luxus, aliaque intemperantia evitentur & tollantur, breviter concipi jussimus quædam capita & articulos, secundum quos nostri ministri aulici qui quotidie nos sectantur, vel in metatis versantur, se gerere debent, prout hic expressè conscripti sunt, observandi itidem in arcibus nostris & ædibus, & apud alios nostros præfectos & prætores in toto regno.

Præcipimus ergo vobis & monemus vos omnes nostros ministros quoscunque, nobiles & non nobiles, indigenas & alienigenas, divites & egenos, ut omninò obsequamini his articulis, si nostram offensam vitare velitis, nec incidere in pœnam his articulis expressam, à qua sibi unusquisq; caveat.

1. Commeatus structores cum omni familia aulica, venatoribus aliisque, prætores item nostri, præfecti arcium aliique nostri ministri aulici timebunt Deum eumque ob oculos habebunt, ejusque divina præcepta, semper libenterque audient sacrum ejus verbum, præcipuè diebus Dominicis aliisque commodis temporibus anni, semperque se præbebunt, ut Christianos decet, sub pœna severæ nostræ vindictæ & iræ.

2. Omnes & singuli fugiant Dei offensam, inprimis gravia juramenta per Dei Filii mortem & duram passionem, usurpari proh dolor! sueta. Cumque omnes oporteat laudare Deum, colere & celebrare sanctum ejus nomen nec contumelia afficere, quilibet honestè & verecundè versabitur in familiari sermone, ubicunque sit, & fugiet intemperantiam & ebrietatem sub pœna pro qualitate delicti, & duas vel plures noctes includatur arcæ robustæ vel turri, & solo pane & aqua vivat.

3. Porrò omnes noſtri miniſtri, nobiles & ignobiles Nobis, Noſtris hæredibus Principibus & Regno noſtro Succiæ fidi, ſinceri & obſequentes erunt, & ſemper ex fide promovebunt Noſtrum & Regni commodum, incommodum verò in tempore avertent & amolientur, prout juramento, exiſtimationi & honori ſuo ſatisfacere ſtudent, quibus nobis devincti & obligati ſunt.

4. Omnes etiam Noſtri prænominati miniſtri, pueri, ſatellites, qui noſtram aulam indies frequentant, item familia noſtra aulica, venatores, equiſones & omnes alii noſtri famuli, quicunque tandem ſint, Noſtris arcium præfectis noſtro nomine dicto audientes erunt, præſentes vel abſentes, & ubicunque illorum opera in Noſtrum & Regni emolumentum, noctu, interdiu, terra marive uti aut quocunque mittere Noſtri cauſſa volunt, hoc vel illo modo, fidos & promtos ſe præbebunt, ſub obligatione famæ & exiſtimationis. Vbi illis hoſpitia deſignaverint ac metati fuerint, ibi permanebunt & contenti erunt parte quam noſtri prætores aut ruſtici illis ex æqua æſtimatione præſtiterint. Quicunque verò ſuperfluè & inciviliter cibo ac potu uſus fuerit, ita ut ſalvo pudore iterum eructet ac evomat, vel ſtrata honeſtorum hominum deformet aut perdat, aqua & pane in arca robuſtea vel turri plectetur.

5. Nulli etiam licebit mutare hoſpitium ipſi à metatore aſſignatum, melioris victus cauſſa, ſed quilibet ſorte ſua fruatur, & commoretur in hoſpitio ſemel ipſi deſignato, ſub pœna ſex dierum carceris aut panis & aquæ, & nihilominus hoſpiti ſolvat victus expenſas; niſi hoſpes ipſum ſeorſim ad epulas invitarit.

6. Quicunque in factionem coiverint, quatuor, ſex aut plures, contra Nos, noſtrum aulæ Mareſcallum, alendis equis præfectum, equitum magiſtrum, ſtabuli magiſtrum, præfectos arcium & prætores, vel contra has noſtras conſtitutiones, in quacunque re fieri poſſit, quæ Nobis aut regno noſtro detrimento ſit, vel ut per hujusmodi conſpirationem vis quædam vel ipſis invicem, vel aliis ſubditorum noſtrorum illegitimè fieret, idque juri noſtro fraudi eſſet, vel rebellio quædam aut dolus eo confirmaretur; quicunque hoc anſus fuerit aut patrarit, pro proditore habebitur, & capite plectetur, niſi ſpeciali

ciali noſtra gratia fruatur. Si quis alium de re quapiam convenire velit, lege agat, non vi, ſub pœna capitis.

7. Quicunque in expeditione adverſus hoſtem ſigna deſeruerit, aut latuerit, quando cum aliis in acie aut campo ſtare debet, & Noſtros regnique hoſtes juncta opera profligare, damnetur ut perfidus, & abſque gratia capitis reus ſit.

8. Nemo negligat excubias, quarum vices noctu & interdiu ſubire tenetur, ſub pœna capitis. Omnes quoque & ſinguli ſedulam curam habebunt ignis & candelarum, ne inde damnum aliquod oriatur, ſub pœna damni dati, aut ſi eam ſolvere nequeat, capitis.

9. Nullus egenorum aut divitum auſit conſpirare vel in metatis vel alibi terra marive adverſus noſtros præfectos aut prætores, equites, diſpenſatores, ſubpræfectos, cellæ miniſtros aut alios, qui noſtro nomine aliquid in mandatis habent, ad luxum aliquem aut intemperantiam in cibo aut potu ſovendam.

10. Nemo etiam conetur Sacerdotibus, civibus aut ruſticis extorquere veredos ad circumequitandum proprio nomine ac negotio, ſub prætextu Noſtri nominis, equitatus aut prætorum noſtrorum vel quorumcunque aliorum, ad quos non pertinent, ut ſibi per mendacium comparent victum & commeatum. Quiſquis in hoc deprehenſus fuerit, ſive ſit noſter, ſive nobilium præfectorum aut aliorum bonorum virorum miniſter, capitis pœnæ obnoxius ſit.

11. Nullus nobilium aulicorum, puerorum, ſatellitum, equiſonum, venatorum, nauticorum miniſtrorum vel alii auſint diſcedere à cœtu Nos comitantium, vel diverſorio ac hoſpitio ad convivium vel aliò propria ſponte, niſi cum aulæ Mareſcalli, metatoris, annonæ ſtructoris, vel illis ſubſtituti, vel aliorum qui noſtro nomine negotium habent, venia & conſenſu, ſub pœna octo dierum carceris, aquæ & panis. Nemo quoq; auſit decedere vel renunciare hoſpitio ſibi deſignato, niſi cum venia metatoris aut alterius à Nobis mandatum habentis. Delinquens ut fur plectatur.

12. Nullus equos otioſos aut refractarios in hoſpitio ſecum habeat, fœno, hordeo aut avena paſcat, quibus Nobis & Coronæ ſufficiens ſervitium præſtare nequeat. qui hoc fecerit, mulctetur equo & colono ſolvat pretium fœni aut hordei.

13. Quiſ-

13. Quisquis conatus fuerit auferre ex arce nostra vel aula cerevisiam, panem, aut alia cibaria, nisi fiat cum nostra venia aut illorum consensu qui in aula vel arce nostra rem familiarem curandam habent, si ea caussa damnum patiatur, sibi imputent nec coram aliquo postulandi potestatem habeant. Si excedat dimidiæ marcæ pretium, furti poenâ plectatur.

14. Nemo sacerdotem, civem aut agricolam hospitio oneret, nisi pro ratione temporis satisfaciat ac solvat ei apud quem hospitatur, aut per metatorem aut commeatus structorem aliumve tale negotium à Nobis habentem ejus hospitium resignetur, aut ad convivium à colono invitetur, sub poena carceris ad octiduum, aquæ & panis; & nihilominus solvat pro victu.

15 Nemo alicui nostrorum subditorum in oppidis aut ruri, eorumve uxoribus, fœminis aut familiæ vim ac injuriam faciat, sub poena capitis.

16. Nemo conetur plus pecuniæ accipere ab ærario nostro, quam ipsi promissum est aut mandatum à Nobis, & ille sit instructus equis aut armis, sub poena capitis.

17. Nullus permutet equum, arma & instrumenta militaria, quibus & Coronæ servire tenetur, atque pro illis capiat vestes aut pecuniam. Nec in armorum lustratione commodatò sumat equos aut arma, sub poena capitis. Qui commodatò dederit, excedat nostra aula & infamis sit.

18. Si Nos aut Filii nostri in itinere vel expeditione versentur hîc in regno, mari vel terra, omnes qui Nos sectantur, & quicunq; sunt aulici ministri & regii pueri, satellites, milites, aut alii ex nostra familia aulica, nullo excepto, teneatur Nobiscum in nostra mansione commorari, nec inde discedant ad eligendum sibi hospitium apud sacerdotes, colonos aut alios, nisi nostro aut aulæ Marescalli jussu fiat. Quicunq; hoc patrarit, ad sex vel octo dies pœna carceris, aquę & panis afficiatur, si in terra constituti simus, si mari, ter subeat carinam, absq; gratia.

19. Omnes qui Nos aut aut Filios nostros Principes sectantur, bene armati erunt, sive in terra sive aqua versantes. Arma semper bene parata habeant, ut quocunque tempore aut necessitate illis opus fuerit, in procinctu sint, ad præstandam illis Domino & Regi suo debitam operam. Quicunque hoc neglexerit, octidui carcere & aqua ac pane puniatur.

20. Nul-

20. Nullus quicunqus sit, egenus aut dives per noctem alea ludat aut bibat in arcis conclavi vel alibi clanculum, ut in tenebris fieri solet, postquam Nos, noster aulæ præfectus, metator, stabularius, prætores vel alii officiales cubitum iverunt vel post horam octavam aut nonam, sub pœna quatuordecim dierum carceris & aquæ ac panis. Si inde rixæ, turbæ aut aliud quid noxium oriatur, hoc secundum causæ qualitatem indeprecabili pœna afficiatur.

21. Si quædam lites inter aulicos nostros ministros in designato hospitio vel in nostra aula nascantur, in quacunque re, adsciscentur sex, duodecim aut viginti quatuor ex prudentissimus aulicis, qui secundum optimam conscientiam & intellectum hujusmodi causas cognoscent, examinabunt & diiudicabunt, prout coram Deo & hominibus ejus rei rationem reddere volent. Qui judices eliguntur, singuli prius jurabunt per Deum & sanctum ejus verbum, quod justè iudicare velint causas ad ipsos devolvendas. Omnes verò causæ secundum naturam facti, intervenientе quatuor, sex aut plurium testium jurata assertione, cognoscentur, examinabuntur & terminabuntur. Qui verò tale testimonium perhibere volunt, pro se quisque jurabunt, ut infra scriptum est. 1. *Ita me Deus & sacrum ejus Verbum adjuvet, ut hoc juramentum quod nunc præsto, verum & non falsum est aut detortum.* 2. *Omnia bona quæ Deus in cœlo & terra creavit, & bona in V. & N. Testamento expressa, nunquam mihi prosint in corpore vel anima, si pejeravero.* 3. *Omnia bona facta vel facienda in omni mundo, & omnes facultates quas nunc possideo aut imposterum possessurus sum tam in rebus soli quam mobilibus, mihi meisque hæredibus non sint emolumento vel gaudio in corpore vel anima, si pejeravero.*

22. Qui falsum præstiterit juramentum, cujus legitimè convincatur, perjurus, perfidus, improbus, intestabilis & omni judicio exclusus esto.

23. Aulæ nostræ præfectus, commeatus structor, equitum magister, stabularius & alii præfecti arcis obligati erunt judicium aulicum instituere cum nostris ministris, sive in arce sive metatis, quot binis aut ternis hebdomadibus, vel minimùm quolibet mense, sub pœna offensæ nostræ.

24. Si

24. Si homicidium, violentus raptus vel aliud enorme delictum perpetretur, nullus tentet occultare vel subducere tales facinorosos, ut iæpe fieri solet. Quicunque hoc fecisse convictus fuerit, eandem cum reo pœnam subeat, nisi eum singulari gratia dignemur.

25. Si quis aulæ officialium conniveat aut sciens indulgeat contra has Nostras constitutiones delinquentibus, ut mandati & placiti Regii contemtor & infidus habeatur, & pro merito plectatur.

26. Vltimo omnes aliæ causæ & negotia inter prænominatos nostros officiales & ministros aulicos occurrentia, vel inter alios aulam nostram sectantes in diversoriis aut arce nostra, vel inter ministros & subditos nostros, sacerdotes, rusticos aut cives, & quæ in his articulis expressa sunt, decidentur secundum Leges aulicas, quę verò hic expressa non sunt, secundum jus regni Sueciæ scriptum & causæ conditionem. Hoc tamen nobis per expressum reservato, ut nullæ causæ capitales exsecutioni mandentur, nisi prius nobis cum omnibus circumstantiis, scriptis testimoniis & probationibus insinuatæ sint, & noster aulæ præfectus, aliusve officialis nostram de illis sententiam decretoriam acceperit. Hoc omnes & singuli sibi dictum putent, eique obsequantur. Atque si de cetero in his constitutionibus quosdam articulos meliores reddere, renovare, mutare, quidquam detrahere vel addere velimus, hoc nobis semper integrum liberumque erit. In majorem horum articulorum fidem & confirmationem, scientes nostrum sigillum affigi curavimus. Scriptum & datum in urbe nostra Upsalia, d. 16. Novemb. Anno 1546.

NOTA.

Hæ Leges quidem ratione ordinis ad pag. 392. referendæ & ante annum 1555. ponendæ fuissent, sed quia primum in eas, ex Codice quodam MSto descriptas, incidimus, quum priores paginæ jam excusæ essent; & tamen dignæ luce videbantur, hic cum Legibus militaribus subsequentibus conjungere voluimus.

LEGES

LEGES MILITARES GVSTAVI I.

Regis Sueciæ, &c.

I. POtentissimus Princeps ac Dominus Dn. Gustavus D.G. Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex vult quemlibet militem, qui R.M. stipendia meret, masculè, fideliter & promptè partes suas obit adversus hostem vel aliàs, accipere stipendium pro ratione officii & experientiæ, unà cum gratuito victu, vestitu & hospitio. Tribunus militum prout experiens belli fuerit, ducentas aut centum marcas stipendii loco capiet, Signifer octoginta marcas, alius minoris officii pro ratione usus & operæ quam locat majorem aut minorem, sexaginta, quinquaginta aut quadraginta marcas, miles triginta marcas, balistarius viginti quatuor marcas. Quisque stipendium suum absque remora stato die accipiet, & quidem pro conditione officii. In expeditione adversus hostē quilibet ex indultu Regio unà cum annuo stipendio menstruū capiat quinq; marcas, quolibet mense in triginta dies computato.

II. Cum omnis nostra prosperitas & successus ab omnipotenti Deo proficiscatur, quisq; se decenter ex divini mandati præscripto morigerum præbebit, ejus verbum devotè libenterque semper audiet, colet & celebrabit, ei convenienter, quantum in hominem cadit, vivet, sedulò cavens, ne contra illud faciat, sed semper ob oculos habeat. Si unus aut plures deprehendantur, qui superstitione, maledictis aut Dei offensione illud transgrediātur, nec ut Christianos decet, se gerant, illi ex veteri instituto militari pro natura facinoris plectētur.

III. Quilibet superfluo potu & ebrietate abstineat. Si qui convincantur per ebrietatem quid deliquisse, non minus punientur, atque si sobrii commisissent, pro ratione delicti.

IV. Quisque in acie, velitatione, excubiis terra marive, in stativis, cum universo aut dimidio signo, aut per manipulos, aut turmatim absq; contumacia præsto sit, sub pœna capitis.

V. Nullus infamibus verbis suggillet famam & existimationem R.M. aut cognatorum ejus, sed eis dicto audiens, fidus & subjectus sit, ut honestos milites decet. Si quis comperiat, unsi aut plures hoc tentare nec prævertat, si possit, impediat ac denunciet, ultimo supplicio pariter cum eo obnoxius esto.

VI. Nemo

In-certum quo an-no e-di-te.

VI. Nemo R. M. duces militum, tribunos, centuriones, signiferos, tesserarios, quæsitores, aut alios aliquo officio fungentes verbis aut factis lædat, aut quocunque modo illis resistat, sed illis, ut decet morem gerat. Convictus pro cognitione juris capite plectitor.

VII. Nec quisquam ausit sacramentũ quo se obligavit, cum militiæ nomen daret, revocare aut irritum reddere, sive stipendii, sive victus alterius rei causa; sed contentus sit eo, in quod semel ipse consensit, sive in præsidiis arcis Regiæ collocetur, sive alibi terra marive ejus operâ opus sit. Si unus aut plures hujusmodi factionis, tumultus aut conjurationis rei peragantur, absque gratia capitis pœnam subeant.

VIII. Omnes & singuli se justè erga R. M. subditos cujuscunq; loci gerant, illos aut illorum potestati subjectos non concutiant, nec verbis aut factis opprimant injuriave afficiant, sed quicquid ab illis emerint pro eo justum pretium solvant, omnique ratione tales se erga illos præbeant, ut nulli querelæ locus sit. Qui secus fecerint, unus aut plures absque venia capite puniuntor.

IX. Germani milites ne effundant contumeliosa & mala dicta in Suecos milites aut Regios ministros, unde inimicitia inter illos excitari possit. Si quis tale quid conetur aut patrer, pro seditioso habebitur, velut inutile membrum ab aliis abscindetur, & capite absque omni venia plectetur. Ex adverso Sueci Finnoniciq; R. M. milites id pariter cavebunt, ut omnis inter eos discordia tollatur & exulet. Si quod verò diffidium inter Suecos & Germanos oriri posset, Sueci & Germani, qui non partes sequuntur, obligati erunt se interponere & hujusmodi litem ac rixam dirimere aut amicè inter illos transigere. cui compositioni partes adquiescant, nec petulanter contraveniant, sub pœna paulò ante dicta.

X. Nemo cum altero conspirabit aut conjurabit, ad obreptitiè vel fraudulenter exigendum aut capiendum majus stipendium, quàm â R. M. constitutum est. Si quis hanc conjurationem compertam Regiis Commissariis non detegat, pari cum regis pœna perjurii & capitis afficitor.

XI. Quilibet in lustratione exercitus nomẽ suũ gẽtile aut patriæ profiteatur, nec aliẽo nomine per lustrationẽ eat, nec plus constituto stipendio capiat. Reus, ut perjurus capite plectitor.

XII. Nemo

XII. Nemo discedat castris absque literis commeatus, nec diversorio ipsi designato absque tribuni venia, sub pœna capitis.

XIII. Nemo sibi ipsi eligat diversorium alibi, quam ubi ipsi à metatore vel mensore designatur, eoque contentus sit. Reus pœna militari per quæsitorem afficitor.

XIV. Nemo arma sua, cum quibus lustratus & recensitus est, alea vel alio ludo prodigat, aut commutet absque tribuni militum consensu, sub pœna capitis.

XV. Nemo per iracundiæ calorem sobrius aut ebrius stringat ensem suum in alium. Sed si quid controversiæ inter illos sit, arbitris componendum committant, secus facienti capital esto.

XVI. Nemo conetur intra vel extra castra tractare, literas dare aut mittere ad hostem clam vel palam, vel quocunque modo cum hoste agere insciò & inconsulto tribuno, sub pœna capitis.

XVII. Nulli permittatur in quolibet agmine plus impedimentorum aut prædæ in expeditione terrestri aut maritima secum ferre, quam ipsi à tribuno destinetur ac permittatur. Delinquentis sarcinæ aut spolia publicantor.

XIIX. Nullus explodat sclopetum periculoso loco, unde detrimentum nascatur, præsertim post ductas excubias, sive in stativis sive alibi, terra marive, sub pœna capitis.

XIX. Nemo absque ducis militum iussu castra metetur, in amico vel hostili solo, sub pœna capitis.

XX. Si qui deprehendant, quamcunque proditionem instare, præfecto rerum capitalium & magistratui indicent, qui ulterius eam congnoscat & avertat; sub pœna capitali.

XXI. Nemo tentet vim aut injuriam facere mercatoribus aliisve annonam in castra advehentibus, vel intercipiendo, vel alia insolentia, sed cuilibet suum pro æquo pretio relinquat, sub pœna capitis.

XXII. Nemo excedat castris propolii exercendi vel aliquid commercandi caussa, quod reliquis in castris desidentibus fraudi aut detrimento esse possit, si legis pœnam evitare velit.

XXIII. Nec quisquam contra fidei publicæ ac securitatis beneficium (vulgò Saluaguardiam vocant) delinquat, sive in hostili sive sociorum & amicorum solo, sed eâ fruentes ex authoritate publica inviolatos relinquat.

XXIV. Si prætor rerum capitalium ejusve ministri aliquem admissi causa comprehendere & custodiæ tradere velint, illis

nullum impedimentum afferatur, sed quilibet eis hic adjumento sit. Si unus aut plures contra faciant, eaq; occasione reus effugiat, par illis cũ reo pœna esto. Si quis verò ex invidia vel odio à quæsitore in custodiam tradatur, detecta ejus innocentia, liberabitur.

XXV. Si contingat, ut hostis clade afficiatur in urbe, arce, castello, campo aut ubicunque: vel ut expugnatione. prælio, velitatione aut arte militari superetur, R. Mti, tormenta, pulvis nitratus, & omnia ad armaturam spectantia, item annona, Regalia, nullo excepto absque omni impedimento & excusatione cedent, & ad Regem quoad usum, fructum & dominium pertinebunt. Qui contra hæc quocunque modo deliquerit, ex lege in eum animadvertetur. Reliqua verò præda inter milites distribuetur, nisi propria sponte quædam ex ea magistratui donare velint.

XXVI. Quisque obligatus esto omnes hostium in acie, obsidione urbis aut pugna captos R. Mtis conquisitoribus tradere. Si quis captivorum absque tribuni militum venia militis culpa elabatur, capital esto.

XXVII. Si qui militum in acie vel prælio membris mutilentur, & bello inutiles reddantur, illis victum & alimenta R. M. promisit usque ad extremum vitæ diem ex publico præbenda.

XXVIII. Si quæ armenta vel alia ad annonam spectantia hostibus eripiantur, haud asportabuntur aut abducentur castris, sed in castris in usum militum pro æquo à superioribus æstimato pretio distrahentur.

XXIX. Si qui Regiorum ministrorum plures aut pauciores ab hoste capiantur, ad eos redimendos Rex propensus est, & stipendium, quo interim caruerunt, refundendum.

XXX. Si R. Mtas vel ab hoste, in obsidione, vel adversa tempestate impediatur, ut milites menstruum vel annuum stipendium dicto die accipere non possint, nullo tumultu aut factione seditionem excitent, nec vi aut minis æs suum vel alia necessaria extorquere conentur, sed desiderium suum magistratui exponant, ab eo responsum pro re nata laturi. Si quis secus faxit, ultimo supplicio afficitor.

XXXI. Nullus excubiis destinatus absque centurioni: venia, eas negligat, aut alium vice sua submittat. Si quis excubiis absit, aut in illis dormiens deprehendatur, pro natura delicti & cognitione tribunorum plectatur. Qui verò excubiis decesserit absque tribuni venia, capite punitor.

CHRO-

CHRONOLOGIA.

L. S.

Chronologia antiquior in hiſtoria Sueonum valde lubrica & incerta eſt, priſcis rerum quàm temporum obſervantioribus. Proinde, ne lectori ſtudiosè imponerem, placuit nullam potius, quam incertam ad oram Annalium meorum attexere; donec ad ætatem S. Erici deveniretur: ubi certior & Chronologorum conſenſu comprobata temporum ratio ſe offert. Si tamen placet qualemcunque interea boni conſulere, donec melior detur, ſi modò dari poſſit, hic habes ex Jacobi Giſlonis Chronologia anno MDXCII. Holmiæ edita excerptam, paucis à me additis. B. V.

CHRO-

CHRONOLOGIA
Regum Sueciæ
JACOBI GISLONIS
à
BIÖRNONE III.
usque ad sequentes.

cum Notis IOH. LOCCENII.

ANNO CHRISTI DCCC. *BIÖRNO III.*

A. C. XVI. BIÖRNONIS REGIS,

S. Anscharius Septentrionalis Apostolus in Sueciam venit, & multos ad fidem convertit.

Nota: *Consentit huic tempori Lupoldus Bebenburgensis* (sic emendandum apud Ioh. Magnum lib. XVII. Hist. suæ cap. 2. ubi eundem ad testimonium vocat, pro *Lubenburgensis*) *in libro de zelo Principum Germaniæ erga religionem*, ubi sic scribit: *Destinavit idem Ludovicus Danis & aliis in circuitu positis gentibus ad prædicandum verbum Dei S. Ansgarium Hamaburgensem primum episcopum: qui & Suevos sub anno D. 816. ad fidem convertit.* Per Suevos eum hîc intelligere Suedos vel Sueeos, non Suevos Germaniæ populum satis inde liquet, quod hîc de Danis & vicinis gentibus agit, ad quas missus est à Ludovico Imp. Caroli M. filio Anscharius. Ad Suevos verò nunquam ille missus est. Accedit, quod Suevi propriè ita dicti jam anno Christi DC. à S. Gallo conversi erant, ut notat Chytræus in procem. Metropol. p. m. 461. Annum DCCCXVI. primæ conversionis Sueonum agnoscit etiam hic Ionas Magni Vex. Episcopus quondam Scarensis p. m. in Synops. Histor. Nec obstare videtur, quod Ludovicus Imp. Caroli M. filius Anscharium in Daniam & vicinas oras anno DCCCXXXIV. miserit; ut ex ejus literis apud Pontanum lib. IV. Histor. Danic. patet, quum altera vice tunc in Sueciam iverit Anscharius; non semel enim huc venit. Messenius in sua Chronologia Scondiana habet annum 829.

DCCCXXIV. BRVTAMVNDVS.

DCCCXXVII. SIVARDVS III. Fro dictus.

DCCCXLII. HEROTVS.

DCCCLVI. CAROLVS VI.

DCCCLXVIII. BIORNO IV.

DCCCLXXXIII. INGEVALLVS aliàs INGELLVS incendio periit.

DCCCXCI. OLAVVS Tretelia Ingelli filius, Rex prudens & bellicosus.

DCCCC. INGO II. Olavi filius, Regneri filiam uxorem habuit. Bellum cum Russis gessit, Russiamque ferro & flamma usque ad Tanaim devastavit.

DCCCCVII. ERICVS VI. à ventoso pileo nominatus. Nam quocunque pileum suum vertit, inde optatus ventus adspirabat.

DCCCCXVII. ERICVS VII. Victoriosus dictus, Agnerum Danum hostem prostravit. Curetes quoque, Esthones & Prussos vicit.

DCCCCXL. ERICVS VIII. aliàs Stenchillus dictus, vulgò Åhrsåål.

DCCCCXLV. Idem missis legatis prædicatores ab Archiepiscopo Bremensi petit, & sequenti anno impetrat.

DCCCCLXXX. OLAVVS Skottkonung dictus, quia Regnis suis tributum imposuit, quod Romam ad Papam misit: vulgò votum Olai dicitur.

DCCCLXXXII. Idem missis legatis ad Angliæ Regem prædicatores flagitat. Missus S. Sigfridus Archiep. Eboracensis, à quo ipse Rex baptizatus est.

DCCCCXCV. Idem Suetiæ & Gothiæ Norvegiam adjunxit.

DCCCCXCVIII. S. Olaus Rex Norvegiæ floruit, & bellum gessit cum OLAVO Skottkonung. *MXI. habet Messenius.*

DCCCCXCIX. S. Olavus filiam OLAVI Skottkonung uxorem duxit.

MXVIII. Olavus Rex Sueciæ obiit. Sepultus Lincopiæ in Ecclesia cathedrali.

MXIX. AMVNDVS annosus, vulgò Kålbrenna, filius Olavi Skottkonungh, à S. Olavo educatus.

MXXXV. AMVNDVS II. Vilis, Amundi annosi ex concubinâ filius. *Annum 981, habet Messenius in Chronologia Scandiana.*

MXLI. HAQVINVS Rufus, Rex clemens & pacificus, VVestrogothus. Regnavit annos tredecim.

MLIV. STENCHILLVS nepos Olavi Skottkonung: inter optimos quosque Reges connumerandus. Regnavit annos V.

MLIX. INGO III. Regnavit annos V. ferè. *Messenius Tumbar. cap. XII. anno MLX. obiisse refert. Sed si annos quinque ferè regnauit, oportet anno MLXIV. vel MLXIII. obiisse.*

MLXIV. HALSTANVS, Ingonis frater. Christianæ fidei amator & pacificus. Regnavit annos XVI.

MLXXX. PHILIPPVS Halstani filius, Rex probus, qui piè, prudenter & pacificè regnavit annos XXX.

MCX. INGO Philippi filius conjugem habuit S. Ragnildem matrem Christinæ uxoris S. Erici. Veneno mortuus est. *Quidam hic habent annum 1120. alii 1130. Alii aliter.*

MCXXIX. RAGVALDVS Knaphofde. Semper novas, nunquam bonas leges invenit. Fuit tyrannus temerarius.

MCXXXVIII. SVERCHERVS II. duo monasteria condidit Alvastra & Varnhem. In illo sepultus MCXLIX.

Reliquorum Regum Chronologia, ut certior, in ipso contextu ad oram librorum suo ordine scripta est.

AU-

quorum ope vsus sum in opere meo Historico.

Erici Upsaliensis Historia Suecorum Gothorumque.
Iohannis Magni Historia Sueogothica. Ejusdem Historia Metropolitana.
Olai Magni Historia rerum Septentrionalium.
Acta MSC. ex Archivo Regni Sueciæ: quorum describendorum facultatem R.M. nomine Illustriss. Comes Dn. AXELIVS OXENSTIERNA Regni Cancellarius mihi concessit.
Alberti Crantzii Historia Suetica.
Laurentii Petri Chronicon Sueciæ MSC.
Olai Petri Chronicon Sueciæ MSC.
Anonymi Chronicon MS. Sueticum.
Anonymi Chronicon Suecicum rhythmicum MS.
Anonymi Chronicon Regum Sueciæ Germanicum MS.
Iacobi Ziegleri Scondia & Excidium Holmiense.
Iohannis Messenii Scondia illustrata, sive Chronol. Scondica MS.
Chronicon vetus Suedicum à Messenio editum.
Ioh. Messenii varia opuscula rerum Sueticarum.
Erici Georgii Chronicon Gustavi I. Sueticè editum.
Erasmi Caroli (ut putatur) Chronicon MS. contractum Gustavi I. quod ab illustri Dn. Erico Sparr / nunc in Norlandia Gevaliensis districtus præfecto utendum habui.
Petri Petreii Chronicon Sueticum.
Laurentii Paulini Historia Arctoa.
Synopsis Historiæ Vniversalis Ionæ Magni Vex.
Descriptio Suediæ Michaelis Gyldenstolp.
Adami Bremensis Historia Ecclesiastica.
Iohannis Baazii Historia Ecclesiastica Suedica.
Iohannis Vastovii Vitis Aquilonaris, vel de Episcopis Sueciæ.
Chronicon vetus Norvegicum Snorronis Sturlesonii.
Chronicon S. Olai Regis Norveg. MS. ex Bibliotheca Regia Serenissimæ CHRISTINÆ Reginæ.
Saxonis Grammatici Historia Danica.
Arnoldi Huitfeldii Chronicon Danicum.
Ioh. Isaaci Pontani Historia Danica.
Ioannis Meursii Historia Danica.
Petri Parvi Dani Hist. Iohannis Regis Daniæ & postea Sueciæ.

Iohan-

Iohannis Iani Suaningii Chronologia Danica.
Ioh. Nicolai Strelovvii Chronicon Gothlandiæ Danicè scriptum.
Dav. Chytræi Chronicon Saxonicum.
Vbbonis Emmii Historia Frisica.
Gulielmi Camdeni Historia Anglica Elisabethæ.

ERRATA sic emendentur in Historia.

Pag. 1. v. 15. *saltem.* 3. in inscript. hujus & seqq. pagg. dele CAP. 1, 16. 3. *Biörnonem.* licet alii quoque *Biörnum* appellent: unde & hoc retinui. 5, 15. *conjugem.* 23, 3. *Norvegiæ.* 24, 12. *anserem marem.* ib. 3 *præsertim apud.* 25, 16. *forsan.* 39, 2. *vestra.* 40, *in marg.* 1160. 41, 11. pro *Fale* scrib. *Fale.* 55, 25. *proferre.* ib. 35. *saltem.* 59, 20. *regni cura.* ib. 22. expunge *cura.* 68, 3. post verba *extra urbem*, appone *in monte.* 80, 7. *oppignerat.* 90, 30. *semen.* 116. 18. *percontatus.* 131, 9. *abruptas.* ib. 18. *stragem nostri f.* 134, 6. *serventur.* 138, 21. *magno in.* 143, 29. *quam aliis.* 146, 18. *succurrisset.* ib. 39. *astu delusis.* 149, 23. *percontantibus.* 164, 1. *Danorum.* 178, 14. *citis itineribus.* 181, 39. *æve campano.* 206, 16. *suscipienda.* 212, 24. *Rex Gustavus.* 225, 31. *seorsum.* 234, 6. *v. æ. salutis viam.* ib. 16. *ferias.* 243, 1. *regis impensa.* 249, 38. *alloquutus.* 265. *carbonariis cellis.* 271, 34. *Lubecensium*, 272, 16. *Hallandos*, 275, 10. *menstrua æra.* ib. 25. *præstita.* 278, 37. *defendendi urbem.* 295, 35. *innoxios.* 302, 30. *servitute.* 368, 39. *sejungerentur.* 317, 38. *calumniis.* 351, 18. *Konung.* 352, 14. *diphthongo.* 360. 5. *regnorum.* 366. 9. *Georg. Iohannis in Empteridh.* dele ib. 19. *Oldi.* 371, 2. *subditi.* 375, 24. *promoveatur.* ib. 28. *Principalibus.* ib. 38. *Orebroensi.* 375, 4. dele *si.* 378, 39. post *genere* adde *natur.* 379, 22. CONSTITVTIO. 393, 9. *incommodo.* ib. 15. *Dominicana.* 395, 4. *excogitare.* ib. 10. post *genitis.* 26. *Regiis.* 400, 9. *cura.* 16. *Kniifsstada.* 414, 17. *ex ærario.* 418, 36. *cum reis pœna.*

In Antiquitatibus Suco-Gothicis.

P. 7, 12. *Melpomene.* 8, 1. *Φιλαν θρωπ .* 15, 10. *certatim.* 24. 19. *occidentem.* 27, 18. *Iwlmånat.* 28, 10. *Thidborin.* 29, 23. *Etiamsi.* 40, 35. *per occasionem emigrationis c.* 59. 32. *Ladulås.* 60, 36. *Vremen.* 61, 10, *regno*; *certè.* 69, 32. *urbibus.* 70, 15. *impudenter.* 72, 6. *alter.* 73. 5. *ministros publicos.* 76, 9. *multitudine armata.* 78, 22. *equa uti.* 83. 24. *ûeratura.* 91, 13. *Extremis.* 105, 20. *quietis.* 109, 23. *conspectiori.* ib. 28. *species.* 118, 25. *Item.* 129, 4. *credimus.* 135, 2. *concinniora.* ib. 5. *observamus.* 136, 19. *est.* 137, 2. *illud.* ib. 8. *militia.* 161, 27. *nonnunquam.*

Reliqua leviora emendabit ipse lector.

IOHAN-